R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
8
42 D
8

C. J
5ª V
O. 6
N. 25

13-17, B, 9

8.112.D.8.

8.42.D.

IACOBI

GVTHERII

DE VETERI IVRE PONTIFICIO VRBIS ROMÆ LIBRI QVATVOR.

Ad Amplißimum virum ANTONIVM SEGVERIVM,
Conſiſtorij Comitem, in ſuprema Pariſiorum Curia Præſidem
Chriſtianiſſimi ERRICI MAGNI *ad Remp. Venetam exle*

PARISIIS,

Sumptibus NICOLAI BVON, via Iacobæ
D. Claudij, & hominis ſilueſtris.

M. DC. XII.

Cum Priuilegio Regis.

ROMÆ. ÆTERNÆ
VRBIVM. PRINCIPI. CAPITI. ORBIS
VIRTVTVM. DOMINÆ
IVRIS. ET. ÆQVITATIS. VINDICI
VETVSTATIS. MIRACVLO. VENERANDÆ
VICTRICI. POTENTI. AVGVSTÆ
PIÆ. FELICI. AETERNVM. RENASCENTI
ÆTERNVM. RESVRGENTI
AD. ANTON. SEGVERI. IMMORTALE. DECVS
SPARSAS. VNDIQ. ANTIQVITATVM. SVARVM
RELIQVIAS
EX. VETVSTIS. AVCTORIBVS
NVMMIS. LAPIDIBVS
IAC. GVTHERIVS. LEGEBAT
COLEBAT. ADORNABAT

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI.

CAPVT I. *Ad amplißimum virum Antonium Seguerium.*

Cap. 2. Pontificum ius Iuri Ciuili coniunctum. Bonum Pontificem Iurisconsultum esse oportere. Operis diuisio.

Cap. 3. Religionis diuisio. Summa quatuor Sacerdotum Collegia Romæ. Ex his tria amplißima. Obiter de Aruspicibus. Qui de Pontificio Iure scripserunt. Sacrorum libri.

Cap. 4. Sacerdotij dignitas. Quis primus Pontifices instituerit. Creati Patritij omnes. Pontifex vnde.

Cap. 5. Pontificis nomen commune omnibus Sacerdotibus. Pontifex Vestæ. Pontifices in municipiis. Pontifex max. Sabinorum.

Cap 6. Pontifex Vniuersæ Palæstræ ad vitam. Sacerdotes perpetui. Flamen Diuorum omnium.

Cap. 7. Pontificis denominationes variæ. Filij Sacrorum.

Cap. 8. Pontificis max. creatio. Aliorum cooptatio. Lex Domitia. Quomodò Curiata Comitia Auspiciorum causa remanserunt.

Cap. 9. De lege Domitia iterùm. In petitione absentium ratio habita. De lege Ogulnia Sacerdotium plebi communicatum.

Cap. 10. *Principes Sacerdotia contulerunt. Numerus ab illis ampliatus. Pontificatus codicillares. Pontificatus maximus Principi à Senatu delatus.*

Cap. 11. *Pontificis maximi dignitas & prærogatiua. Vestales capiebat. Regem Sacrorum & Flaminem inaugerabat. Illius sunt Tensæ, Præcentio, Ludi. Ancilia Sacra apud illum.*

Cap. 12. *Pontifex max. de ceremoniis edicebat. Conseruator ceremoniarum. Ritus Castus.*

Cap. 13. *Pontifex max. pro Collegio respondebat, cùm populo agebat. An legis ferendæ habuerit potestatem. An Italia abesse potuerit.*

Cap. 14. *An Pontifex max. habuerit Imperium. An Ius exercitum imperandi.*

Cap. 15. *Pontifex max. omnes Magistratus adeptus. Imperator Pontifex. Idem Augur & Quindecimuir Sacrorum. Ex duobus imperatoribus vnus Pontificatum max. gerebat.*

Cap. 16. *Pontificis maximi coniux. Domus illi publica & laureata.*

Cap. 17. *De Pontificibus cæteris. Illorum ordo duplex. Adolescens Pontifex. Duo Pontifices ex eadem gente esse non poterant.*

Cap. 18. *Pontificum cura quæ, & quæ summa cognitio.*

Cap. 19. *Pontifices Sacris sollemnibus præerant. In domesticis religionibus adibantur. Ratum quod tres illorum statuissent. Religionis explanatio per vinum Pontificem. Tria Theologiæ genera.*

Cap. 20. *Pontifices soli & Vestales Penũ Vestæ adibant. Indigetabant Deos. Dij Pontificij. Pontificũ iusiurandũ.*

Cap. 21. *Prodigia procurata decreto Pontificum. Sacra piacularia. Ver Sacrum. Sacrorum instauratio ex illorum decreto.*

Cap. 22. *Intercalationes. Annales maximi. Fasti per Pontifices.*

Cap. 23. *Maiorum Pontificum diuersa munera. Feriæ à Pontificibus conceptæ. Lunæ & Solis defectiones ad illos. De diebus atris decernebant. Pontem Sublicium curabant.*

Cap. 24. *Decretum Pontificum. Interpretatio. Responsio. Monitus. Suggestio. Obseruatio. Permissus. Indulgentia. Præceptum. Arbitratus. Consilium.*

Cap. 25. *De Pontificum & Sacerdotum publicorum inauguratione.*

Cap. 26. *De Teleta iterùm. Cœna Pontificum: Illorum epulum dicis causa.*

Cap. 27. *Curia Pontificum. Pontificale Pomœrium.*

Cap. 28. *Pontificum aliorúmue Sacerdotum immunitas. Illorum honor.*

Cap. 29. *De habitu & ornamentis Pontificum.*

Cap. 30. *Pontifices aliorum Sacerdotum munus obibant.*

Cap. 31. *Rex Sacrorum & Flamines maiores duo, adscripti Collegio Pontificum. De illorum dignitate & cura.*

Cap. 32. *De Flamine Diali & illius legibus. Collegio Pontificum ille adscriptus non fuit. Ius habuit in Senatum introeundi. Municipales Flamines prodi dicebantur. Veflamen. Flaminales viri.*

Cap. 33. *Quas res Senatus ad Pontifices reijciebat. Relatæ res ad Pontifices & Virgines. Religionem abs se reijcere. Scrupea religio.*

Cap. 34. *Senatus multa in religionibus decernebat. Portentorum procuratio reiecta ad Consules. Ludorum instauratio. Piacularia Sacra. Ex Senatusconsulto dies Circensibus additi. In externis religionibus Magistratibus maioribus minoribúsue negotium datum.*

Cap. 35. *Senatus supplicationes decernebat. Illarum causæ. Nunquam in ciuili bello decretæ. Togato rarò. Sacrificium Imperabat. Precationis formulam præscribebat.*

CAPITA LIB. II.

CAPVT I. *Pontifices Iurisdictionem merum & mixtum imperium habuerunt. Lites sacras iudicarunt. Vindices fuerunt contumaciæ priuatorum Magistratuúmque.*

Cap. 2. *De mulcta & pœna. De inceſtis Veſtalibus & iis qui Veſtales polluerunt.*

Cap. 3. *An Pontifices periurii, & ſacrorum nocturnorum iudices eſſent.*

Cap. 4. *Edicta Pontificum. Illorum cognitio in ius religionis, & ius Reip. diſtributa. Imperant, vetant, permittunt, puniunt.*

Cap. 5. *Adoptiones lege Curiata fiebant apud Pontifices. Hereditas nominis, pecuniæ, Sacrorum. Sine Sacris hereditas.*

Cap. 6. *Quibus modis pecunia Sacris liberaretur, & ipſa Sacra interirent. Partitio. Deductio. Teſtamentum per æs & libram. Coëmptio. Manumiſſio Sacrorum cauſa. Sacrorum deteſtatio.*

Cap. 7.

Cap.7. De Enuptione. Quæ notio Pontificum in cauſis matrimonij.

Cap.8. De Iuriſdictione Pontificum in teſtamentorum executione.

Cap. 9. Tranſlatio Reliquiarum ſine Pontificum permiſſu fieri non potuit. Quod ex iuſta cauſa Præſides in Prouinciis conceſſerunt. Arbitria funeris. Reficere monumentum ſine authoritate Pontificum non licuit.

Cap.10. Prouocatio à Pontifice max. ad populum. Pontifices à Tribunis plebis criminati, quod malè iudicaſſent. De Veſtalibus denuò iudicatum à Selecto Iudice L. Caſsio.

Cap.11. Pontifices cogi poterant à Tribunis pleb. Illi Magiſtratui ſubiecti & Cenſoriæ notæ obnoxij. Veſtalis max. cùm Rege Sacrorum legibus ſoluta.

Cap.12. Fiſcus Pontificum, arca, ærarium Curator ærarij III. VIR. *ab Ærario. Arcarius Pontificalis.*

Cap.13. De miniſtris Pontificum & Sacrorum. Triumuiri Epulones. Saliæ Virgines. Camilli. Scribæ. Publicus Pontificum. A. Libris Pontificalibus. Lictor. Apparitor. Calator.

Cap.14. Decuria Curiata, quæ Sacris apparebat. Præcones. Tibicines. Ludij. Petreia. Popæ. Victimarij. Incinarius Iecorus. Aruſpex Pontificis. Fictores Pontificum. Diſcipuli Fictorum. Nomenclator Thenſarum iugaris.

CAPITA LIBRI TERTII.

CAPVT I. *Loci conſecrati aut profani. Profanum ſacrum. Sanctum, religioſum.*

Cap.2. Templa tribus modis dicta. Illa quadrata. Quædam Templa ſancta non erant: vt nec omnes ædes ſacræ erant Templa. Ædes rotundæ quibus Diis, Ædiculæ.

Cap.3. Templorum ſpecies. Delubra. Fana. Sacella. Cella. Teſca.

Cap.4. Luci. Dianium. Mineruium. Dietæ.

Cap.5. Fines Templares. Termini Sacrificales. Lapides Sacri. Coronati rami. Lapis auſpicatus, Lapis Diuus, pertuſus, ſcriptus.

Cap.6. Templorum ædificandorum ratio diuerſa. Adtributa. Areæ. Fores. Aræ. Tripodes, menſæ.

Cap.7. De ornamentis & partibus Templorum, Imaginibus, & ſtatuis.

Cap.8. Simulachra. Signa. Sigilla. Clypei.

Cap.9. Sacrarium. Donarium. Tholus. Lectiſternium. Puluinar. Faſtigium Sacri poſtes. Aulæ.

Cap.10. Ornamenta Aræ. Arcus Deorum. Muri & Portæ ciuitatum. Lararia.

Cap. 11. De Dedicatione.

Cap.12. Duumuiri ædis locandæ, faciundæ, dicandæ.

Cap. 13. De Templorum reſtitutione. Conſecratione locorum. Conſecratione animalium.

Cap.14. De Temporibus. Dierum diuiſio. Saturnalia Secunda.

Cap.15. Vinalia priora. Vinalia altera. Feriæ Latinæ. Lararia.

Cap.16. Feriæ Imperiales. Repentinæ. Natales principum. Præcidaneæ feriæ. Atri dies. Dies necis Senatuſconſulto celebrati.

Cap.17. De priuatis feriis, quæ fuerè aut certæ familiæ, aut

Collegij aut singulorum. Natales dies nauigationis. Priuatorum natales post mortem celebrati.

Cap.18. De ludis qui aut Circenses aut scenici. Publici aut priuati. Taurilia ludi. Pontificales. Triumphales.

Cap.19. De ludis Scenicis. De ludorum diebus & sumptibus. Ludi in Prouinciis Hostici, Miscellanei.

Cap.20. Qui dare ludos possent. Qui illis præesse. An priuatis id licuerit. Defunctæ Africanæ.

Cap.21. An priuati ludis publicis præesse potuerint. Ornatum forum. Ludorum commissiones.

Cap. 22. De ludorum publicorum instauratione. Terram. Tenere. Lex Claudij de ludis intermissis & pollutis.

CAPITA LIBRI QVARTI.

CAPVT. I. *Sacrorum diuisio. Illorum apparatus. Mouere Sacra. Peruigilia. Maturiùs vigilare. Incubare loui.*

Cap.2. De Sacrificiorum ritu & Ceremoniis.

Cap.3. Sacrificiorum ritus ex M. Catone.

Cap.4. De Poparum & Victimariorum mercede.

Cap.5. De vario Sacrificiorum genere. Minusculum Sacrum. In Sacris siue Deus siue Dea. Quod vinum Sacrificio adhiberetur.

Cap.6. De Sacris priuatis, quæ certæ gentis aut familiæ fuerunt. Natalium, Nuptiarum aut Funerum.

Cap.7. De Sacris priuatis quæ domi fiebant.

Cap.8. De Sacris Deorum inferorum.

Cap.9. De Sacris Magicis & mortuorum euocationibus. Silens luna.

Cap.10. De defixionibus & excantationibus.

Cap. 11. De priuatis sortibus.

Cap. 12. De sortibus publicis & impetritò.

Cap.13. De Votis. Ver Sacrum. Annua nuncupatio Votorum. Votorum dies.

Cap. 14. De Obsecrationibus & Precationibus. Precatio maxima. Precatio extrema.

Cap.15. De Postulationibus & Deuotionibus.

Cap.16. De Gratulatione, Primitiis. Vitulatione. Supplicatione.

Cap. 17. De Adoratione.

Cap. 18. De Victimis. Suouetaurilia maiora & minora. Lactentes hostiæ. Magnæ opimæ. Bos Sescenar. Porcus fœmina.

Cap.19. De Tauropolio.

Cap.20. De Victimarum ratione & probatione, Quæ essent puræ, eximiæ, Regiæ.

Cap. 21. Hostias augere. Cùm capite & lituo Sacrificare. Maniliæ Venales leges de victimis. Vnde in Sacrificiorum sumptus pecunia erogaretur.

Cap.22. De Consecratione & illius ritu.

Cap.23. De Epulis. De Iouis Epulo aliorúmque Deorum. Decima. Herculi pollucere.

Cap.24. De vasis, instrumentis, Insignibus, Cæteráque sacrorum supellectile.

AVTHORVM INDEX QVORVM

loci hoc in opere laudantur, exponuntur, vel emendantur.

A

Acron.
Acta Apostol.
Actius.
Ælius Gallus.
Ælius Stylo.
Afranius.
Agellius.
Aggenus Vrbicus.
Alciatus.
D. Ambrosius.
Ammianus Marcellinus.
Antistius Labeo.
Antonius Augustinus.
Appianus Alexandrinus.
Appius Pulcher.
Apulcius.
Arrianus.
Aristeas.
Aristophanes.
Aristoteles.
Arnobius.
Artemidorus.
Asconius Pædianus.
Athenæus.
Atteius Capito.
D. Augustinus.
Aurelius Victor.
Ausonius.
Author etymologic.
Author de viris illustribus.

B

Bacides Fatidicus.
F. Balduinus.
L. Bayfius.
Beda de Ortograph.
Beatus Rhenanus.
Beroaldus.
Boëtius in Topic.
Breuiarium Augusti.
B. Brissonius.
Bonus Volcanius.
G. Budæus.

C

Cælius.
Iul. Cæsar.
L. Cæsar.
Caper Grammaticus.
Capitolinus.
L. Carrio.
Casaubonus.
Cassiodorus.
Cato.
Catullus.
Charisius.
Censorinus.
Cicero.
Cincius.
Clemens Alexandrinus.


image
not
available

Lactantius Grammaticus.
Lælius Felix.
Lambinus.
Lampridius.
Lampugnamus.
Leuinus Torrentius.
Lilius Giraldus.
Lipsius.
T. Liuius.
Liuius poëta.
Lucanus.
Lucianus.

M

Macrobius.
Maldonatus.
Marius Victorius.
Martialis.
Martianus Capella.
Martyrologium.
Masurius Sabinus.
Maximus Tyrius.
Minutius Felix.

N

Nævius.
Nigidius.
Nonius Marcel.
Nouel. constit.

O

Onuphrius Panuinius.
Optatus Afer.
Orpheus.
Ouidius.

P

Iac. Pamelius.
Paterculus.
D. Paulus.
Pausanias.
Persius.
Phædrus.
Philander in Vitruuium.
Philochor.
Pignorius.
Pindarus.
P. Pithœus.
Plato.
Plautus.
Plinius.
Plinius Iunior.
Plutarchus.
Pollux.
Polybius.
Porphyrio in horat.
Porphyrius.
Priscianus.
Propertius.
Prudentius.

Q

Quintilianus.

R

Regulæ Vlpiani.
Ruffinus.
Sext. Ruffus.
Ruricius.
Rutilius.
Rutilius Geminus.

S

Saluſtius.
P. Scæuola.
Io. Scaliger.
Iul. Scaliger.
And. Schottus.
Seneca Philoſoph.
Seneca Tragic.
Serenus Sammonius.
Seruius in Virgil.
Seruius Sulpitius.
Siculus Flaccus.
Car. Sigonius.
Siſenna.
Spartianus.
Statius.
Strabo.
Suetonius.
Suidas.
Symmachus.
Syneſius.

T

Tacitus.
Terentius.
Tertullianus.
Theocritus.
Theophilactus.
Tibullus.
Trebatius.
Trebellius Pollio.
Turnebus.

V

Valerius Maximus.
Varro.
Vegetius.
Veranius.
P. Victor.
Virgilius.
Vitruuius.
F. Vopiſcus.
Vulcanius Gallicanus.

X

Xiphilinus.

Z

Fr. Zophyrus.
Zoſimus.

IACOBI

IACOBI

GVTHERII DE

VETERI IVRE PONTIFICIO VRBIS ROMÆ,

LIBER PRIMVS QVI De personis,

Ad amplissimum virum Antonium Seguerium, sacri consistorij Comitem, in suprema Parisiorum curia Præsidem, Regis Christianissimi Errici Magni, ad Remp. Venetam, exlegatum.

CAP. I.

VRBS illa, dijs authoribus in æternum condita (Antoni Præses amplissime) perpetuò me ad magnam sui admirationem traduxit. Quam cùm literis mandare, noménque tuũ illius laudibus adtexere cogitarem: Infelicitas literarum & Temporum diu me à scribendo deterruit, atque auocauit. Ea est enim hu-

ius ſæculi labes, & macula, vt non ſolùm virtuti inuidere, verùm illam maledictis proſcindere, temperantię, prudentiæque, ſpecimen eſſe videatur. Nec recti porrò ad ingenium bonum putantur ij, qui aliis iniuſtè dicere compeſcunt. Verè monebat Petrus Pithœus olim: Scribe, præſto iniuria eſt. Ab hinc enim ſeptẽnium, nundinis omnibus, referti libellis catalogi proponuntur, quorum paginæ, completæ ſcurrilibus conuitijs vtrãque inuidiæ & imprudentiæ paginam faciunt. Quod improbum penè ac furioſum factum, pauentium literarum nobis diſtractionem, diſſidium, vaſtitiem, exitiúmque prænuntiat. Nam immanis illa, & barbara ſcribendi ratio, ſumma nunc eſt eloquentia, ſapientia ſumma, ſumma, quæ maximè læditur, commẽdatio pietatis. Quaſi verò pii, ſine ſcelere, ſcriptores illi eſſe non poſſint: aut poſſint turpi & noua facundia, ne dicam ignauia, doctrinam, eruditionemque omnem euertere atque delere. Nempe hæc odia, hûc redeunt denique, vt literæ omnes, ludibrio tandem habeantur. Aliorum quorumdam iniquitas, non tam pertimeſcenda fuit mihi, quàm fugienda: qui me ad forum reuocabunt, & hoc genus ſcribendi, negabunt eſſe hominis in illo occupati. Pauci Hercle verò in foro, & in literis ita verſantur, vt in vtriſque toti eſſe videantur. Quare plæriſque omnibus fraudi fuit, qui ſe ſuaque omnia fortunæ commiſerant, libros ſuos editionis honore vulgaſſe. Ita viuitur, vt qui literas meliores leuiter attigerunt, omnibus qui attentiores ſunt ad rem, quàm ſat eſt, ſapere magis, & magis conſulti, forenſis ipſius

disciplinæ existimetur. Olim enim nostro studio honor fuit apud sæculum prius: nouum nunc iam est Aucupium. At verò ego qui virtutem summum pretium semper putaui, quæstus mihi illa vberrimus fuit, qua sola fretus, caduca posthabui cætera, quæ quam minimi debent æstimari. Hoc egi tamen vt à foro ad literas, à literis ad forum redierim sinè rei familiaris iactura. Quis ergo me iure reprehendet, si quantum alij tribuunt pilæ, deambulationi, amicorum colloquiis, tantum egomet mihi ad literas recolendas sumpserim, & veteres illas, quasi toto orbe fugientes sequar? Fallunt pol illi, qui obstare Musis, turbam negotiorum videri volunt. Otii honestissima oblectatio, habet sua tempora, quæ interiora studia nobis scrutari permittunt. Cùm ergò inter forensium rerum lucubrationes, nobis licuerit aliquādò esse otiosis: offero tibi (Præses integerrime) de veteri iure Pontificio, quos scripsi libros: Qui ex vrbis æternæ parietinis, numismatum signis, ædificiorum cadaueribus & templorum legum, & librorum iuris scientiam, veteremque Romanorum religionem continent. Tu qui ad literas & virtutem natus, susceptus, institutus es, & de illis, tuo quodam iure iudicandi Pontificium tenes: Quid in tanto opere præstiterim, æquissimo, vt soles, animo iudicabis. Accipe itaque hoc grati animi monumentum, quod lubens meritóque dedico tibi, virtutis omnis & eruditionis, optimo parenti, quem vnum rerum natura videtur edidisse, vt ostenderet quid summa virtus, in summa fortuna possit. Illam quæ fortunæ

inuidiam superauit, vsquedum ego vitam colam, posteritati tradam; cui labores meos admiratione tui commendatos volo, quam æternitate quadam immutabilem magna imperia possint æmulari.

PONTIFICIVM IVS, IVRI CIVILI coniunctum. Bonum Pontificem Iurisconsultum esse oportere. Operis diuisio.

CAP. II.

SED vt iis qui nihil aliud quàm subsellia forumque desiderant, imprimis aliqua ex parte satisfaciam, à iure ciuili nostro auspicabor: quod publicum in sacris, sacerdotibus & magistratibus consistit[a]. Hinc summa rerum diuisio, in duos articulos rectè diducitur. Nam aliæ diuini iuris sunt, aliæ humani[b]. Diuini quidem iuris res sacræ, religiosæ, & sanctæ, quæ ritus ceremonias sacrificiaque complectuntur, & ea quæ ad summam erga Deos religionem pertinebant. Horum scientia, prudentia iuris appellata est, id est diuinarum humanarumque rerum notitia, Pontificibus solis cognita primum atque perspecta[c]. T. Corruncanius Pontifex maximus, ex omnibus qui ciuilem scientiam nacti sunt, primus illam publicè professus est. Hunc sequutus est P. Licinius Crassus, quem M. Tullius ipsi Corruncanio anteponit[d], cum tamen quartus ab illo Pontifex maximus fuerit: In quo video Tullium non Pon-

a l. 1. §. huiusmodi. D. de Iust. & iur.

b l. 1. D. de rer. diuis.

c l. 2. §. & quidem D. de orig. iur.

d lib. 3. de orator.

tificum ordinem, sed Crassi Licinii, quem maximi faciebat, introducebatque loquentem, dignitatem sequutum. Post hos P. Scæuola, & P. Scipio Nasica, cæterique Pontifices, de iure responderunt: ex quibus Q. Mucius P. filius, idem Pontifex max. ius ciuile primùm constituit, cuius auditores maximæ authoritatis Gallus Aquilius, & Sextus Papirius, aliique à Pomponio diligentius enumerati[a]. Antistius Labeo & Capito Ateius principem in ciuitate locum, studiis ciuilibus assequuti, iuris Pontificii peritissimi fuerunt[b]. Omitto cæteros venióque ad Cocceium Neruam, qui Labeoni successit. Hic continuus Tiberii Principis diuini humanique iuris sciens, honestum vitæ finem quæsiuit[c], quem mortales caducique tituli plerumque præpediunt. Pontificium ergò ius ciuili semper coiunctum, cui diligentiorem Pontifices operam nauarunt, quod Pontifex nemo bonus esset, nisi qui ius ciuile cognosceret, vt P. Scæuolæ filius, se ex patre audiisse referebat. Atque in veterum monumentis vix inuenies Iurisconsultum bonum, qui idem Pontifex non fuerit. Cato vel virtute sua maior Pontifices à Iurisconsultis vix diuidebat. *Quid Iurisconsulti*, inquit[d], *quid Pontifices? quammulta meminerant.* Laudantur ab eo Corruncanius, & Crassus, à quibus iura præscribebantur, & quorum ad extremum vsque spiritum prouecta prudentia est. Tanta enim eorum omnium scientia fuit, vt ad illos de omnibus diuinis atque humanis referretur, essentque religionis, legum veterum, linguæ atque elegantiæ in verbis latinæ Principes[e]. Numa Rex

[a] d. l. 2.

[b] Macrob. lib. 6. c. 17.

[c] Tacit. lib. 6. Annal.

[d] Cic. lib. de senectut.

[e] Cic. lib. 3. de orator.

Pontificii iuris author præcipuus, doctissimus fuit Crassi iudicio, vt epularum sollemnium fides ac Tibiæ Saliorumque versus indicarunt [a]. Possumus & T. Corruncanium suspicari disertum, quod ex Pontificum commentariis, longè plurimum ingenio valuisse videatur. Ex illorum omnium fontibus, & eloquentiæ & Iuris ciuilis principia hausimus: atque hoc Pontificio annexum, & in illius confinio positum, in vtroque agro facilè serpit. Quapropter vt nemo bonus pontifex, qui ius ciuile non nouit: Sic neminem bonum Iurisconsultum dixerim, qui pontifex idem cooptari non possit. Neque tamen necesse putarim pontificem ita iuri ciuili addictum, vt ab omnibus de illo sicut olim, consuli possit. Vt ne Iurisconsultum quidem, ita pontificum iura callere, vt de sacris & ceremoniis respondeat. In vtroque plærumque perniciosè erratur, quod non accideret, si vterque quod religioni & iuri coniunctum est, ita prospiceret, ne fines antiqui exarentur aut deiiciantur. Nihil enim pontifici de iure parietũ [b], aut aquarum, aut luminum. Vt nihil Iurisconsulto de sacrificiis, diis superis aut inferis, variisque generibus hostiarum. Quæ tamen omnia cum ad antiquitatis cognitionem conferant plurimùm, attingam ea breuiter: nec dissimulabo me nescire absconditum ius illud, de quo veteres, pontifices solos & consuli & scire voluerunt. Libros enim temporum eripuit iniuria, quos literis ignorabilibus prænotatos [c] pauci intelligebant, vt ipsa etiam verba ab vltimis temporibus & obliteratis repetita [d]. Quare illa interiora & si-

[a] Cic. lib. de claris oratio.

[b] Cic. 2. de leg. 6.

[c] Apuleius lib. 1. metamorph.

[d] Quintiliã. lib. 1 ca. 47.

lentio inuoluta præteribo, *quid dici, quid præcipere, quid tangi, quid teneri fas fuerit*[a]. Sed si quid efflu-
xerit è pontificum disciplina, quod ad nos ex libro-
rum veterum fragmentis, vel surrepto Cn. Flauii
permanarit: si quid ex antiquis lapidibus aut nu-
mismatibus: Sumam illud de medio, atque opus ag-
grediar à paucis tentatum, ab aliis neglectum, expe-
ctatum à multis, quod meo studio atque opera, qua
potero parte restituam, atque absoluam. Itaque
Varronis doctissimi Romanorum ordinem sequar,
quem ille sibi præscripserat, in suis antiquitatum li-
bris[b]. Primum agam de personis, posteà de locis, ter-
tiò de temporibus, quartò de Sacris, postremò de
Manium iure.

[a] Cic. pro dom. su.

[b] 4. August. lib. 6. de ciuit. ca. 3.

RELIGIONIS DIVISIO. SVMMA quatuor Sacerdotum Collegia Romæ: Ex his tria Amplissima. Obiter de Aruspicibus. Qui de Pontificio iure scripserunt. Sacrorum Libri.

CAP. III.

ROMANORVM veterum Religio omnis, in Sacra & Auspicia dispertita est[c]. Sacris Pontifices, auspiciis Augures præsunt. Tertium adiunctum est, si quid prædictionis causa, ex portentis & monstris, Sibyllæ interpretes, Aruspicésque monuerunt. Hinc summa quatuor Collegia Sacerdotum, atque ex-

[c] Cic. 3. de natur. deor.

iis tria tantùm ampliſſima, quæ miror ego Leuinum Torrentium literarum veterum non indiligentem, non intellexiſſe[a]. Erant verò Pontificum, Augurum, decem vel quindecimuirorum ſacris faciundis, qui Sibyllini vocabantur, & Aruſpicum. Vir doctiſſimus & mihi amiciſſimus, qui vix habet alium quàm me, eruditionis ſuæ ſtudioſiorem, aliter putat. Quatuor enim ſumma collegia conſtituit, quibus annumerat Septemuiros Epulonum, Dionis Fretus authoritate[b]. Ludos, inquit, propter Actiacam victoriam decretos, cum Agrippa exhibuit Auguſtus. Κὶ αὖτη μὲν ἀφ' πέντε καὶ ἑπτὰν μέρει ἔ ἐγένετο, ταῖς τέσσαρσιν ἱερωσύναις, ὅκ ἀξέσπης μέλουσα, λέγω ἢ τοιύτε Ποντίφιξας, καὶ τοὺς οἰωνιςὰς τοιύτε ἕπλα, καὶ τοὺς πεντακαιδέκα ἄνδρας καλουμένους. Deinceps ad noſtram vſque ætatem, ludi quarto quoque anno facti ſunt, eorúmque curatio quatuor Sacerdotum Collegiis per ordinem incumbit, Pontificibus ſcilicet, Auguribus, ſeptemuiris, & quindecimuiris. Ex quibus Dionis verbis, quatuor quidem Collegia videre eſt, ſed non ſumma. Nec enim ſummam Septemuiri Epulones authoritatem in ſacris habuerunt, quorum cura hæc vna fuit præcipua, vt ludi diligenter fierent, & ſi quid prætermiſſum eſſet vel commiſſum, ad Pontifices adferrent, quorum de ſententia illa eadem renouata atque inſtaurata celebrarentur[c]. Summum itaque illud Collegium eſſe non potuit, quod pendebat ab alio, illíque quaſi ancillabatur. Quales fuere ſeptemuiri, quos Pontifices propter ſacrificiorum multitudinem eſſe voluerunt, vt Ludorum Epulare ſacrificium

a In Suetonio. Auguſto. cap. 100

b Dio. li. 58.

c Cic. de Aruſpic. reſp.

cium facerent, verè Pontificum ministri [a]. Quapropter in quatuor summis Collegijs, Aruspices postremò agnoscimus, non Epulones. Nam veteres Romani statas sollemnesque ceremonias Pontificatu [b] rerum benè gerendarum authoritates, Augurio. Prædictiones Apollinis, vatum libris: Portentorum explanationes, Etruscorum disciplina contineri voluerunt. Fuit ergò summum Aruspicum Collegium, quorum responsis, magnis in rebus sæpè Senatus paruit [c]. Nec tamen illud amplissimum dixerim, quod adeò neglectum, vt ferendum non putaret eum qui Aruspicinam fecisset, in Senatum legi [d]. Vetus illud Catonis scitum erat, qui mirari se aiebat, quòd non rideret Aruspex Aruspicem si vidisset [e]. Illi magistratuum ministri, inter scribas, medicos, accensos numerantur [f]. Choragus Plauti, in Velabro pistorem vel lanium vel Aruspicem conueniebat [g]. Qui vt priuatis, ita etiam Pontifici hostiam immolanti præsto erat. Vetus lapis.

a Cic. 3. de orator.

b Cicer. de Arusp. resp. Val. Max. lib. 1. cap. 1. Lactant. lib. 2. Inst. ca. 4.

c Tacit. li. 2. Annal. & 4. histor.

d Cic. lib. 1. de diuinat. & lib. 6. epistol. 18.

e Cic. lib 2. de diuinat.

f Cicer. 3. in Verrem.

g In Curculion.

ADIVTOR. ARVSPICVM. PONTIFICIS. ALBANI 304. 5.

De priuato locus Plauti [h].

h In Pœnul.

---vetui exta proficarier
neque ea adspicere volui, quoniam illa non bona
Aruspex dixit ---

Sic pro æde Apollinis sacrificanti Galbæ Vmbricius Aruspex tristia exta prædixit [i]. Quin & mortuis ipsis ille apparebat, vt inquinatissimus funeris arbiter [k], ideóque contemptus, spretus & ludibrio habitus fuit. Quamquam Aruspices à Romulo primùm in-

i Tacit. 1. histor.

k Tertul. in Apol. ca. 13. & lib. de spectacul. ca. 9.

ſtituti, dignitatem & amplitudinem ſeruarint. Hîc enim ex vnaquaque tribu illos ſelegit ἱερογκόπους vel ζωοσκόπους[a]. Et cum tres tantùm eſſent tribus, vehementer errant, qui Octumuiros Aruſpices, à Romulo creatos prodiderunt. Illi longo quaſi poſtliminio dignitati reſtituti, Claudij Imperatoris temporibus[b], qui ad Senatum retulit, ſuper collegio Aruſpicum, ne vetuſtiſſima diſciplina Italiæ, per deſidiam exoleſceret, quam Primores Etruriæ ſponte, aut patrum Romanorũ impulſu retinuiſſent, & in familias propagaſſent. Itaque Aruſpicũ collegium eò creuit, vt in ordinem trãſiret. Inſcriptio vetus eſt Romæ effoſſa, anno M. IↃCV. quã mihi Iac. Sirmõdus cõmunicauit.

a Dionyſ. li. 1. & 2. Varro lib. 4. de ling. latin.

b Tacit. lib. 2. Annal.

L. FONTEIVS. FLAVIANVS.
HARVSPEX. AVGG. CC
PONTIPEX. DICTATOR
ALBAN. MAG. PVBLICVS.
HARVS. PICVM. ORDINI
HARVSPICVM. LX. D.D

In hac inſcriptione notandus eſt magiſter publicus Aruſpicum. Alia eſt Beneuenti.

394.4. L. CASSENI. SOSPITIANI
EX. ORDINE. HARVSPIC. LX

Differũt aliquatenus Ordines à Collegiis, Corporibus, & Sodalitiis. Ordo enim dignitatẽ vel artẽ plurium deſignat, vt Equeſter ordo, Senatorius qui ampliſſimus; ordo publicanorum & mancipiorum[c]. Collegium tres faciunt[d]: Sacerdotum eſt σύναρχία Sodalitas ἑταιρεία. In quo lapſus eſt vir doctiſſimus cuius ingenium illuſtre altioribus iuris omniumque literarum ſtudiis, mihi faciliùs eſt in aliis mirari,

c Cic. 13. epiſt. 9. l. 15. §. ſufficienter. D. de vſufr.

d l. 85. D. de verb. ſig.

quàm laudare[a]. Error ex Martiani malè diſpuncta lectione, ex qua Collegia ſodalitia excogitauit. Legendum apud Martianum[b]. *Præſidibus præceptum ne patiantur eſſe collegia*, atque hîc adhibēda diſtinctio eſt, *Collegia, Sodalitia, néve milites collegia in caſtris habeant.* Scio ſodales dici qui eiuſdē ſunt collegij, ſed impropriè. Nam ἑταιρεία ſodalitiū eſt. Et malè interpres Dionis[c], ἐνὶ τῶ ἑταιρικοῦ vertit vni ex collegio, cum debuerit, vni ex ſodalibus. Sodales enim ſunt conſortes eiuſdem officij vel ſocietatis, dicti, quod vnà ſederent[d]. Vt vt ſit Collegia ſodalitia vix latinè vllus dixerit, ſed Collegia ſodalium. Sed ne perturbatione ordinum & collegiorum aliquid peccetur, aliud plerumque pro alio accipitur, vt collegium Senatorum, imò collegium ordinum[e]. Tres tamen ordinem facere, vt collegium nemo adfirmarit. Ad Aruſpices redeo, de quibus hoc ſolùm: quod illi ad publica prodigia duntaxat adhibebantur, cum ex Etruria à patribus acciebantur[f]. At Pontificum, Augurum, quindecimuirorum arbitrio, omnis omnino religio continebatur. Quorum quidem omnium ampliſſimum ſacerdotium fuit[g], vt ſummum. Sed Pontifices Augureſque maiorem in ſacris poteſtatem habuerunt, quorum dignitas & authoritas antiquis numiſmatibus maximè deſignatur. Nam vt quiſque Augur erat vel Pōtifex, ſacerdotij inſignibus illius imago in numiſmate notabatur. Quod etiam non obmiſerunt Triumuiri R. C. qui cum diuina iura humanaq; funditus euerterent, hæc religionis inſignia vt dignitatis præcipuæ retinuerūt. Nūmi Auguſti & M. Antonij.

a Cuiacius li. 7. obſeruat. cap. 30.

b l. 1. D. de colleg. & corp. illicit.

c lib. 48.

d Feſtus in verb. ſodales.

e l. 92. de decurionib. C. Theod.

f Liuius li. 1.

g Cic. 4. in Verrem.



Sunt & in nummis veteribus Quindecimuirorum sacerdotia denoteta, nusquam Aruspicum.

Atque hæc de quatuor summis & amplissimis tribus collegiis dicta sint, quæ ad religionis diuisionẽ pertinere videbantur. In hoc autem summorum sacerdotum ordine Pontifices primum locum tenuerunt, apud quos primùm omnia iura diuina humanaque, omnésque actiones erant, & penes illos harum interpretandi scientia[a]. Nam ante xii. tabulas, ea quæ in sacris libris habebãtur, legum vicem obtinebant[b]. In illo tum studio multum fuit admirationis ad Cn.

[a] l. 2. D. de orig. iur.

[b] Dionys. lib. 10.

Flauium vsque, qui Fastos Pontificum protulit, & mysteria eorum enũtiauit, quæ Iuris ciuilis peritiam continebant [a]. Cætera religionis arcana, nec prodita vsquam, nec intellecta, nisi à Pontificibus ipsis, qui suos habuerunt libros, in quibus ritus omnes & ceremoniæ explicarentur, quæ nobis maxima ex parte exciderunt. Libri enim Numæ septem de iure Pontificum ex S.C. in comitio, igne à victimariis facto, cremati sunt [b]. Quæ scripta sunt postea, à Pontificibus solis lecta & asseruata, quod in vulgus religionis disciplinam efferri, ius fasque non putarent. Quare perpauci de iure illo recondito tractare ausi sunt, de quo M. Cato libro septimo originum nonnihil delibauit [c], & in oratione quam de indigetibus habuit [d]. Plura certè M. Varro in suis Pontificalibus & antiquitatum diuinarum libris: & L. Cæsar qui Pontificalium libros scripsit [e]. Legimus Trebatium de religionibus aliquos edidisse [f], quem Labeo Antistius & Atteius Capito secuti sunt [g]. Fuere Fenestellæ Pontificales libri [h], & Rutilij Gemini, & Fabij Pictoris qui de iure Pontificio sedecim scripsit [i]. Bacides fatidicus oracula & lustralium libros vulgauit [k]. Narrantur Cloatij Veri sacrorũ libri [l]: Veranij Augurales [m]: Appij Pulchri de disciplina Augurali [n]: explanationes carminum Saliorum Ælij Stilonis [o]: Masurij Sabini de indigenis commentarij [p], qui omnes temporum iniuria perierunt. Summa autem quatuor collegia suos habuerunt proprios & peculiares libros.

[a] Cicer. pro muren.

[b] Liuius lib. 40. Val. Max. lib. 1. cap. 1.

[c] Cic. de senectut.

[d] Festus in verb. sequester.

[e] Aurel. victor.

[f] Macrob li. 3. satur. ca. 5. & 7. Seruius 11. Æneid.

[g] Agel. li. 4. cap. 12. Festus in verb. sistere fana.

[h] Senec. epist. 108.

[i] Macrob. li. 3. satur. cap. 2.

[k] Fulgẽtius. in verb. Aruales fratres.

[l] Festus in verb. moluchrum.

[m] Fest. In verb. paludati.

[n] Fest. In verb. Sollistimum.

[o] Fest. in verb. manuos.

[p] Agel. lib. 4. cap. 9.

Pontifices, Pontificales, annales maximos, commentarios sacrorum, fastos, ceremoniarum libros [a]. Augures, Augurales [b], Quindecimuiri, fatales, fatidicos vel Sibyllinos linteos, cõmentarios Vaticinos [c]. Aruspices, Aruspicinos, rituales, reconditos de fulminibus, fulgurales, Historias Tuscas [d]. Sacerdotes alij sacerdotales habuerunt, queis solis illos pertractare & euoluere licebat. Quare si externæ religiones vrbem incesserent, dabatur Prætori vrbano negotium ab Senatu, qui edicebat, vt quicumq; libros Vaticinos, precationésque, aut artem sacrificandi conscriptam haberet, eos omnes libros ad se ante diem certum deferret [e]. Duriùs actum cum M. Attilio duumuiro, qui cum librum secreta ciuilium sacrorum continentem custodiæ suæ commissum, corruptus Petronio Sabino describendum dedisset: Eum Tarquinius culeo insutum in mare abijci iussit [f].

[a] Cic. 1. de orator. Agel. li. 13. ca. 21. Sueton. in Iul. cap. 40. Tacit. 3. Annal.

[b] Cic. 1. de diuinat. Liuius li. 4. & 22.

[c] Vopiscus in Aurelian. Censorin. de di. natal.

[d] Festus in verb. rituales. Seruius in sched. & 6. Æneid. Dionys. li. 1

[e] Liuius lib. 25.

[f] Val. Max. lib. 1. cap. 1.

SACERDOTII DIGNITAS. QVIS primus Pontifices instituerit. Creati Patritij omnes. Pontifex vnde.

CAP. IIII.

SVMMA sacerdotij dignitas semper fuit, regiæque proxima Majestati. Mortuo Ascanio, Syluius Lauiniæ filius regnum adeptus est, excluso Iülo Ascanij filio maiore: pro regno honor

sacerdotij Iulo datus est, regio imperio securior & quietior[a]. At reges ipsi tandem & sacerdotes fuerunt. [a] Dionys.li. 2.

Rex Anius rex idem hominum Phœbique sacerdos[b]. [b] Virg.li.2.

Sacerdotibus autem eundem ferè habuerunt honorem quem ipsis Dijs[c]. [c] Artemid. li.2.cap.74.

Quis homo est tanta confidentia,
Qui Sacerdotem audeat violare[d]? [d] Plautus in Rudent.

Dæmones senex exclamabat. In vrbe quidem Roma, expertum bellis animum reges compararunt, & exercitui præesse, quàm sacris maluerunt[e]. Ne tamẽ desererentur, quædam publica reges ipsi factitarunt. Numa primus, quem Pythagoræ discipulum fuisse credunt[f], vniuersam sacerdotiorum dignitatem, in octo partes distribuit, in quibus Pontifices postremum locum tenuere[g]. Pontificem maximum Marcium M. filium ex patribus primùm legit, eique sacra omnia scripta consignatáque attribuit: quibus hostiis, quibus diebus, ad quæ templa sacra fierent, atque vnde in eos sumptus, pecunia erogaretur[h]. Huic tres adiecti Pontifices, Patritij omnes, quibus solis magistratus & sacerdotia adipisci licebat, dicti Pontifices à posse & facere: vt Scæuola Pontifex maximus & doctissimus docet. Vnde Pontificium pro potestate, & Imperio, à posterioris æui scriptoribus[i] vsurpatum. Quare iis assentiri non possum, qui Pontificem à ponte sublicio denominationem accepisse tradunt, vt M. Varroni[k], cùm quo scriptores ferè omnes consentiunt, malo enim hac in re Scæuolæ Pontificis authoritatem sequi: vt maximus dictus [e] Liuius li.2 [f] Cicer.2.de orator: & Tusculan.4 [g] Dionys.li. 2. [h] Liuius li.1. [i] Arnob. in psalm. 6. & 8.l.3. C. Theodos. de Episcop.audient. [k] lib.4. de ling.lat.

sit, quod maximi esset imperij. Atque vt maximæ dignationis Flamen Dialis inter quindecim Flamines[a], ita Pontifex max. inter Pontifices. Vt Prætor maximus qui vrbanus inter Prætores, [b] quē M. Tullius dixit Prætorem primum[c]. Sic maximus Curio inter curiones: Virgo Vestalis maxima, inter Vestales. Et pari loquendi modo, mulcta maxima quæ suprema: vt primum & maximum maiestatis crimen dicitur, (ita enim lego in C. Theod. l. 7. de indulgent. crim.) vbi maximè malè scriptum est. Aliter de Vestali sentit vir doctissimus[d], quod illa à Tacito vetustissima, ab Ouidio maior natu nuncupatur. At verò ætas non officit dignitati, præerat quidem cæteris, quæ prima capta, illáque semper ætate maior. Nam cum minorē annis sex & maiorem annis decem, capi fas non fuerit: Notum est primo decennio, Virgines doceri: secūdo sacris operā dare: tertio docere[e]. Quare non potuit ea cæteris præesse, quæ nondum docuisset. In veteribus inscriptionibus legitur sacerdos maxima Cereris. Romæ.

[a] Festus in verb. maximum Prætorem.
[b] Liuius lib. 25.
[c] Orat. in Pison.
[d] Lipsius de Vesta. cap 7
[e] Agel. li. 1. cap. 12.

308. 4.

CASPONIA. P. F
MAXIMA
SACERDOS. CERERIS
PVBLICA
POPVLI. ROMANI
SICVLA

Sed Maxima proprium est nomen sacerdotis, vt monuit Iac. Sirmondus societatis Iesu Theologus, sincerus mihi, candore noto, maximáque doctrina admira-

mirabilis, & Publica quidem Cereris ſacerdos fuit, ſed non Maxima, quæ ſola in municipiis perpetua ſacerdos, prima ſacerdos dicebatur, Cartamæ Hiſpan.

IVNIA. D. F. RVSTICA. SACERD. PERP ET. PRIMA. IN. MVNICIP. CARTIMIT 174. 8.

Fuit in Sicilia ſacerdos maximus Iouis [a], ampliſſimo ſacerdotio præditus. Maximi ergò nomen ad dignitatem referēdum eſt. Atque vt Prætor max. olim dictus qui primus & honoratior: Ita præſes primus curiæ, latinè loquentibus, Præſes maximus dici debet, & qui illum principem Senatus vocant magnitudinem dignitatis ignorant. Nam princeps Senatus, vt ſciunt omnes, ſenator erat qui primus ſententiam rogabatur: vt princeps ſententia in quam Senatuſconſultum fiebat [b]. Maximi tamen nomen eſt dignitatis & ordinis, vt in Pontificibus noſtris videre eſt, inter quos duo Pontifices maximi inueniuntur. Eſt enim & Pontifex max. minorum Pontificum qui primus in illud collegium venit [c]. Sed hæc πρόφρα vt alia permulta quæ fortè nec iniucunda, nec porrò inutilia: vt illud quoque quod veteres inſcriptiones monent. Romæ in Arcu Boario.

[a] Cicer. in Verrem. oratt. 7.

[b] Cic. de Auſpic. reſp.

[c] Feſtus in verb. minorum. Iſidor. orig. lib. 9. ca 3.

IMP. CÆSAR. L. SEPTIMIO. SEVERO PERTINACI. ARAB. ADIABENIC. PARTH MAX 11. 4.

Parthico maximo quod Parthos bello deuiciſſet. Facetè Antonio Caracallæ, cum Germanici & Parthici aliáque huiuſmodi nomina vendicaret, Pertinacis filius ioco dixiſſe fertur, adde ſi placet, Geticus Maximus, quod Getam occiderat fratrem & Gotti Getæ

dicerentur, quos ille tumultuariis præliis deuicerat[a]. Apud philosophos scientia maxima dicitur quæ summa & præcipua, μᾶλλον ϗ μεγίστη ἐπιστήμη[b]. Pontifex igitur maximus ita nuncupatus à potestate & imperio, quod vtrumque maximum legibus Romanis est assequutus. Illud verò mihi multò maximum erit, Præses doctissime, si quæ scribimus abs te comprobentur: Cuius ea ingenij vis est, vt maximam cùm summa probitate scientiam, sibi iure quodam suo possit vendicare.

[a] Spartian. in Caracal.

[b] Aristot. 1. posterior. cap. 8.

PONTIFICIS NOMEN COMMVne omnibus sacerdotibus. Pontifex Vestæ. Pontifices in municipiis. Pontifex maximus Sabinorum.

CAP. V.

PONTIFICIS nomen omnibus sacerdotibus commune fuit. Pontifex ἀρχιερεύς, ἱερεύς, ἱερομνήμων[c]. In antiquis inscriptionibus commendatur Pontifex sacrorum, Pontifex Cæsarum, Solis, Volcani, ædium sacrarum, Coloniæ, domus Augustæ, Fecialis, quinquennalis, Sacrorum, Saliorum. Inter hos Pontifex Vestæ vt viro maximi in literis nominis, sic mihi caligine profundæ vetustatis impedito, negotium facessit. Vestę aliumPontificem Lipsius non agnoscit præter Maximum[d] Romæ. Vetus lapis in templo sanctæ Priscæ.

[c] Gloss. vetio.

[d] lib. de Vesta. cap. 13.

438. 1.

HONORI
MEMMIO. VITRASIO. ORPHITO
PONTIFICI. SOLIS. PONTIFICI. VESTÆ
XV. VIRO. S. F. CONSVL

Quod igitur Lipſius putat tales titulos ad Prouincias coloniáſque referri, in eo lapſus. Memmius enim Orphitus vir nobilitate actibuſque ad exemplũ præcipuus, Præfectus vrbi, ſacrorum cognitionũ iudex, Comes in conſiſtorio ordinis primi, Quindecimuir ſacris faciundis, Conſul, idem fuit Pontifex Veſtę, nec tamen Pontifex Max. idque Romæ. Etenim in municipiis coloniíſue nulli huiuſmodi honores, in quibus tamen Veſta ſuos Pontifices habere potuit. Alia eſt inſcriptio Romæ.

AGORII
VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTATO. V. C
PONTIFICI. VESTÆ — QVÆSTORI
PONTIFICI. SOLI — CANDIDATO
QVINDECIMVIRO — PRAETORI. VRBANO
AVGVRI

1102.a

Hic Prætextatus Pōtifex veſtæ Romæ fuit, vixitq; ad Theodoſij & Arcadij tēpora. De illo multa Macrobius [a], Plura ſymmachus [b] qui Pōtifex maior has ad illũ literas ſcripſit. *Me impedit officij cura: te Baiani otij tenuit negligētia.* Et paulo poſt. *Niſi mauis authoritatē Pontificis experiri. Multa nobis in collegio deliberāda ſunt: quis tibi has inducias publici muneris dedit? Senties ius ſacerdotis, niſi impleueris ius amici.* Ex his ſatis conſtat Veſtæ Pontificem Romæ munus ſuum obijſſe & de Pontificum collegio fuiſſe, nec tamen Pontificem ſummum. Nam Pontifex Veſtæ peculiaris erat illius ſacerdos, vt Pontifex Solis & Volcani. De eodem idem Symmachus [c]. *Prætextato noſtro monumentum ſtatuæ deſtinant virgines ſacri Veſtalis Antiſtites. Conſulti Pontifi-*

[a] lib. 1. ſaturn. cap. 2.
[b] lib. 1. ab epiſtol. 38. ad epiſt. 49. & lib. 2. epiſt. 46. lib. 10. epiſt. 25.
[c] li. 2. epiſt. 36.

ces priusquam reuerentiam sublimis sacerdotij aut longæ ætatis vsum vel conditionem temporis presentis expenderẽt, absque paucis qui me secuti sunt, vt eius auspiciũ statuerent, adnuerunt. Ego qui aduerterẽ neque honestati virginũ talia in viros obsequia conuenire, neque more fieri quod Numa auctor, Metellus Cõseruator Religionũ omnésque Pontifices max. nunquam ante meruerunt. Hæc quidem silui ne sacrorum æmulis enuntiata noxam crearent. Inusitatum censentibus exemplum, modò vitandum esse rescripsi, ne res iusto orta principio breui ad indignos, per ambitum deueniret. Statua posita est Vettio Prætextato, vt patet ex veteri inscriptione reperta Romæ, quam Franciscus Iuretus, vir & doctrinę & amicitiæ nitore mihi commendabilis, suis miscellaneis adtexuit.

310.1. COELIÆ. CONCORDIÆ. VIRGINI
VESTALI. MAXIMÆ. FABIA. PAV
LINA. C. F. STATVAM. FACIEN
DAM. CONLOCANDAMQVE
CVRAVIT. CVM. PROPTER
EGREGIAM. EIVS. PVDICI
TIAM. INSIGNEMQVE
CIRCA. CVLTVM. DIVINVM
SANTITATEM. TVM. QVOD
HÆC. PRIOR. EIVS. VIRO
VETTIO. AGORIO. PRÆTEXTA
TO. V. C. OMNIA. SINGVLARI
DIGNOQVE. EIVS. AB. HVIVS
MODI. VIRGINIBVS. ET. SA
CERDOTIBVS. COLI. STATV
AM. COLLOCARAT

Vettius ergo Romæ Pontifex Veſtæ τῆς Ἑστίας ἱερομνήμων ſacrorum rituum memoriæ præfectus, & Deæ obſequio perpetuo deuotus.

Veſtales virgines Pontifices etiam Veſtæ dictæ ſunt ἱερὰς Ἑστίας vt inſcriptio alia etiamnum declarat Romæ ſupra forum Trajani.

MANSIONES. SALIORVM. PALATINOR. A. VETERIBVS 173.5.
OB. ARMORVM. ANNALIVM. CVSTODIAM. CONSTITVTAS
LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS. PECVN. SVA. REPARAVERVNT
PONTIFICES. VESTÆ. V.V. C.C. PRO. MAGISTERIO
PORTII. ACILII. LVCVLLI. VITRASI. PRÆTEXTATI
V. V. C. C

Notæ literarum nihil aliud ſignant, quàm Virgines Veſtales Caſtiſſimæ, quæ Veſtæ Pontifices notantur. Sed vt Pontificem Veſtæ Lipſius extra vrbem ad Prouincias Coloniáſque malè retulit: Idem Veſtales nullas in iis fuiſſe, ſed Pontificem aliquem vel Flaminem proprium ei Deæ nimis audacter aſſerit; contra veterum authorum & lapidum fidem. Quod non dico, vt virum alioqui poſt veteres in iuuandis literis facilè principem traducere videar: ſed vt errorem tollam. Nam Albæ Veſtales fuiſſe Rhea Siluia indicio eſt [a], atque etiam Tiburi inſcriptiones teſtantur, quarum vna Romæ in hortis Medicæis.

[a] Dionyſ. lib. 2. Liuius li. 1. Plutarch. in Romul. 1088.3.

SAVFEIÆ. ALEXANDRIÆ.
V. V. TIBVRTIVM
CAPLATORES. TIBVRTES.

1088.3. MIRÆ. EIVS. INNOCENTIÆ
QVAM. VIBA. DECREVERANT
POST. OBITVM. POSVERVNT
L. D. S. C

Altera Tiburi

215.5. C. SEXTILIVS
V. V. TIBVRTIVM
LIB. EPHEBVS
HERCVLANIVS
AVGVSTALIS

In his videmus virgines Veſtales Tiburtes, quas Lipſius non agnoſcit. Quod verò in priori inſcriptione ſcriptum eſt CAPLATORES, legendum CALATORES qui virginum Veſtalium miniſtri. Quod ex iiſdem lapidibus comprobatur. Fundi in Latio.

307.6. VINICIO. COCTÆO. CALAT
VII. VIR. EPVLO. LIBERTO
OPTIMO PATRONVS

Sirmondus cuius conſilio & ſtudio in recenſendis libris meis maximè vſus ſum, Caplatorē ad funarios fortaſſe referēdum putat. Caplum enim gloſſæ interpretantur funem nauticum. Magis mihi placent Calatores ſacrorum miniſtri: nec tamē incido funē quo maximè deuinctus ſum ei viro, in quo omnia ſunt, quæ aut doctrina hominibus aut natura largitur.

Fuit & Calator fratrū Arualium, Calator Sacerdotij Titialium cæterorúmque Sacerdotum, qui ſacris deſeruirent. Calatores δοῦλοι δημόσιοι, καθίπολοι. Atque vt Virgines Veſtales in Prouinciis & Coloniis, ſic Pontificum Collegium in illis inuenimus. Fue-

re enim Pontifices Albani. Lapis Albæ in latio.

TI. CAISARI. DIV. AVG. F 235. 8.
DIVI. IVLI. N. AVGVSTO
PONT. MAX. COS. V. IMP. VIII. TRIBVN
POTEST. XVIII
PONTIFICES. ALBANI
Q. IVLIVS Q. F. FAB. RVFVS
C. IVLIVS C. F. SCA. BASSVS
TI. IVLIVS TIB. F. FAB. MERVLA
M. IVLIVS C. F. FAB. SENICIO

Hi omnes ex eadem gẽte (quod Romæ ſacrorũ legibus vetitum erat, vbi duo ex eadem gente eſſe nõ poterant) nullum habuerunt Pontificem maximũ, præter Tiberium id eſt præter Romanum. Fuit tamen Pontifex maximus Sabinorum. Lapis propè Mantuam in villa Ande Cunis Virgilij nobiliſſima.

P. VERGILIO 305 7.
P. FILIO
PONT. MAX
SABIN

Suſpicor Sabinos cùm de Imperio cum Romanis decertarent, Pontificum Collegium habuiſſe, atq; in eo Pontificem maximũ quem deuicti ob honorem religionis retinuerũt, ſolo nomine Sacerdotij inſignẽ. In quo tantũmodo coniectura ducor ad ſuſpicandum. Nã verè dicebat vir magnus: Propter antiquitatis inſcitiam, cuius mores hodie non agnoſcimus, pleraq; mirari magis quàm intelligere poſſumus. Sed in rebꝰ perditis, & deſperatis, aut in ipſa vetuſtate ſepultis liberè vnicuiq; licet opinari, & quid ſentiat explicare.

PONTIFEX VNIVERSÆ PALAEstræ ad vitam. Sacerdotes perpetui. Flamen Diuorum omnium.

CAP. VI.

INTER tot Pontifices, occurrit Pontifex vniuerſæ palæſtræ ad vitam, in cuius palæſtram huc vſque nemo deſcendit. Hic in antiquis inſcriptionibus latet. Romæ in foro Trajani.

ΗΤΡΙΟΝ ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗΝ Φ
313.10. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΑ.ΠΑΝΚΡΑΤΙΑCΤΗΝ.ΠΕΡΙΟΔΟΝΕΙΚΗΝ
ΠΑΛΑΙCΤΗΝ. ΠΑΡΑΔΟΞΟΝ. ΑΛΕΙΠΤΟΝ Φ
ΤΟΝ.ΑΡΧΙΕΡΕΑ.ΤΟΥ.CΥΝΠΑΝΤΟC.ΞΥCΤΟΥ
ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. ΞΥCΤΑΡΚΗΝ. ΚΑΙ. ΕΠΙ. ΒΑΛΑΝΙ
ΩΝ. CΕΒ. ΤΟΝ. ΠΑΤΕΡΑ. Φ

Quod ita reddit Ioannes Gruterus, cuius opera & labore inſcriptionibus hiſce fruimur, cuique maximã reuerentiam literę debent vt Seruius de Albino dicebat: *Demetrium Hermopolitam Alexandrinum, omnis luctæ peritum, vndique victorem luctatorem admirabilem, indefeſſum, Pontificem vniuerſæ Palæſtræ ad vitã, Palæſtræ præfectum, & in balneis Aug. patrem.* De Paleſtritis Vl-
a l. Athletas D. de his qui not. infam. pianus Iuriſcõſultus[a]: Neque Thymelici neque Xyſtici, nec agitatores, nec qui aquam equis ſpargunt, cæteráque eorum miniſteria, qui certaminibus ſaeris deſeruiunt ignominioſi habentur. Deſignatores autem quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicrum non facere Celſus putat, qui miniſterium non artem

artem ludicram exercent. Errauit Alciatus[a] qui Θεσβῶπας interpretatur ludorum Præsides, ex Iulio Pollu-luce, longe enim alia mens fuit Pollucis[b]. τοῖς δὲ γυμνικοῖς, ἐφεσᾶσι Θεσβῶται καὶ μαστιγόμει ὃ καὶ ῥαβδοῦχοι. Τὰς δὲ βεσβώτας καὶ ὑπισάτεις ὠνόμαζον ὅθεν καὶ βεσβώτειν, ὑπισατεῖν Σοφοκλῆ. Plautus noster[c].

[a] lib. 2. præ-termissor.
[b] lib. 3.
[c] in prolog. Pœnul.

. . neu lictor verbum aut virgæ mutiant
Neu desiguator præter os obambulet.

Desiguator ὑποδείκτης[d] vt Budæus animaduertit, & βεσβῶται viliores sacrorum certaminum ministri, οἱ τὰς βασιλικὰς ῥάβδους ἔχοντες[e]. Qui in illis certaminibus ritè & rectè omnia ordinabant, vt turba retineretur maximè curabant, & totam rem ludicram designabant. Præerant his ludis magistratus aut principes, vt Æneam videmus certaminum omnium arbitrum & moderatorem[f]. Pontifex autem Palæstræ Xysti præfectus, scenicis, musicis, Thymelicísque Xysticis & cæteris præfuit qui in Palæstra desudabant. Hic discernebat quomodo cursorem faceret aut pugilem aut luctatorem. Et secundum habitum illos sacris certaminibus accommodaret. Ille idem γυμνασίαρχης ξυσάρχης dictus à loco in quo athletæ exercebantur, qui à veteribus Græcis Gymnasium & Palæstra, à Romanis Græco etiam vocabulo Thermæ nuncupantur. Martialis[g],

[d] gloss. vet.
[e] Author etymolog.
[f] Virgil. 5. Æneid.

Hic vbi miramur velocia munera, Thermas.

[g] Martial. de spectac. epig. 2.

Vir doctissimus Pontifex Palæstræ literariæ, vel post vitam, locum hunc interpretatur, quod extructæ sint Thermæ celeriter ex Suetonio in Tito. Rectè quidem, & posset tamen de cursoribus intelligi, qui nu-

di & vncti veloces decertabant atque in Thermis exercebantur: Quod ex ipso Martiali augurari licet [a].

[a] lib.3 epig. 68.

Gymnasium Thermæ, stadium est ex parte, recede,
Exuimur, nudos parce videre viros.

Sed in Xysto satis superque spatiati sumus: quærendum nunc est quid sit ἀρχιερεὺς διὰ βίου. Sacerdos ad vitam, quem perpetuum Pontificē dicere possemus, quasi non ad tempus sacerdotio illo fungeretur. Sic Pontifex perpetuus domus Augustę dictus est, quem nos hodie (ni fallor) Eleemosinarium ordinarium vocaremus. Sacerdotes verò perpetuos duorum generum fuisse arbitror. Alios quibus sacerdotium viuentibus adimi non possit, qui propriè perpetui sacerdotes ἀϊδίου βίου. Alij sunt quibus Sacerdotiū quidem aufferri potest; dicti tamen perpetui, quod assidui essent in sacrorum cura. Ita M. Tullius perpetuos Senatores appellat [b], qui tamen Senatu moueri potuerunt.

[b] In orat. post redit. in senatu.

Lapsus hercle est Carolus Sigonius [c], cùm asserit sacerdotum omnium proprium fuisse vt essent perpetui. Nam Plutarchus hoc ius Auguribus competere tradit, vt ne damnati quidem sacerdotio spoliarentur. Reliquis in exilium actis disertè negat [d]. Τῶν ἄλλων ἱερέων τὸν καταδικασθέντα ἀϊδίου φύλακα πάντες ἕτερον αἱροῦνται, τὸν δὲ Αὔγουρος ἕως ζῇ, κἂν ὑπὸ τῶν μεγίστων ἀδικήμασι καταγνωσθῇ, οὐκ ἀφαιροῦνται. Plinius eadē de Auguratu loquitur [e]. *Sacerdotium*, inquit, *priscum & religiosum, hoc quoque sacrum planè & insigne est, quod non adimitur viuenti.* Fuerunt & alia sacerdotia, quæ viuentibus

[c] lib. 1. de antiq. iur. Rom. ca. 19

[d] In quæst. Rom. 99.

[e] li. 4. epist.

non eriperentur. M. Lepidus pontifex max. in summa rerum perturbatione exemplo nobis est. Et Regi sacrorum hic honos fuit, vt esset perpetuus, ὁ τιμὴ τοῦτον ἀφ' βίε ἔξων[a]. Cæteri sacerdotes alia ratione dicti perpetui, quòd illorum ministerium publicè semper vsui esset. Quales sunt Flamines, quorum sacerdotium ἀφ' βίε non fuit[b]. Nam si vxorem Dialis amisisset, Flaminio decedebat, imò ob leuem plærũque culpam sacerdotio mouebatur. Vt P. Clœlius Siculus, M. Cornelius Cethegus, C. Claudius, qui propter exta parum curiosè admota aris Deorum immortalium Flaminio abire iussi sunt, atque etiã coacti. Sulpitio apex inter sacrificandum è capite prolapsus, sacerdotium abstulit[c]. Dicebantur tamen Flamines perpetui, vt in inscriptionibus passim leguntur, Flamen perpetuus pacis Iuliæ, Victoriæ, Fœlicitatis: Flaminica Augusti perpetua, ab eo quod iuge illorum officium esset. Hi omnes sacerdotes erant proprij alicuius certi numinis, vt veteres illi Dialis, Quirinalis, Martialis. In Prouinciis Flamines quinquennales & ad tempus. De his Constantinus Imp. ad Felicem præfectum prætorio[d]. *Afri Curiales conquesti sunt quosdam in suo corpore, post Flaminij honorem & Sacerdotij decursa insignia præpositos compelli fieri mansionum: Iubemus nullum prædictis honoribus splendentem ad memoratum cogi obsequium.* Et quoniam Flaminem vni Deo peculiariter addictum scripsimus: ne quem veteres inscriptiones morentur, in quibus FLAMEN. DIVORVM. OMNIVM: Sciat ille Flaminis nomẽ vt Pontificis commune sacerdotibus publicis muni-

[a] Dionys. li. 4.

[b] Agel. lib. 10. cap. 15.

[c] Val. Max. lib. 1. cap. 1. Plutarch. in Marcello.

[d] l. 2. C. Theod. de Decurioni.

359. 3. 490. 2. & 3.

cipiorum fuisse, & sacerdotem præcipuum hac appellatione designatum.

PONTIFICIS DENOMINATIONES variæ. Filij sacrorum.

CAP. VII.

VT Pontificis nomen commune fuit omnibus ferè sacerdotibus: sic Pontifici & iis qui sacris præerant variæ denominationes impositæ, à Græcis Latinisque. Hos ἱερολδιδασκάλους, ἱερογνώμους, ἱερογύλακας, ἱεροφάντας Dyonisius vocat[a]. Sunt in inscriptionibus Πατέρες τῆς ἱερέας πάξεως, inter quos inuenio Patrem Deorum omnium[b], qui idem est ac Flamen. Vettius Prætextatus, Pontifex Vestæ idem pater sacrorum Achaiæ nominatur. Fuit pater patrum Dei solis, qui clariore non indiget luce. Fuere Antistites Fortunæ perpetuæ: Archibucoli Dei Liberi: Archierei Synodi, quos præterire Pontifices iubent, ne ab illis longiùs discedere videamur. Non omittam tamen filium sacrorum, de quo elegans inscriptio Romæ.

a lib. 2.

b 21. 3.

75. 8. 313. 8. 3202. 2.

I. O. M. H. AVG.
SACR
GENIO. FORINARVM
ET. CVLTORIBVS. HVIVS
LOCI. TERENTIA. NICE
CVM. FONTEIO. ONESIMO. FILIO

9. 5.

SACRORVM. SIGNVM. ET. BASIM.
VOTO. SVSCEPTO. DE. SVO. POSVIT

Alia est quam supra notauimus Demetrij Hermopolitani.

ΑΝΕΚΛΗΤΟC. ΞΥCΤΑΡΚΗC. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. Ο. ΥΟC 313. 10.

Palæstræ Princeps ad vitam filius. Massiliæ in ædicula saluatoris Περσφήπου υἱός. Dicebantur filij sacrorum, quorum cum pater sacerdotium gessisset, ij in illius locum succedebant. Seruius Virgilij verba interpretatur, olímque sacerdos[a], *aut cuius maiores, sacerdotes fuissent, quibus in sacris quoque succedebatur.* Quod in Isidis sacerdotibus Memphiticis obseruabatur. In sacris enim Isidis vnus erat Pontifex primus, qui cum è vita discessisset, filius substituebatur[b]. τῶν εἰς ὕστ ἀρχερεὺς; inquit Herodotus, ἐπιὰν ὁ τῆς ἀποθάνῃ τούτῳ ὁ παῖς αἰτικατίσαται. De Thiamide hoc idem Heliodorus[c], ἐγὼ γὰρ ὡς ἴστε, παῖς μὲν περσφήπου τοῦ ἐν Μέμφει γεγονὼς, ἀποτυχὼν δὲ τῆς ἱερωσύνης μετὰ τὴν τοῦ πατρὸς ἐπανακόμισιν, ἀδελφοῦ νεωτέρου, τοῦτον ἀποδυομένοις πρελέσθαι. Quod est, Ego, vt scitis, cum essem filius Memphitici Antistitis priuatus dignitate sacerdotij, quam frater natu minor, post patris obitum mihi contra leges eripuit. Nec tamen ea Gentilitia sacerdotia dixerim, qualia fuere Romanorum, quæ hereditaria fuisse frustrà putaremus. Illa enim non ad gentem aut familiam pertinebãt, sed publica censebantur. Συγγενικὴ (ait Dionysius) ἱερωσύναι, οἱ τὰ κοινὰ περὶ τῆς πόλεως ἱερὰ συμπελοῦντες, κατὰ φύλας τε καὶ φράτρας, qui pro ciuitate sacra curiatim aut tributim faciebant.

458. 1.

a 2. Æneid.

b Herodot. lib. 2.

c lib. 1.

PONTIFICIS MAXIMI CREATIO.

Aliorum cooptatio. Lex Domitia. Quomodò Curiata Comitia Auſpiciorum cauſa remanſerunt.

CAP. VIII.

AT verò Pontifices noſtri fuerunt publici populi Romani ſacerdotes, quos capi vt Veſtales & Flamines Diales, docet Agellius [a], ex L. Sullæ rerum geſtarum libro ſecũdo, & M. Catonis oratione de Luſitanis. C. Flaccus Flamen captus à P. Licinio Pontifice maximo fuit [b]: quod de Pontificibus cæteris accipiẽdum eſt, non de maximo. Hunc enim capi non ſolere, Catonis ipſius verba declarant: *Ego*, inquit, *me nunc volo ius Pontificum optimè ſcirè: Iamne ea cauſa Pontifex capiat?* Ante legem Domitiam Pontifices à Collegio cooptabantur: Comitiis Pontifex maximus creabatur.

a li. 1. ca. 12.

b Liuius li. 26.

Iń libro Lælij Fœlicis ad Q. Mucium primo [c], ſcriptum eſt *Labeonem tradere, Calata Comitia eſſe quæ pro Pontificũ Collegio haberentur*, id eſt à Collegio vel apud Collegium. *atque illa aut regis ſacrorum aut Flaminum inaugurandorum cauſa. Eorum alia fuerunt Curiata alia Centuriata. Rex ſacrorum Comitiis Centuriatis: Flamines Curiatis facti, Patritij omnes.* Ea de cauſa Centuriatorũ & Curiatorũ Comitiorũ auctores M. Tullius Ponti-

c Agel. li. 15. cap. 27.

fices appellat, non etiam Tributorũ[a]. Comitia enim Põtificia ab iis diuersa, quæ pro Collegio Pontificũ. Sunt enim illa, quibus Pontifices Tributis Comitiis creabantur[b]. Quæ non Pontifices ipsi, sed Consules habere consueti. Rullus Tribunus pleb. cum iussisset creari Decemuiros per Tribus septemdecim vt quẽ nouem Tribus fecissent, ipse Decemuir esset: In secundo legis capite addidit[c], *vt Comitis Pontificis maximi.* Non enim Tribus omnes, sed Septemdecim sõlùm sorte ductæ, de Pontifice maximo suffragium ferebant.

[a] Cicer. pro dom. sua & 2. in Rullũ.

[b] Cicer. pro Cœlio.

[c] Cic. 2. in Rullum.

Alia quoque Sacerdotum Comitia Tributa erant, vt Curionis maximi, Augurum, Quindecimuirorum, & Pontificum maiorum minorũmque. Quod & ipse Tullius docet[d]. *Maiores nostri*, inquit, *tam fuerunt populares, vt quod per populum creari fas non erat, propter religionem sacrorum, in eo tamen propter amplitudinem sacerdotij, voluerint populo supplicari. Et quòd populus per religionem sacerdotia mandare nõ poterat, vt minor pars populi vocaretur, ab eo qui esset factus, is à Collegio cooptaretur.* Quare Pontifex max. cum de Collegio Pontificum esset, ab illóque pridem cooptatus, ab eodem iterum in sacerdotium amplissimum cooptabatur, post legem Domitiam, qua ius Sacerdotum subrogandorum, à Collegiis ad populum translatum est. Hac itaque lege Pontifices omnes Tributis comitiis creati fuerunt. De maximo nemo ambigere potest ex verbis Ciceronis, quem Suetonius sequutus est[e]. Ille, *Cum Cæsar*, inquit, *Pontificatum maximum petiit, potentissimósque competitores haberet, plura in eorum Tri-*

[d] Cic. epist. 14. ad Brutum. Liuius. lib. 39.

[e] Sueton. in Iul. cap. 13.

bubus ſuffragia, quàm vterque in omnibus tuliſſe fertur. Tributa illa non propriè Comitia ſed plebis conſilium erant, quod ad ea plebs tantùm vocaretur, patribus ex conſilio ſummotis [a]. Quæ primùm inita in Coriolani iudicio, ad extrema Reip. tempora perdurarunt. Cum itaque Pontifices maximi curiatis primùm Comitiis fierent, vt Patritij ſacerdotes omnes: poſtquam ſacerdotia ſunt plebi communicata, Curiata illa comitia exoleuerunt, & Tributis locus fuit. Illa quidem tributa Comitia ante legem Domitiam, ab vno ex Collegio haberi ſolebant, qui in illo plurimum poſſet. Sic M. Cornelius Cethegus nouus Pontifex, poſt mortem L. Lentuli Pontificis maximi, P. Licinium Craſſum Pontificem max. renuntiauit [b]. Quæ renuntiatio fieri non potuit, niſi ab eo qui Comitiis præeſſet.

[a] Liuius li. 2

[b] Liuius li. 25.

Valde lapſus Carolus [c] Sigonius, omnis antiquitatis alioquin peritiſſimus, qui ab æternæ vrbis illuſtratione, æternitatem immortalitatémque nominis ſibi comparauit. Scripſit ille Lentulum Pontificem maximum duobus ſacerdotiis præditum fuiſſe, Pontificatu ſcilicet, & Pontificatu max. Atque in eius mortui locum M. Cornelium Cethegum Pontificem, P. verò Craſſum Pontificem max. ſuffectos. Duo quidem Sacerdotia vel plura vnus & idem gerere poterat, & Pontifex, Augur, Decemuir ſacrorum eſſe [d], ſed in eodem Collegio in quo vel duo ex eadem gente eſſe non poterant, [e] neque dictum neque fictum, vt vnus duos Pontificatus obtineret. Errorem Sigonij detegit, quòd Pontificatus maximi candida-

[c] In Annotat. ad Liuiũ lib. 25.

[d] Liu. li. 40.

[e] Dion. li. 39

tus

tus nemo esse potuit qui idem non esset Pontifex, atque ille ante legem Domitiam, si in Maximum cooptaretur, alter in illius locum Pontifex maior legebatur[a]. Vt cum P. Licinius Pontifex Maximus mortuus est, in eius locum M. Sempronius Tuditanus Pontifex cooptatus est. Numerus enim Pontificum certus & definitus, qui nec augeri nec minui potuit. Et cùm Pontificis Maximi comitia habebantur, qui nouissimè cooptatus fuerat, Pontificatum ipse Maximum poterat adipisci. Quod à Nicolao Grucchio[b] didici viro præstantis doctrinæ, exquisitæ, reconditæ: Cuius sententiam sequor de tributis Pontificum Comitiis, quæ consules habuerunt, vt Pontifices Curiata.

[a] Liuius li. 39. & 40.

[b] li. 2. de Comitiis, ca. 3.

In his aliquantulum immorari lubet, quæ multorum ingenia exercere possunt, meum verò admodùm fatigarunt. *Centuriata lex*, ait Tullius[c], *Consulibus ferebatur, cum Curiata cæteris Patritiis magistratibus, tum iterum de iisdem iudicabatur, vt esset reprehendendi potestas, si populum beneficij sui pœniteret. Nunc quia illa prima Comitia tenetis, centuriata & tributa; Curiata tantùm Auspiciorum causa remanserunt. Adumbrata herclè illa, vt dicis, causa.* Fuluius Vrsinus summus vir in omni doctrina, Ciceronis verba ex Pantagatho sic exponit, vt putet Patritios Magistratus apud maiores binis Comitiis creari: Prioribus designari, alteris confirmari. Priora Centuriata esse in Patritiis: tributa in plebeiis. Apud minores mutatam esse rationẽ. Nam prioribus Comitiis cùm designari, tum confirmari omnem magistratum: Posterioribus Curiatis

[c] 2. In Rullum.

non confirmari ſed ordinari: hoc eſt pro triginta Curiis lictores adhiberi, hocque Auſpiciorum non confirmandi aut reprehendendi cauſa. Vrſini ſententia rationem habet, opinionem reſpuo Sigonij [a], qui Curiata hæc Comitia ad prærogatiuam Centuriam transferre voluit. In hoc enim laborandum illi fuit, vt doceret quomodo Curiata Comitia Auſpiciorum cauſa remanſerunt, quæ omen prærogatiuarum non requirebant. In re obſcura à M. Tullio [b], duce & auſpice lux petenda eſt. Ille. *Si Patritius nemo relinquitur, breui tempore populus Rom. nec Regem Sacrorum nec Flaminem, nec Salios habebit, nec ex parte dimidia reliquos Sacerdotes, neque authores Centuriatorum & Curiatorum Comitiorum, Auſpiciáque populi Rom. ſi magiſtratus Patritij creati non ſint, intereant neceſſe eſt.* Nemo neſcit ius Auſpiciorum maiorum minorúmque ſolos Patritios habuiſſe. Quare nulli magiſtratus Patritij inauſpicatò creati, vt nec Patritij Sacerdotes, qui hîc à Cicerone magiſtratus appellati videntur. Si igitur Tributis Comitiis Patritius Pontifex deſignaretur, propter vim Auſpicorum, Curiatis confirmabatur; cùm plebeij Sacerdotes Comitiis tantùm tributis fierent, quod nulla Auſpicia haberent. Atque ſic intelligo Curiata Comitia tãtùm Auſpiciorum cauſa remanſiſſe.

[a] lib. 3. de antiquo iur. prouinciar. cap. 3.

[b] pro dom. ſua.

Sed vt ad Pontificum creationem redeamus, mouent me M. Tullij verba, ex quibus colligimus, populùm non illos creaſſe, propter religionem ſacrorum, ſed ſuis ſuffragiis deſignaſſe, poſteaque à collegio cooptatos. In quo non modò amicitias violari

fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, eum qui cuiquam ex Collegio esset inimicus[a]. Nos hodiè *ius nominationis*, quod vocant populo Rom. darémus, canonicam verò institutionem Collegio. Quod quidem nominationis ius, nouum non est. Dicta enim nominatio Sacerdotum vt magistratuum[b]. *In paternum*, inquit M. Tullius de Cn. Pompeij filio, *auguratus locum, vt quod à patre acceperam, filio reddam, mea nominatione cooptabo.* Ab eo *dies nominationis* Plinio[c]. Atque hic mos Comitiorum Pontificiorum ad Iulium Cæsarem vsque seruatus, qui Comitiis Tributis profusissima largitione Pontificatum maximum adeptus est[d]. In cuius posteà locum M. Lepidus furto creatus[e], Comitiorum ordine ab Antonio neglecto, nullis Auspiciis, turbatis maiorum institutis, vt gratiam Lepidi quem pertimescebat nouo beneficio demereretur. Quod fracta Repub. ausus Antonius Senatusconsulti authoritatem vel exemplum secutus, quo patres pessimo publico censuerunt, vt si filius Iulio Cæsari nascereturi, is summus Pontifex constitueretur[f]. Maximum autē Pontificem Dio vocat Ἀρχιέρεα cæteros ἱερέας, quo magis miror hominem Græcum in rebus Romanis exercitatum, verum Pontificis max. nomen non obseruasse. Nā quilibet Pontifex ἀρχιερεύς, Pontifices enim omnes, Sacerdotes populi Rom. Antistites Deorum immortalium, interpretes erant religionum[g]. Inter quos qui maximus Ἀρχιερεὺς Μέγας dicebatur, vt Græcis Iulij Cæsaris, Lepidi & Augusti numismatis comprobamus.

[a] Cicer. li. 3. epist. 10.
[b] Cicer. Philippic. 13.
[c] li. 4. epist.
[d] Sueton. in Iul. cap. 13.
[e] Velleius Paterc. li. 2.
[f] Dio li. 44.
[g] Cic. pro dom. sua.

In hac antiquitatis disquisitione, Antoni Præses dignissime; ego qui inter proletarios scriptores sum, si iuuandi studio aliquid conor, etiamsi quod volo minus assequor, tamen vel ipsa voluntate vituperandus non sum. Patet campus, in quo excurrere doctiores possunt, & verborum angustias, literarúmque angulos, quibus sæpè irretitus animus fatigatur, tutò deuitare. Nullum erit populi in hoc certamine studium, sed eruditorum iudicium, quibus, vt tibi nostra hæc lubens permitto.

DE LEGE DOMITIA ITERVM. IN petitione absentium ratio habita. De lege Ogulnia. Sacerdotium plebi communicatum.

CAP. IX.

[a] lib. 2.

[b] In orat. pro Cornelio.

TERTIO C. Marij Consulatu, vt Paterculus [a], vel secundo vt Asconius prodit [b]. Cn. Domi-

tius Neronis Imperatoris atauus Tribunus pleb. legem tulit, vt Sacerdotes quos antea Collegæ sufficiebant, populus crearet. Ille quod per ceremonias populi fieri non poterat, ratione assequutus est [a], vt quoad posset, quod fas esset, quoad liceret, populi ad partes daret. Legis tamen ferendæ causa hæc vna fuit, quod Domitius in Tribunatu Pontificibus offensior, qui alium quam se in patris sui locum cooptarant [b]. Rogationem antea promulgauerat C. Licinius Crassus Q. Maximo & L. Mancio Coss. quam dissuasit Lælius [c], vendibilémque Crassi orationem facilè vicit, tantus tunc religioni honos habebatur. Quæ vtcumque neglecta vel immutata, cuiusuis Reip. interitum prænuntiat. Quod igitur Licinius Crassus non potuit, Cn. Domitius fauente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo Rom. dedit, & potentissimorum hominum Collegiis eripuit cooptandorum Sacerdotum potestatem [d].

[a] Cic. 2. in Rullum.

[b] Suetonius in Neron. cap. 2.

[c] Cic. lib. de Amicit.

[d] Asconius pro Cornel.

Tributis facti Comitiis Pontifices, antequam Curiatis confirmarentur, vel à Collegio cooptarentur Sacerdotiúmque inirent, vt cæteri magistratus *Designati* dicebantur. Vetus Lapis.

SACRATA. DOMVS. AVGVSTO
M. CLODIVS. PONT. DESIG.

244. 1.

Sic Cæsar Iulius dicitur *Flamen Dialis destinatus* [e]. Legis autem Domitiæ monumenta extant in veteribus nummis Cn. Domitij.

[e] Sueton. in Iul. cap. 1.



Simpulum quod ſupra Curulem eſt, aliáque inſtrumenta Pontificalia, quæ in altero numiſmate viſuntur, legem illam Domitij reſpiciunt, illiúſque Pontificatum. Cum enim Pontificum ille iura euertiſſet Tribunus pleb. Conſul poſtea, & Cenſor & Pontifex max. fuit[a]. Huius lex victore Sulla antiquata eſt, ſpoliatúſque populus Rom. arbitrio creandorum Sacerdotum per annos decem[b]. At Labienus Cicerone Conſule de Pontificibus creandis, rogationem tulit, iterumque populus contra Sullæ, Domitij legem in Iulij Cæſaris gratiam renouauit[c]. Qui Dictator factus, eam ipſam neglexit legem, qua fuerat adſtrictus[d]. Pontifices enim defunctis ſuffecit, nullis eorũ legibus obſeruatis. Exin mortuo Cæſare, Lepidus ab Antonio furto Pontifex max. factus eſt. Quod vt aliquam pietatis ſpeciem haberet, electionem à populo ad pontifices Antonium iterùm tranſtuliſſe ſcribit Dio[e], ὅπως γὰρ δὴ ῥᾳδίως αὐτὸ ποίηση, ἐς τε τοὺς ἱερέας αὖθις ἀπὸ τοῦ δήμου, τὴν αἵρεσιν τῶν ἀρχιερέως ἐπεμήχανε. Viderint antiquitatis periti quomodo pontificis maximi electionem ad Collegium iterum tranſtulerit Anto-

a Cicer. pro Deiotar.

b Aſcon. in diuinat. in ver.

c Dio li. 37.

d Dio li. 41.

e lib. 44.

nius, quam antea nunquam pontifices habuerunt. Nam ante legem Domitiam, Pōtificatus max. à populo Curiatis Comitiis dabatur. Quod Sulla non mutauit illo decennio [a]. Etenim cùm à Marianis partibus Scæuola Pontifex max. in vestibulo ædis Vestæ occisus esset: Metellus Pius Sullanæ factionis studiosus adolescens, in petitione Pontificatus Consularibus viris prælatus est. Petitionem nemo non dixerit ambitum, quo fauor populi captari solet. Dionis tamen error nullus est sed interpretis qui ἀεὶ is in posterum, non iterum vertere debuit. Nam cum lex Domitia ab Antonio, antiquioréque de Sacerdotiis leges omnes perfractæ: ne illud Lepido fraudi esset, non solùm cooptationem Sacerdotum, sed etiam Pontificis maximi creationem collegiis permisit, quod nouum nec factum priùs, vt Lepidum vitio creatum confirmaret, simulatóque Augurio illum Pontifices cooptarent & comprobarent.

[a] Author de Vir. illustr.

In Sacerdotiorum petitione absentium ratio habebatur [b]. Nam cum C. Marius in Cappadocia esset, lege Domitia factus est Augur nec quominus id postea liceret vlla lex sanxit. Est etiam in lege Iulia, quæ lex est de Sacerdotiis proxima, his verbis, *Qui petit cuiúsue ratio habebitur*, aperte indicat rationem haberi non præsentis. Idem Iulius Cæsar absens ante legem ipsam Iuliam Pontifex fuerat creatus [c]. Nec verò Pontificum iura, ante legem Domitiam integra inuiolatáque permanserunt. Nam & Sacerdotia plebi communicata sunt & numerus Sacerdotum ampliatus. Romana enim, plebs, inquies & indomita in cer-

[b] Cic. epist. 5. ad Brutū.

[c] Paterculus lib. 2.

tamine libertatis, Tribunorum ope sibi omnia tandem arrogauit. Connubia patrum & plebis lege Canuinia vulgata[a]: Consul alter è plebe, lege Licinia renunciatus est, eadem lege Decemuiri sacrorum partim ex plebe partim ex Patritiis creati[b]. Et cum plebeij ne ad fastos quidem & commentarios Pontificum admitterentur, Ogulnius Tribunus pleb. cum nihil plebeiis honoribus præter Sacerdotia deesset, quę nondum promiscua erant, rogationem promulgauit[c], vt quinque Augures quatuor Pōtifices crearentur, augeretúrq; numerus Sacerdotum. Non minor hac de re contentio inter Appium Clodium & P. Decium Murem, quam olim in dissuadenda lege Licinia. Molestiùs enim ferebant Patres, Sacerdotia ampliſſima vulgari, quàm Consulatum cæteroſque magistratus maiores. Suasor legis Decius obtinuit, noui quatuor Pontifices Collegio adiecti, Ogulnia lex ingenti consensu accepta est. Pontificatus tamen max. apud Patricios mansit, vsque ad T. Corruncanium, qui ingenij præstantia & claritate, illum primus è plebe adeptus est, Attilij Reguli Consulatu[d]. Pontificatus postea etiam exteris patuit. Nam Cornelius Balbus primus omnium externorum Quiritium Iure donatus, à Cn. Pompeio, Gadibus ortus & Consul maior & pontifex factus, primus idem in Triumphum & Sacerdotium ampliſſimum adsurrexit[e]. Post legem Ogulniam Dictator Sulla pontificum Augurúmque collegia iterum ampliauit[f]. Victor deinde Cæsar, vt gratiam pluribus referre posset, pontificum Augurum & Quindecimuirorum numerum

[a] Liuius li. 4. & 6.
[b] Liuius li. 4
[c] Liu. li. 10.
[d] Polyb. li. 3 Florus epitom. 18. Patercul. lib. 2
[e] Cicer. pro Corn. Balb. Patercul. li. 2. Plinius li. 5. cap. 5. & lib. 7. ca. 43.
[f] Florus epi tom. 89. Dio. li. 42.

numerum tertiùm adauxit, vno addito in ſingula Collegia, cum ipſe omnia Sacerdotia capere ſtatuiſſet. Adiecti etiam ſunt nonnunquam Sacerdotes ex Senatuſconſulto ſupra numerum. Nummus eſt aureus Druſi Germanici principis iuuentutis qui Sacerdos cooptatus in omnia collegia ſupra numerum, quem P. Raſcaſius veterum numiſmatum vindex aſſiduus mihi communicauit.

In prima parte Nero. *Claud. Cæſ. Druſus. German. Princ. iuuent.* in altera. *Sacerd. coopt. in. omni. col. ſupra numer. S. C.* Impreſſa Sacerdotij inſignia, Simpulum, Lituus, Tripus, Patera, Tria Collegia ampliſſima deſignant. Sic Senatus cenſuit, vt ad numerum Sodalium Anguſtalium, ſorte ductorum, Claudius extra ordinem adiiceretur[a]. Quæ cùm ita fierent noua adlectio in tabulas ſacerdotum approbatur, vt vetus Inſcriptio teſtatur.

[a] Sueton. in Claud. ca. 6.

LATERANO. ET. RVFINO. COS
SVPER. NVMERVM
COOPTATVS. EX. S.C
M. AVRELIVS. ANTONINVS
CÆS. DESTINATVS

300.

P. R. C. A. DCCCCXLVII. hoc est post Romam conditam anno &c.

Hæc vetusta multis fastidium parient, quorum palato nil gratum, & qui quod sit optimum dum se pernouisse credunt, cœli palatum, vt ait Ennius, non suspiciunt. Annæus ille Seneca perfectus mea sententia Stoicus, nos ad Appios & Corruncanios fortè reiecisset, nos tamen ex alieno sæculo res ipsas non verba obsoleta quærimus, moresque præteritos præsentibus verbis illustrare tentamus.

PRINCIPES SACERDOTIA CONtulerunt. Numerus ab illis ampliatus. Pontificatus codicillares. Pontificatus maximus Principi à Senatu delatus.

CAP. X.

POSTQVAM verò Imperatores Sacerdotia amplissima sibi arrogarunt, cæterorum Sacerdotum omnium electio penes illos fuit, legibus omnibus abrogatis vel neglectis. Accessit quandoque Senatusconsultum in adulationem: Vt

dejecto & mortuo Antonio, Senatus Augusto decreuit, vt Sacerdotes quotquot vellet constitueret[a], quod quidem ab eo acceptum creuit in infinitum. Sacerdotia postea adepti multi, vt spolia, vel Libertorum principis fauore aut consilio eadem consecuti, quorum nutu omnia regebantur[b]. Pontificatus honorem primus auxit Seuerus Alexander, post tot rerum perturbationes. Ille enim *Pontificatus & Auguratus & Quindecimuiratus Codicillares fecit*[c], *vt in Senatum allegerentur.* Quod vir in omni literarum genere optimus interpretatur, beneficij sui fecit, vt Sacerdotia missis codicillis deferret. Putarem ego Pontificatus codicillares ad nouæ dignitatis cumulum referendos, qui ex Senatorio honore adcrescebat. Hoc est enim Codicillares facere, vt ex Lampridio patet, cum addit *vt in Senatum allegerentur.* Quod Gratianus Imperator vocat Codicillorum insignia[d], *Iudices*, inquit, *qui se sceleribus fuerint maculati, ablatis codicillorum insignibus, inter plebeios, habeantur.* Sic dicuntur Codicillares dignitates[e]: codicillorum adeptio: codicilli imaginarij qui cassas habēt imagines dignitatum. Quo sensu dixit Cassiodorus Codicillariis illustratibus ornatos[f]. Pōtifices ergo omnes vt Augures & Quindecimuiri in Senatorum ordinem, à Præfecto vrbis relati sunt. Itaque Alexander Imperator Codicillares Pontifices fecit, vt in albo amplissimi ordinis inscriberentur, qui amplissimis Sacerdotiis nitescebant. Atque hæc de Sacerdotiis & dignitatibus, quę Imperatorum arbitrio donabantur, cum sibi maximum Pontificatum retinuissent. Qui tamen

[a] Dio lib. 51

[b] Tacit. 1. historiar. Plin. in panegyric.

[c] Lampridius in Alexādr.

[d] l. 12. C. de dignitatib. lib. 12.

[e] l. 1. de præfect. præto. l. 8. de honor. Codicil. l. 74. de decurionib. C. Theōdos.

[f] lib. 4. Variar. cap. 25.

illis à Senatu nonnunquam delatus est in signum Imperij. Vt cum occiso Caracalla scripsit Opilius Macrinus Senatui, milites sibi imperium detulisse: Macrinum Senatus Pontificem maximum salutauit [a], quo nomine militum electio comprobata est. Nam cum Senatus Pontificem max. dicebat, agnoscebat Principem.

[a] Capitolin. in Macrin.

PONTIFICIS MAXIMI DIGNITAS & prærogatiua. Vestales capiebat. Regem Sacrorum & Flaminem inaugurabat. Illius sunt Tensæ, Præcentio, ludi. Ancilia sacra apud illum.

CAP. XI.

PONTIFICATVM maximum principalis honoris fastigium meritò existimarunt [b]. Præcedebat enim ciuiles magistratus omnes, & in honorum publicorum enumeratione, illius dignitas primo loco assumebatur. In Iulij Cæsaris nummis notatur, *Cæsar Pontifex maximus, Dictator tertium*: vt in Augusti, *Cæsar Augustus, Pontifex maximus, Consul Quintum.*

[b] Paterc. lib. 2.

Vetus lapis Romæ in Obeliſco Campi Martij.

IMPERAT. CÆSAR. 226.4.
DIVI. FILIVS
PONTIFEX. MAXIMVS
IMP. XII. CONS. XI
TRIB. POT. XIV

Quod idem in omnibus omnium Imperatorum & magiſtratuum nummis & inſcriptionibus obſeruatur. *Seruius Sulpitius Ciceroni*[a]: *Reminiſcere quæ digna tua perſona ſunt: illum quandiu ei opus fuerat vixiſſe. Te patrem ſuum Prætorem, Conſulem, Augurem vidiſſe.* Augurum dignitas Pontificatum quodāmodo adæquabat. Idem Cicero de ipſis Pontificibus[b]. *Me in ea ipſa domo qua tu me expuleras, Pontifices, Conſules, Prætores collocauerunt.*

[a] li. 4. epiſt. 5

[b] In Piſon.

Summa apud gentes omnes legatorũ poteſtas, apud Rom. ſacra, apud quos nõ ſolùm magiſtratus honoribus afficiebantur, verùm ἀσυλίας καὶ σεβασμὸν ἱερέως habuerũt, vt ne ſine ſcelere quidē poſſent violari, quaſi Deorum Immortalium Sacerdotes[c]. Quare Piſo Iulij Cæſaris ſocer, vt coniuratorũ ſocios conari vidit illũ

[c] Dionyſ. li. 11.

sepulturæ honore priuare, in Senatu exclamauit, se-
[a] Appian. li. 2. de bel. Ciuil. peliri vetant summum Pontificem [a]? Etenim Pontifices Sacerdotes Deorum perpetui, qui & religioni-
[b] Cicer. pro domo su. bus & summæ Reip. præerant [b], tantis aucti fuere honoribus, vt Tribuno pleb. mulcta dicta sit, quòd
[c] Florus epit. 47. cùm maximo Pontifice iniuriosè contendisset [c], cùm illius alioquin superbia, ne ab iniuria quidem maiorum magistratuum vnquam temperaret. Rebus conclamatis Pontifices Augurésque, vt maior & honoratior legatio, à populo missi fuerunt, cum frustra
[d] Dionys. li. 8. Consulares decem legationem antea obiissent [d].

Sed ne longiùs à Pontifice maximo discedamus, pauci illud Sacerdotium adepti sunt, qui Curuli Sel-
[e] Liuius lib. 25. la non sedissent [e]. Ille Vestales capiebat, cuius olim arbitratu lege Papia viginti legebantur, quarum sor-
[f] Agel. lib. 1. cap. 12. titio in concione ex earum numero fieri solebat [f]. Illius etiam fuit inauguratio Regis sacrorum & Flaminum, qui Centuriatis Comitiis & Curiatis primũ
[g] lib. 27. creabantur. Flaminis Dialis meminit Liuius [g], quem inuitum Pontifex max. inaugurari coëgit. Flaminum
[h] Macrob. li. 2. satur. cap. 9. maiorum inauguratio ex indice quarto [h] Metelli Pontificis maximi colligitur. Regis Sacrorum exem-
[i] lib. 40. plum ab eodem Liuio [i] repetemus, vt illius lectionem, quam viri doctissimi immutarunt, si fieri potest opera nostra tueamur. *Inter multos alios*, inquit, *quos pestilentia eius anni absumpsit, Sacerdotes quoque aliquot mortui sunt. L. Valerius Flaccus Pontifex mortuus est, in eius locum suffectus Q. Fabius Labeo. P. Manlius qui nuper ex Hispania vlteriore redierat, Triumuir Epulo, Q. Fuluius M. Filius in eius locum Triumuir cooptatus*,

tum prætextatus erat. De Rege Sacrificio ſufficiendo in locum C. Cornelij Dolabellæ contentio inter C. Seruilium Pontificem maximum fuit, & L. Cornelium Dolabellam Duumuirum Nauale, quem vt inauguraret Pontifex magiſtratu ſeſe abdicare iubebat. Recuſanti id facere, mulcta ob eam rem dicta à Pontifice, déque ea cum prouocaſſet, certatum ad populum. Cum plures iam tribus intro vocatæ dicto eſſe audientem Pontifici Duumuirum iuberent, mulctámque remitti ſi magiſtratu ſe abdicaſſet: Vltimùm de cœlo quod Comitia turbaret, interuenit. Religio inde Pontificibus fuit inaugurandi Dolabellæ. P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui ſecundo loco inauguratus erat. Vulgatam Liuij lectionem, nec Glareanus, nec Sigonius ferre potuerunt[a], quibus hæc verba *vltimùm de cælo interuenit* mendoſa videntur. Glareanus pro *vltimùm*, *portentum* reſtituit, quem portenta loqui meritò Sigonius affirmat. Hic pro *vltimùm* legit *vitium*. Vnde, inquit, vitio creati & vitioſi magiſtratus dicuntur, qui contra Auſpicia creati ſunt. Corriguntur herelé certè antiquæ editiones ab eruditiſſimis hominibus, qui interdum integras illas nobis corruptas reddũt. Vitioſa ſane eſt vtriuſque hoc loco emendatio, & vulgata lectio retinenda. *Vltimùm* enim loco aduerbij poſitum, poſtremùm ſignificat, quo ſenſu Liuius vſus eſt[b]. *Nunc*, inquit, *errabundi domos ſuas, vltimùm illas viſuri peruagantur.* Magna inter Pontificem max. & Duumuirum contentio. Iubet Pontifex, contradicit Duumuir, mulcta dicitur, prouocatum ad populum, Inita Comitia Tributa: *vltimùm* id eſt tandem poſtremùm, Certamen illud cælum diremit. Vitium

[a] In ſcholiis ad Liuium.

[b] lib. 1.

Comitiorum solùm fulmen est. Itaque Ioue tonante fulgurante, Comitia haberi nefas[a]. Et cum illa haberentur & tonuisset, obnuntiatione ipsa dicebantur vitiari. Quod fusè Grucchius exequitur[b], ad quem lectorem reiicio. Ille quid sit de cælo seruare, de cælo renunciare perdoctè explicauit. Sed in cœlo nullum vitium vidit, quod posset Liuij lectionem receptam impedire: Rectissima illa quidem est, *vltimùm de cælo quod Comitia turbaret, interuenit.* Hoc est fulgur apparuit, aut Tonitru auditum est: Magistratui de cœlò renuntiatum, dirempta Comitia, nihil de Dolabellæ contumacia transactum. Elegans locutio *vltimùm interuenit*, nam interuenire est in medio negotio quasi ex insidiis superuenire[c] nos Galli dicimus *venir à la trauerse.* Atque de Cælo interuenire, sic latinè dicitur, vt de cœlo seruare, de cœlo renuntiare. Nec tamen doctissimi Sigonij emendationem improbarem quæ Latina certè est, sed non satis huic loco accómodata, qui sine vitio est, quod quidem vitium semper ex Augurali disciplina subauditur, & ex superioribus liquet. Iuuat Sigonium Terentius in Hecyræ Prologo primo

---*Hæc cum data est*
Noua nouum interuenit vitium & calamitas.

Vbi Donatus. *Bene*, inquit, *secundum Augures. Vitium enim est, si tonet tantùm, vitium & calamitas, si tonet & grandinet simul atque fulminet.* Sed paria sunt vitium interuenire & de cœlo interuenire, quare vltimùm illud in Liuio mihi primum est. Facit Sigonij, authoritas, vt multùm animaduersioni tribuam, sed

a Cic. 2. de diuinat.
b li. 1. de Comitiis ca. 4.
c Donat. in Adelph. act. 3. scen. 3.

ſed vulgata magis placet & elegantior videtur.

In vltimis Liuij verbis hæreo, quibus viri illi non ſunt immorati. *Religio*, inquit, *Pontificibus fuit inaugurandi Dolabellæ: P. Clœlium Siculum inaugurarunt, qui ſecundo loco inauguratus erat.* Sudauit Turnebus [a] literatorum omnium qui poſt illum fuere Dux & Princeps, in huius loci explanatione. Fatebor ingenuè nō aſſequor illius mentem. Leue mendum in Liuio puto ſic emendari poſſe, vt pro inauguratus legendum ſit inaugurandus. Fruſtrà enim ſi Clœlius inauguratus erat, denuò inauguraretur. Cum ergo religio fuiſſet Pontificibus inaugurandi Dolabellę, quod de cælo ſeruatum eſſet, controuerſiáque nondum à Tribubus diiudicata, Dolabellā prætermiſerunt, & Clœlium qui ſecundus ab illo erat, inaugurarunt primū: cùm tamen Sacrorum rex in Sacerdotum ordine primus eſſet & maximus, & in ipſis inaugurationis cōuiuiis, ſolus ſupra omnes accumberet [b]. Pleraque in hoc genere doctrinę quod tractamus huiuſmodi occurrunt, vt ſine Reip. detrimento vnicuique ſecùs ſentire aut liberè diſſentire liceat.

[a] lib. 30. adueſar. cap. 24.

[b] Feſtus in verb. ordo ſacerdotum

In Regis ſacrorum vt aliorum Sacerdotum inauguratione, Augures Pontificibus adfuiſſe vt Auſpiciorum præſides Cicero docet [c]. *Eſt ergo*, inquit, *Flamen vt Ioui, vt Marti, vt Quirino, D. Iulio, M. Antonius? cur igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem, vide qui te inauguret, collegæ ſumus, nemo negabit.* Quod à Dionyſio accipit lucem [d]. Expulſis Regibus, inquit, Papyrium Regem Sacrorum Pontifices Augurēſque inaugurarunt, malè interpres vertit ἀποδείξαι deſi-

[c] Philippic. 2.

[d] lib. 5.

signare, quod sonat capere, inaugurare. Nam populus Tributis Comitiis nominabat. Ἀποδείκνυμι Sacrorum verbum ex Plutarcho[a] notatur Ἀπέδειξαν ἱέρφαν τῆς Ἑστίας, licet ἀποδειχθεὶς inauguratus dicatur, sed alio sensu. Rex Sacrorum Centuriatis Comitiis fiebat, ab ipso Pontifice maximo habitis, cuius Sacerdotium Pontifici maximo Subiectum est, ne additus nomini honos aliquid officeret libertati[b].

[a] In Romul.

[b] Liuius li. 2

Erant Præterea Pontificis maximi Tensæ, Curricula, præcentio, ludi, libationes, epulæque ludorum publicorum[c]. De his nihil aut certè parum qui de Circo scripserunt. Tamen ex M. Tullio videmus Pontificem maximum in Circensi pompa, & in sacris omnibus publicis præcinuisse, & hymnorum cautus inchoasse, qui in honorem Deorum à Sacerdotibus canebantur. Onuphrius[d], vir literarum veterum diligentissimus, præclaræ eruditionis eximiique iudicij, vnum ex singulo cætu militares modulos præcentione exorsum tradit. Nec ego dissentio: De Pontifice nulla illi vox: debuerat tamen saltantium choros ab hymnis sacerdotum diuisisse.

[c] Cic. de Aruspic. resp.

[d] li. 2. de ludis Circens. cap. 2.

Ancilia sacra apud Pontificem max. asseruabantur[e]. Fuerunt illa arma cælestia quæ fatale pignus Imperij putarentur. Septem enim erant paria, quæ illud tenuisse dicuntur[f]. Acus matris Deûm, Quadriga fictilis, Veientorum cineres, Oreſtis sceptrum siue Priami, Ilione, Palladium, Ancilia. Vehemens fuit Furij Camilli oratio aduersus Tribunos, qua suadet non deserendam esse Romam, vt Veios migraretur[g]. *Hic*, inquit, *Ancilia cælo dimissa, hic omnes propitij vobis*

[e] Liuius li. 5

[f] Seruius 8. Aeneid. Festusin verb. Mamurij.

[g] Liuius li. 5

manentibus Dij. Est & Appij Claudij, quæ in Tribunos, qui legem aduersus Patritiorum opes promulgarunt, *Trademus Ancilia, Penetralia, Deos Deorúmque curam.* Horum forma Ancilium expressa est in antiquis numismatibus Licinij Triumuiri Monetalis.

Vt illa conderentur & mouerentur alij ante nos monuerunt. Quæ tractamus Pontificis maximi respiciunt dignitatem, quæ tanta fuit vt pignus illud Imperij huius fidei committeretur. Ancilia Ὅπλα πρὸς Ἀρηΐα dixit Dio[a], quod Marti Gradiuo dicata essent, & secũdùm instituta Maiorum, apud summum [a] lib. 44.

Pontificem asseruarentur, ἀπὸ ἑρκεσ χείλινα, & ab illo in Sacrario in Regia custodirentur[a].

[a] Seruius 8. Æneid.

PONTIFEX MAXIMVS DE CEREMONIIS edicebat. Conseruator Ceremoniarum. Ritus, Castus.

CAP. XII.

OMNIS benè sapientérque constituta Respub. religione & ceremoniis continetur, quarum Pontifices Antistites dicebantur[b]. Ceremonias voco exteriorem Deorum cultum, qui pro ratione locorum & temporum potest immutari. Nonnunquam tamen ceremoniæ pro religionis ipsius fundamentis & radicibus sunt vsurpatæ. Sic Tacitus[c] *pollutas ceremonias* exclamabat: & P. Clodius pollutarum ceremoniarũ reus factus[d]. Ceremonias à Carendo dictas asserit Massurius Sabinus[e], vnde denariæ & tricenariæ ceremoniæ[f], quibus sacra adituris, decem continuis vel triginta diebus, certis quibusdam rebus carendum erat: & *Puri menstruo* esse dicuntur, qui Sacrorum causa, toto mense in Ceremoniis sunt, id est puri sunt certis rebus carendo. Alij Ceremoniarum etymon trahunt à Cæretanis, longè repetita verbi origine. Docet Scaliger[g]. *Cerum* sanctum dici veteri lingua, à quo Ceremonia. Cerus mysticon nomen erat Iani, in Carmine Saliari. Alij putant à Cerere Ceremonias deri-

[b] Cicer. pro dom. sua.

[c] li. 1. histor.

[d] Sueton. in Iul. cap. 74.

[e] Agel. li. 4. cap. 9.

[f] Festus in verb. denariæ, & in verb. puri menstruo.

[g] In Festum in verb. Ceremoniarũ.

uari, cuius sacra antiquissima summa religione ceremoniáque conficiebantur [a]. Ceremoniæ [b] δημήτεια μέμψις, quæ est Hesychio κατάγνωσις. Agnoscit enim vulgus exteriore cultu & Deorum Maiestatem, qui quidem non solet, nec debet recondita doctrina eruditi: Sed religioni parere, nec contumaciter patrios mores repudiare. Rectè Dionysius [c] Ceremonias θυηπολίας vocat, θύη enim siue θύματα θρώματα quibus plurimùm Ceremoniæ constant, & θυηπολία est operatio in sacris θρησκεία σέβασμα [d].

[a] Cicer. pro Corn. Balb.
[b] Gloss. vet.
[c] lib. 9.
[d] Hesychius

De Ceremoniis Pontifex max. edicebat, & funesti ominis loco acceptum, quod Vitellius Imperator Pontificatum max. adeptus, edixit de Ceremoniis, infausto Allienſi die [e]. Notum est in Magistratibus, cùm Magistratum iniissent, primo quoque tempore illos in concionem ascendere atque edicere, quæ essent obseruaturi in iure dicundo [f]. Hoc Censores soliti, Prætores Procōsules, Ædiles Curules, qui edicta præscribebant [g], quibus veriùs ius prædicebatur quàm dicebatur. Quod in Pontifice maximo obseruamus, qui Sacerdotio amplissimo præditus, ex Collegij sententia in albo proponebat nonnulla translatitia, nouáue quæ ad Deorum cultum pertinerent: vt de Festis, Feriis, Supplicationibus, quibus diebus, ad quæ templa [h], cui Deo, & de cæteris omnibus quæ per annum seruarentur. Quod summis & amplissimis aliis Sacerdotibus quandóque permissum, vt Decemuiris Sacrorum, qui supplicationem in biduum valetudinis causa, in vrbe & per omnia fora conciliabuláque edixerunt [i]. Hæc edicta erant διαγράμματα

[e] Tacit. li. 2. histor.
[f] Cicer. 2. de finib.
[g] Agel. li. 4. cap. 1. & lib. 13. cap. 11.
[h] Liuius li. 1
[i] Liuius lib. 40.

quæ Pontifex max. condebat, qui verbo solo à magistratu distinguebatur, cuius potestatem & imperium, re quidem ipsa retinebat. Atque vt ille de Ceremoniis edicebat: ita de illis remittebat, gratiámque faciebat[a] vt de Seruio Magulinensi infra demonstrabimus.

a Tacit. 3. Annal. Agel. li. 10. ca. 15.

Erant Ceremoniarum magistri in sæcularibus ludis, qui magistratus officia antiquitùs potissimùm exequebantur[b], quæ postea Imperatores ipsi confecerunt. Romæ in vinea Cardinalis Carpensis Inscriptionis visitur fragmentum.

b Tacit. lib. 2. Annal.

270.2.

PONTIFICI. MAXIM
TRIBVNI. POTESTAT
IMP. XVII. P. P
COS. VII. DESIGN. VIII. CENSORI
CONSERVATORI. CEREMONIARVM
PVBLICARVM

Ludi Sæculares nonùm ex Senatusconsulto facti à M. Iulio Philippo in illius nummis Sæculum nouum leguntur.

Quos decimùm Honorius celebrauit[a], Christianus Imperator. Ea verò fuit Ceremoniarum cura, vt ob illas vel neglectas vel prætermissas, sibi crederent iratos Deos. Quapropter sæpe leui de causa ludos instaurarunt, & aduersis Reip. temporibus acciti Aruspices, quorum monitu redintegratæ Ceremoniæ, & in posterum rectiùs habitæ[b].

a Claudian. in Panegyric.

b Tacit. 2. Annal.

Propriè Ceremoniarum dicuntur leges : Fas Sacrorum: Ius religionum : rituum cultus[c]. Ritum definiunt morem vel consuetudinem in Sacrificiis administrandis[d]. Hinc quod fit ritè, id ratum ac rectum in nostris libris[e]. Accius ritũ vult accipi à rectè perfectis sacris[f]. Castus veteribus idem quod ritus in qua significatione à Virgilio vsurpatur[g].

c Apuleius Apolog. 1.

d Festus in verb. Ritus.

e l. 3. C. de interdict. matri. l. 4. de pact. cõuent.

f Varro li. 6 de ling. lat.

g 3. Æneid.

Hac casti maneant in relligione nepotes:

Quod est, hoc ritu religionem colant. Idem Pœta

Præterea castis adolent altaria tædis[h].

h 7. Æneid.

Vnde casti vocantur qui benè ac pudicè docti atque educti. Nam amoribus turpibus impediti repellebantur à Sacerdotiis per antiquum ritum[i]. Nos verò proh pudor! nouos ritus contrarióque antiquis moribus indidimus, & pecudum ritu omnia referimus ad voluptatem, quam merito malorum omnium escam veteres appellarunt.

i Seru. 4. Æneid.

PONTIFEX MAX. PRO COLLEGIO respondebat. Cùm populo agebat. An legis ferendæ habuerit potestatem. An Italia abesse potuerit.

CAP. XIII.

AMPLITVDO huius Sacerdotij ea fuit, vt pro Collegio Pōtificum, Maximus responderet, si quid à Senatu ad illos reiectum relatúmue esset: aut si quid à Collegio iussum, monitum vel obseruatum. Cicero[a], *Te Lentule appello, respondebis & tu, & pro Collegis, & pro Pontificū Collegio.* Idem[b], *Eam rem ex Senatus authoritate Sext. Iulius Prætor retulit: Cum P. Scæuola Pontifex max. pro Collegio respondit.* Sed in eo Pontificis maximi potestas eluceſcit, quod illi cum Populo agere liceret hoc est rogare populum quid suffragijs suis aut vetaret, aut iuberet[c]. Nam cum populo agere, est populum ad Concilium aut Comitia vocare[d].

Negat tamen Grucchius[e] Pontifici max. potestatem fuisse legis ferendæ; Cuius viri vt mihi admiratio magna, ita censura difficilis, multis enim ille rationibus nititur & magnis: queis docet, ei qui magistratus nō esset legem ferre nō licuisse. Atque Comitia Arbitris Pōtificibus ex Agellio ita interpretatur, vt putet, Pontifices interueniſse tantùm vt de iure cognoscerent, quod illorum proprium esset, vt in adoptio-

a Philippic. 13.
b De. Aruspic. resp.
c Agel. li. 13. cap. 14.
d Festus in verb. cùm populo.
e li. 3 de Comitiis. ca. 3.

adoptione. Hoc modo legum & Iudiciorum Castor & Pollux Arbitri ac testes appellantur [a]. Adderem ego quod magis me moueret Pomponium in legum Romanarum enumeratione, Pontifices illarum authores nullos agnoscere, apud quos solùm legis actiones fuisse commemorat, quæ ex duodecim Tabulis compositæ sunt [b]. Non commiscenda legum ciuilium ratio cum diuinarum institutione. Sed cùm Pomponius doceat ex Pontificibus fuisse aliquem constitutum, qui quoque anno præesset priuatis: Et Pontifex maximus ius habuerit agendi cùm populo, non erit difficile probare, illum & leges promulgasse & magistratuum maiorum, vt Sacerdotũ omnium, si quando vsus Reip. postularet, munus obiisse. Nam ante secessionem plebis in mõtem Sacrum, cùm Decemuiri sese magistratu abdicassent, Tribuni Pleb. creati: Præsto fuit Q. Furius Pontifex max. qui Comitia haberet [c]. Asconio [d] Pontifex max. fuit M. Papyrius: quod monuisse satis erit. In re enim prisca & obliterata authores inter se dissidentes non cocilio: sed hæc Pontificis authoritas ex Senatusconsulto, nec ex potestate ordinaria, sed delegata. Videamus ergo, quid proprium habuerit Pontifex max. quo Arbitro Curiata Comitia habebantur, in quibus exẽpli causa arrogationes fieri solebant. In illis Arbitrum Pontificem agnoscimus, hoc est authorem [e]. Vulgata autem legis formula in arrogationibus vt in omnibus legibus his verbis concepta. *Velitis iubeatis Quirites.* Atque in his post conceptum iusiurandum à Pontifice max. quod in arrogando iura-

[a] Cic. 7. in Verrem.

[b] l. 2. D. de orig. iur.

[c] Liuius li. 3

[d] In orat. pro Cornel.

[e] Festus in verb. Arbitrio.

retur; Addit Agellius[a] arrogationis verba sollemnia non alio quam ab ipso Pontifice prolata. Nec moueor quod in P. Clodij arrogatione Cæsar Consul dicitur legem Curiatam tulisse[b]. Nam cum esset idem Pontifex max. illum Curiatam de Arrogatione vt Pontificem tulisse, vix negari potest. Nec aliter fieri potuerunt arrogationes, Testamenta, Sacrorum detestationes Curiatis Comitiis, quæ Pontifex max. peragebat. De sacris legibus nulla dubitatio est, Et cum lex, vt ait Chrysippus, omnium rerum humanarum ac diuinarum sit regina[c]: Si Senatorij magistratus vt plurimùm leges humanas rogarunt: Pontifex max. semper diuinas tulit, & quæ ad religionem ceremoniarúmque cultum pertinere videretur. Ius enim Pontificium & Augurale iuris publici pars est, quod in sacris Sacerdotibus & magistratibus consistit, & rei Rom. spectat vtilitatem[d]. Ius autem omne legibus constat & edictis, quæ non modicam obtinent iuris authoritatem. Quare eò facilè adducor, vt credam sacras leges Pontificum edictis comprehensas, aut communi gentium consensu receptas, quæ scriptæ non essent. Nec enim putandum est, cum Pontifices de ceremoniis edicere solebant, de his cùm populo egisse, vel leges illas Trinundino promulgatas: Cum arrogans esset, de religione Pontificum Collegium docere conari: Curiosum ea scire velle, de quibus maiores, illos solos consuli & scire voluerunt. Itaque sic inteiligendus est Dionysius scriptor diligentissimus[e], cum scripsit Pontifices legis ferendæ potestatem habuisse, de sacris quæ nondum scriptis

[a] Agel. li. 5. cap. 19.

[b] Cicer. de Aruspic. resp. Plutarch. in Cat. Vticensi.

[c] l. 2. D. de legib.

[d] l. 1. §. huius studij. D. de iust. & iur.

[e] li. 2. & 10.

mandata, aut vsu recepta essent, si digna viderentur quæ legibus sancirentur. Ita tamen vt populo potestas esset de Pontificibus ipsis decernēdi, si ita Reip. conduceret. Hinc leges XII. Tabularum de sacris publicis priuatísque, lex Domitia, Labiena, Antonia de Comitiis Sacerdotum, Ogulnia de communicando plebi Sacerdotio, Licinia, & Cornelia de numero Sacerdotum, Iulia de Sacerdotiis, aliæq; innumeræ, quæ statum Reip. religionémque seruarunt.

An vero Pontifex max. cum religioni honos haberetur, Italia abesse posset; quærendum est. Quod negat Liuius[a]. *P. Scipio*, inquit, *Consul dictus, ei P. Licinius Crassus additus est. Nominatæ Consulibus Prouinciæ: Sicilia, extra sortem Scipioni concedente Collega, quia cura Sacrorum Pontificem max. in Italia retinebat.* Sollemnia etiam sacra P. Licinium alterum Prætorem excusarūt, ne in Hispaniam iret, vt iurauit pro Concione sollemni se sacrificio prohiberi[b]. At P. Licinius Crassus Pontifex max. in locum Scipionis Naficæ factus, qui rerum bonarum quinque præcipua habuisse traditur[c], quod esset doctissimus, quod nobilissimus, quod elegantissimus, quod Iurisconsultissimus quod Pontifex max. cùm adeptus esset Consulatum, extra Italiam profectus, quod nūquam antea factum erat, prælio victus & interemptus est[d]. Posteriores alij Pontifices Maximi illius exemplo, veteri se instituto eripuerunt, & lege Vatinia extra sortem Prouincias elegerunt, vt Iulius Cæsar Gallias, quem merito hostibus dedendum Patres censuissent[e].

a lib. 28.

b Liuius li. 41.

c Agel. li. 1. cap 13.

d Florus epi tom. 59.

e Sueton. in Iul. cap. 22. & 24. in Augusto. ca. 44

AN PONTIFEX MAXIMVS habuerit imperium. An ius exercitum Imperandi.

CAP. XIIII.

DE Imperio, an illud fuerit proprium Pontificum magna est quæstio. Sigonius, cuius ingenium facūdum, Romano Imperio dignum videtur, Sacerdotum omniū proprium fuisse arbitratur, vt nec imperium nec potestatem haberent[a]. Opinionem suam Liuij authoritate tuetur, qui nihil tale vsquam cogitauit. *Comitia Quæstoria primùm sola plebi patribúsque promiscua reliquerat Senatus. Plebs Quæsturam non honoris finem existimauit, sed illi patefactus ad Consulatum locus nouis honoribus videbatur.* Sic emendo Liuij lectionem[b], vulgata habet nouis hominibus. *Patres*, inquit Liuius, *non pro communicatis, sed pro amissis honoribus fremere, negare si ita ea sint, liberos tollendos esse, qui pulsi maiorum loco cernentesque alios in possessione dignitatis suæ, Salij Flaminésque, nusquam alio quàm ad sacrificandum pro populo sine imperio ac potestate relinquantur.* Quod de Saliis & Flaminibus scripsit Liuius, illud ad omnes omnino Sacerdotes Sigonius trahit, contra authoris mētem. Verba Liuij longe aliter accipienda sunt. Etenim cùm promiscua illis tēporibus essent Comitia Quæstoria, hoc est, Quæstores partim ex patribus partim

[a] li. 1. de antiquo. iure ciui. Rom. ca. 19.

[b] Liuius li. 4

ex plebe crearentur: vt postea facti sunt ex parte dimidia Sacerdotes: Quæstores plebeij tùm creati omnes, patrésque cùm Quæsturæ honorem communicassent, totum amiserunt: Vnde Iræ. Viderunt enim patres ope Tribunorum, plebem honores omnes sibi vendicaturam, Sacerdotiáque omnia Flaminibus & Saliis omissis, qui Patritij erant, sine imperio & potestate. Id est ita sacris publicis addicti, vt magistratum rarò capesserent. Nam inter Flaminis leges hæc vna fuit, quæ in Fabij Pictoris libris legitur [a]. *Classem procinctam extra pomœrium, id est, exercitum armatum videre Flamini Diali religio est.* Ideo rarenter ille creatus est Consul, quia bella Consulibus mandabantur. Potestatem igitur & imperium apud Liuium hoc loco intelligo, authoritatem bellicam, quæ magistratui aut priuato, lege Curiata vel plebiscito dabatur: Non ius illud iure magistratus concessum, quod in iubendo, vetando, iure dicendo, edicendóque consistit [b]. Quale est maiorum magistratuum, & Pontificum. Nam Imperium potestatémque huiusmodi Flamen & Salij obtinere potuerunt. Cum illis Consulatus & magistratus maiores mandarentur, licet rarò. Facit Tacitus [c] ad hanc rem, cuius lectionem mutilam viderunt multi, huc vsque restituit nullus. *Seruius*, inquit, *Magulinensis Flamen Dialis vt Asiam sorte haberet, postulauit, frustra dictitans vulgatum, non licere Dialibus egredi Italia, neque aliud ius suum quàm Martialium Quirinaliúmque Flaminum. Porrò si hi duxissent prouincias, cur Dialibus id vetitum? Sæpe Pontifices Dialia sacra fecisse, si Flamen valetudine aut*

[a] Agel. li. 10 cap. 15.

[b] l. 2. D. de in iur. voc.

[c] lib. 3. Annal.

munere publico impediretur. Hæc ad militare tantùm imperium referri posse manifestum est. Decretum autem Pontificum super hac re fuit, *Quoties valetudo aduersa Flaminem Dialem incessisset, vt Pontificis maximi arbitrio, dum ne plusquàm binoctium abesset: dum ne diebus publicis sacrificij, neu sæpius quam bis in eundem annum.* Iustus Lipsius bono Reip. literariæ natus, dãno publico citiùs ereptus, suspicatur locum mutilum, ex eo quod in omnibus editionibus notis compunctus sit. Si mihi ius censendi est, sic censeo restituendum, *Quoties valetudo aduersa Flaminem Dialem incessisset, vt Pontificis maximi arbitrio sacra fierent, dum ne plusquàm binoctium abesset,* &c. Sæpe enim Pontifices Dialia sacra fecerunt, si Flamen valetudine impediretur. Frustra viri eruditissimi de Pontifice maximo non de Diali expressum decretum putauerunt. Nam Pontificatum maximum gerebat Imperator, qui decretum Põtificum de Diali ipse recitauit, quo Flamini Ceremoniarum hæc gratia facta, vt potestatem & imperium bellicum habere posset, dum ne plusquàm binoctium abesset. Sed nihil hæc ad Pontificis maximi imperium, quod ratione Sacerdotij ciuile habuit, non militare. Illius tamen decretum de Flamine eò me deduxit, vt ea non prætermitterem, quæ cũ ipsius iure coniuncta esse videntur. Pontifex ergo & Iurisdictionem habet quæ sine imperio non est[a]: imò merum imperium vt fusiùs docebimus libro sequenti.

[a] l. fin. D. de eo cui mãd. est iurisdi.

Videamus & an ille habuerit ius exercitum imperandi. Lælius Fœlix[b], cum de Comitiis loquitur

[b] Agel. li. 15. cap. 27.

quæ pro Pontificum collegio haberentur, aut Regis aut Flaminum inaugurandorum causa: *Centuriata Comitia*, inquit, *intra pomerium fieri nefas est, quia exercitum extra urbem imperari oporteat, intra urbem ius non sit. Propterea Centuriata in campo Martio, exercitúmque imperari præsidij causa solitum, quoniam populus esset in suffragiis ferendis occupatus.* Non negat Grucchius [a]. Lælium de centuriatis Pontificum Comitiis loqui, quod & manifestum est. Sed existimat potuisse præsidij causa exercitum imperari à maiore magistratu, atque interim à Pontificibus Comitia haberi. Nec enim scribit Lælius, ab eo qui Comitia haberet exercitum imperatum: Sed hoc tantùm Comitiis Centuriatis quæ pro Collegio Pontificum haberẽtur, exercitum præsidij causa imperari solitum. Quasi verò Pontifex solùm Comitia haberet Sacerdotij causa, & Consul iisdem Comitiis exercitum præsidij causa imperaret. Quod mihi nullomodò verum probatur: nec enim adduci possum, vt credam, eadem Comitia quasi ex parte dimidia, hoc est partim à Consule partim à Pontifice max. inita fuisse. Lælius Fœlix de Pontifice max. loquitur, qui Cẽturiatis Regis Sacrorum Comitiis præerat: quid hoc ad Consulem? Cur ille Sacrorum Regis turbaret Auspicia, aut retineret? Bellum nonnisi Comitiis Centuriatis indicebatur. Centuriata Comitia magistratuum, legum & iudiciorum, in trinundinum promulgabantur. At Centuriata Regis Sacrorum, nullo interiecto temporis spatio, per Cornicinem calabantur [b]. Tum si vis repentina hostium ingruisset, in rebus trepidis Põtifex

[a] lib. 1. de Comit. ca 3

[b] Liuius li. 3. & 4.

exercitum imperabat, hoc eſt populum rogabat, vt vellet iuberet arma præſidij cauſa capi. Rationem Lælius hanc reddit, *quia populus eſſet in ſuffragiis ferendis occupatus.* Quaſi dicat, bellum omnium ordinum conſenſu potuiſſe apparari, cùm de re alia populus rogaretur, non expectato trinundino ob præſentem hoſtium metum. Belli enim neceſſitas moras & dilationes non expectat, & pugnandum interdum eſt, non quia velis, ſed quia hoſtis cogat. Atque in tumultu omnia præpoſterè adminiſtrabantur, legéſque inter arma imminentia conticeſcebant.

Bellum indicere & exercitum imperare idē ſunt: vtrumque fiebat populi iuſſu, Centuriatis Comitiis trinundino promulgatis, lege lata. Legati cum Fœcialibus mittebantur, qui illud indicerent. At arma in tumultu imperabantur, id eſt in maxima rerū perturbatione. Si nulla eſſent Comitia, Senatus tumultum decernebat, vel ex Senatus ſententia Dictator, interrex, Conſul, quibus mandabatur, vt viderent ne quid Reſp. detrimenti caperet, quæ forma Senatuſconſulti vltimæ ſemper neceſſitatis erat[a]. Quare nō dubitandum ex Lælij verbis Pontificem max. præſidij cauſa exercitum imperare potuiſſe, Comitiis Regis Centuriatis, vt periculi vicinitas propulſari poſſet, & tumultus iuſſu populi decretus ſollemnior haberetur. Nam ſi Pontificis nullæ hac in re partes eſſent, non debuit Conſul vel Prætor illius Comitiis rem expedire, cùm aliter Reip. ſaluti conſuli poſſet & ſoleret, cùm Comitia huiuſmodi non haberentur. Tum enim ex veteri & vltimo Senatuſconſulto res gere-

[a] Cic. Philippic 8. Liuius li. 1. & 7.

gerebatur[a]: Quam Patres populi consensu firmare, si fieri posset & tempora paterentur, semper maluerūt. Quapropter cum Pontifex max. cùm populo ageret: Senatus authoritas & Magistratuum hac in re conticuit. Quibus ius non fuit illis Comitiis cùm populo agendi. Difficile ad fidem est in tam antiqua re, certò aliquid affirmare, sed audendum aliquid est, si minus fœliciter, Fœlicem vsquedum authorem me habere puto. Si nesciens erro, at quæ vllo in genere venia est iustior quàm in Antiquitatis indagatione?

[a] Seruius 8. Æneid.

Sed ut in tumultu, subitaria aliqua scriptura, nonnihil dicamus: notandum hoc genus militiæ coniurationem & euocationem dici, & milites coniuratos & euocatos[b]. Coniurati quidem appellabātur, quod simul iurarent: Euocati, quod simul emeritis stipendiis rursus arma ferre cogerentur, & tumultu vacationes non valerent.

[b] Seru. 8. Æneid.

PONTIFEX MAXIMVS OMNES magistratus adeptus. Imperator Pontifex. Idem Augur & Quindecimuir Sacrorum. Ex duobus Imperatoribus vnus Pontificatum max. gerebat.

CAP. XV.

PARS magna Pontificum ex primoribus Ciuitatis erat, qui postea imperatorum propinqui præcipuos in Republica magistratus gesserunt,

vt fasti Consulares declarant.[a] M. Æmylius Pontifex max. Censor creatus[b], cùm collega Senatum legens, princeps electus est Senatus, ipse Censor. P. Licinius Crassus Pontifex max. Censor factus est, qui nec Cōsul nec Prætor ante fuerat quàm Censor[c]: Sed ex Ædilitate gradum ad Censuram fecit: à Censura ad Consulatum euectus est. Hic tamen à Q. Fuluio Dictatore magister equitum dictus est, qui inter ordinarios magistratus non numeratur. Nam extra ordinē magister Equitum à Dictatore dicebatur Reip. Temporibus impeditis.

[a] Tacit. li. 4 Annal.

[b] Liuius lib. 40.

[c] Liuius lib. 27.

Fuerunt Pontifices, Tribunipleb. vt P. Scæuola Pontifex max. quod M. Tullio periculosum videbatur[d]. Nam *si Tribunus pleb.* inquit, *Clodium imitatus, aliquem per vim afflixerit, domúmque illius iudicarit: hoc ratum esse potuisset, propter Pōtificatus authoritatem.* Quæ tanta fuit vt illam Imperatores sibi vendicarent. Augustus Romanorum primus imperator primus Pontificatum max. susceptit, quem viuo Lepido non ambiuit[e]. Errat enim Florus[f] cùm scribit Augustum in confusione rerum ac tumultu, Lepidum Pontificem max. interemisse, qui suo fato ereptus est. Augustus autem illius Pontificatum adeptus, quidquid fatidicorum librorum græci latiníque generis, nullis vel parū idoneis authoribus vulgo ferebatur, supra duo millia contracta vndique cremauit, & solos retinuit Sibyllinos. Quod Pontificum demonstrat potestatem, quorum fuit, Sacrorum libros probare vel improbare. Imperatores cæteri Augusti exemplum secuti, omnes ad Pontificatum maximum irrepse-

[d] Cic. li. 12. epist. ad Attic. 5.

[e] Sueton. in Augusto. cap. 31.

[f] Epitom. 117.

runt. Horum tamen nullus ante Hadrianum, Pontificis max. officium peregit[a]. Nam priores honore contenti rem ipsam neglexerunt. Et Domitianus qui Corneliam Maximillam Vestalem damnauit, non Pōtificis partes sustinuit, sed Tyranni personam, qui illustrari sæculum suum tali exemplo concupiuit[b], quod deformatum ad illius vergit infamiam.

[a] Spartian. in Hadrian.

[b] Plin. li. 4. epistol.

Non solum autem Pontificatu, sed Auguratu Imperatores ornati sunt. In omnibus ferè illorum Numismatibus Pontificis max. notaui dignitatem, in quibusdam Auguratum. Est apud me nummus argenteus Vespasiani, est æreus Aurelij Veri, vterque cum insignibus Auguratus.

Est aureus Augusti cum hac inscriptione. *Cæsar. Diui. Filius. Augur. Pont. Imp. Quar. Cos. Tert.* Est etiam argenteus D. Iulij cum in numerum Deorum allectus est, in quo Veneris templum signatum, cum stella & Cæsaris Statua habitu Augurali.

Quæ Taciti corruptam lectionem indicant, quã nullus adhuc animaduertit: Licet multi multa in eo audacter immutarint. Ille[a], *Otho Pontificatus Auguratúsque honoratis iam senibus, cumulum dignitatis addidit & recèns ab exilio reuersos nobiles adolescentulos, auitis & paternis Sacerdotiis in solatium recoluit.* Corrigo ex nummis meis. *Sed Otho Pontificatus Auguratúsque honoratus insignibus &c.* Quod sequentia authoris verba cõfirmant: Addit enim Tacitus, *cumulum dignitatis addidit*, quod Imperator, Pontifex maximus & Augur esset, imperatoriámque maiestatem amplissimorum Sacerdotiorum honore cumulasset. Vulgatam tuetur vir doctissimus amicus meus, qui suis ad me literis opinionis suæ adstipulatorẽ laudat Plutarchum, qui in Othone iisdem penè verbis vsus est. Τοῖς ὑπὸ δεδειγμένοις ὑπὸ Νέρωνος ἡ Γάλβα, πᾶσιν ἐτήρησε τὰς ὑπατείας, ἱερωσύναις τοὺς καθ' ἡλικίαν προήκοντας ἢ δόξαι κόσμησε. Vitæ Othonis scriptor, quisquis ille fuerit, à Tacito verba hæc mutuatus, librarij errorẽ secutus est, qui certè manifestus, vt altiùs repetita lectio aperiet. Nam cùm Otho, inquit Tacitus, vt in multa pace

[a] Tacit. li. 1. historiar.

munera Imperij obiret: quædam ex dignitate Reip. pleraq; contra decus ex præsenti vsu properauit. Quę ex dignitate, pauca illa quidem, paucis concludũtur. Plura contra decus notantur. Subiungit enim. *Sed Otho Pontificatus Auguratúsque honoratus insignibus, Cumulum dignitatis addidit: & recèns ab exilio reuersos nobiles adulescentulis auitis & paternis Sacerdotiis, in solatium recoluit. Redditus C. Ruffo, Pædio, Blæso locus, qui repetundarum criminibus sub Claudio & Nerone ceciderãt.* Ex quibus mens Taciti aperta est, & vera lectio elicitur. Nam dictio illa, *Sed*, aduersatiua est, & transitum significat ad mentionem alterius rei, & ad ea quæ contra Reip. decus Otho properauit, vt scilicet adolescentulis recèns ab exilio reuersis, Sacerdotia concederet, & repetuẽdarum damnatos in integrum restitueret. Quod si Sacerdotiis amplissimis seniores viros Otho honorasset, frustra id à Tacito recenseretur, inter ea, quæ contra Reip. decus properanter acta sunt. Omitto quod vulgatam leges Grammaticæ non ferunt, *Pontificatus Auguratúsque honoratis iam Senibus.* Vt nec sequentia verba admittunt, *Cumulum dignitatis addidit.* Quæ Othonis respiciunt personam, ad cuius summam potestatẽ, cumulus postea Sacerdotiorũ accessit. Nam Imperatores non ipso imperij die Pontificatum accipiebant. Vitellius cæde Galbæ nuntiata, Principatum statim inuasit, posteáque infausto Allienſi die Pontificatum maximum cepit [a]. Vetus decretum Romæ in Marmore.

[a] Suetonius Vitellio. c. 9. & 11.

ITEM. DEDICATIONE. STATVARVM. CÆSARVM. ET. AVGVSTARVM
MVLSVM. ET. CRVSTVLA. PECVNIA. NOSTRA. DEVOTIS. OMNIS
ET. POPVLO. DEDIMVS. PERPETVOQVE. EIVS. DIE. DEDICATIONIS
DATVROS. NOS. TESTATI. SVMVS. QVEM. DIEM. QVO. FREQVENTIOR
QVOTANNIS. SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC. TI
CÆS. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS. EST

218.8.

Obierat Augustus XIIII. Kal. Septemb. quo die Tiberius Imperium adeptus est, Pontificatum in Idus Martias distulit.

Nec verò Pontificatu & Auguratu solùm solebant Imperatores insigniri, verum etiam Decemuiratu, vt tribus illis summis & amplissimis, Sacerdotiis sacra omnia in manu haberent. Est nummus Vitellij argenteus cùm notis XV. VIR. SACR. FAC. in quo Tripus cum Delphino & auicula, quæ ad Apollinem omnia referuntur, cuius proprij Quindecimuiri erant Sacerdotes.

Ex quo liquidò constat Imperatorem Vitellium Quindecimuiratus Sacerdotio prędituṁ, dignitatem illam nummis suis nobilitasse.

Quòd si duo vel tres simul essent Imperatores, illorum vnus Pontificatum maximum gerebat, Cæteri Pontifices maiores erant vt ex nummis probatur. Sunt Diuorum fratrum in quibus M. Aurelius Antoninus Pontifex max. duabus his literis vulgatis inscribitur P. M. At L. Aurelius Verus Pontifex tantùm. Quodidem in Caracallæ & Getæ, Diocletiani Maximianique nummis & cæteris passim licet obseruare. Principes tamen Pontificatum adepti, omnia sibi arrogarunt, & nullis in rebus Collegium adhibuerunt, nisi Dicis causa. Vt Domitianus in Maximillæ iudicio reliquos Pontifices non in Regiam, id est Pontificis max. domum, sed in Albanam villam conuocauit, vt illius effrenatæ libidini mentito pietatis nomine deseruirent. Vespasianus pater religionem quidem sanctiùs coluit, vt vetus inscriptio facit fidem, quæ Romæ in Thermis Titianis inuenta est

IOVI
IMP. VESPASIANVS
PER. COLLEG. PONTIFICVM
FECIT

13. 11.

In rebus enim quamplurimis Pōtifex max. sine Collegio nihil poterat, cuius permissum bonus Imperator & Pontifex maximus expectauit.

PONTIFICIS MAXIMI CONiux. Domus illi publica & Laureata.

CAP. XVI.

IAM verò Pontificis maximi nuptias adornemus, cui Coniux deligebatur [a], quæ matrimonij augeret dignitatem. Illud per Confarreationem fiebat [b], quod genus coniunctionis, Pontifici max. & Flamini Diali vsitatum. Confarreatus [c], συμβιώσεως χάριν, ξύνκτης. Qui nuptiarum ritus tandem in desuetudinem abiit, vt coemptio omnísque conuentio in manum. Quare vbi in Pandectis Tribonianus legit *conuenire in manum*, vbique subsTituit ille, *in matrimonium conuenire* [d]. Sunt qui Pontificem max. vnius vxoris virum fuisse tradant. Tertullianus [e] nuptiarum hostis acerrimus, illud sibi multis locis persuasit, qui Regẽ sæculi Pontificem max. rursus nubere nefas putat. Africani scriptoris improprietas in latinis nominibus, prætermittenda est, nec enim virorum est nubere. Idem ille summum Pontificem in vnis nuptiis statuit: Quem de Flamine Diali loqui vir doctus annotauit. Tamen inter Flamines nihil aliud de nuptiis statutum inuenio, præterquàm quod, si Dialis vxorem amiserit, illum Flaminio decedere [f]: Et matrimonium Flaminis nonnisi morte dirimi. Antiquatas leges Iulius Cæsar Flamen Dialis & Pontifex max. pluribus exemplis docet [g]. Nam dimissa

a Plin. in Panegyric.

b Cicer. in Topic. Plin. lib. 18. cap. 3.

c Gloss. vet.

d l. vxorem. D. de rit. nupt. l. ex parte. § 1. D. de verb. obligat.

e lib. de vnis nupt. ad vx. cap. 17. De præscriptionib. cap. 40. De exhortatione castitatis cap. vltim.

f Agell. lib. 10. cap. 15.

g Sueton. in Iul. cap 1. 7. & 21.

dimissa ille Cossutia, quę prætextato desponsata fuerat, Corneliam Cinnæ duxit vxorem: Defuncta Cornelia, Pompeiam accepit, cùm qua ob stupri suspicionem diuortium fecit & cùm Calpurnia L. Pisonis filia nuptias contraxit firmiores.

Hoc etiam inter Pontificis maximi prærogatiuas annumero, quod esset illi domus publica, quæ regia dicebatur[a], quod in ea Rex Sacrificulus habitare cõsueesset, vt Flamini Flaminia. Domus Pontificis Laureata fuit, vt Plinius monet[b]. *Laurus*, inquit, *gratissima, domibus, ianitrix Cæsarum Pontificúmque, quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat.* Sic Trallibus domum Regibus Attalicis factam ad habitandum, semper ei datur, qui ciuitatis Sacerdotium gerit[c]. In ea ipsa Pontificis maximi domo, Sacrum Bonæ Deæ fiebat non in Prætoris aut Consulis vt Plutarchus scripsit[d]. Nam Clodius ex Pontificis maximi domo religionem eripuisse accusatus: & muliebri ornatu ex incesto stupro, atque ex Pontificis maximi domo emissus fertur[e]. Domus verò illa publica primùm P. Scipioni Nasicæ Pontifici maximo, qui optimus à Senatu appellatus est, in Sacra via data est: quo facilius consuli posset de Iure, quod ipse profitebatur[f]. Domus tum Iurisconsulti qui Sacerdos est iustitiæ, & oraculum ciuitatis, nullis erat clausa honoribus, atque huius ianua, maxima frequentia ciuium ac summorum hominum splendore celebrabatur[g]. Sed quotus & quis est hodiè Iurisconsultus qui inter infimates infimus, ab iis non numeretur, quorum patrociniis defendi deberet? Facetè quidem Sulpitium

[a] Dio li. 54. Seruius 8. Æneid.
[b] li. 15. ca. 30.
[c] Vitruuius lib. 1. cap. 8.
[d] in Iulio.
[e] Cicer. pro dom. sua. & de Aruspic. resp.
[f] l. 2. §. & quidem. D. de orig. iur. l. 1 §. 1. D de iust. & iur.
[g] Cicer. 1. de orator.

Iurisconsultum M. Tullius lusit, atque in hoc ridiculus Consul ex Catonis sententia[a], nec tamen eum spreuit, adeò si illi inferret contumeliam. At hoc Sæculo insipienti & inficeto, pars non minima honoris est, eos qui literas sciunt, contemnere, si priuatam, licet innocentam vitam agant. Tu verò, Antoni Præses prudentissime, qui beneuolum te omnibus præbuisti, læsisti neminē: si vel ex inferiore ordine quis dignus esset, cui fieret iniuria, indignum te semper putasti tamen, qui eam vltrò, vel lacessitus inferres. Sed de tua in omnes humanitate, quam mihi ostendisti singularem, hic dicendi non est locus. E domo Pontificum emissus regredior, vt dicam cæteros Pōtifices maximos domum Scipionis publicam, iure Sacerdotij retinuisse. In qua Cæsar Iulius habitauit, post Pontificatum max. cum primò in Subura modicis ædibus contentus esset[b]. Augustus postea refectam domum suam totam publicam esse iussit, quod ad eam ædificandam populus Rom. pecuniam contulisset, vel quod maximus Pontifex esset, vt simul in propriis ac publicis ædibus moraretur[c].

[a] Orat. pro Murena.

[b] Sueton. in Iul. cap. 46.

[c] Dio lib. 55.

DE PONTIFICIBVS CÆTERIS

illorum ordo duplex. Adolescens Pontifex. Duo Pontifices ex eadem gente esse non poterant.

CAP. XVII.

SVLLA Dictator cum optimatium partibus studeret, Tribunitiam minuit potestatem, qua

authoritas nobilium ceciderat, iúſque impetitæ multitudinis conualeſcebat[a]. Sacerdotum ille numerum auxit in gratiam nobilium: Atque ex quindecim Pontificibus octo fuerunt Patritij, ſeptem plebeij, quos M. Tullius vocat, *ex parte dimidia Sacerdotes*[b]. Horum igitur ordo duplex conſtitutus, Maiores, patritii: minores Pontifices plebeij ſunt appellati[c], quales fuere maiores Flamines & minores. De maiore Pontifice vetus inſcriptio Romæ

[a] Florus epitom. 89.

[b] Cicer. pro dom. ſua.

[c] Feſtus in verb. maiores Flamines.

L. ARADIO
AVGVRI
PONTIFICI. MAIOR
QVINDECIMVIRO

369. 4.

Neapoli.

M. MÆCIO. MEMMIO. C. V
PONTIFICI. MAIORI. AVGVRI

433. 1.

De minore.

T. FLAVIO. T. F. GERMANO
PONTIF. MINOR

411 1.

Inter Pontifices minores, maximus dicebatur, qui primus in id Collegiũ venerat: & Minimus, qui nouiſſimus[d]. Ex quo videre eſt minores Pontifices à maioribus multùm differre, quod verè Pontifices nõ haberentur, ſed maiorum Pontificum quodammodo miniſtri. Vnde poſterioris æui temporibus eò deciderunt, vt ſcribæ Pontificum fuerint, qui primùm Patritij erant, deinde libertini[e]. Minorũ tamen Pontificum initia honoratiora, qui Sacerdotes ex parte

[d] Feſtus in verb. minorem Pontificem.

[e] Liuius li. 4. Capitolin. in Opilio Macrin. l. 2. D. de orig. iur.

dimidia, cùm Pontifice maximo cæteríſque maioribus, atque aliis dignitatis præcipuæ Sacerdotibus, ſimul iudicarunt, ſed vltimi in ordine; vt videmus in eo iudicio quo Ciceronis domus à P. Clodio Tribuno pleb. conſecrata, religione liberata eſt[a], Minores Pontifices, poſt omnes omninò Sacerdotes numerantur, qui adſcripti Collegio Pontificum, quales erant Flamines & Rex Sacrorum, qui vna cùm Pontificibus Iudices ſedebant. Quo modo iudicium ita conſtitutum, frequens Collegium dicebatur.

[a] Cic de Aruſpic. reſp.

Cum itaque tanta Pontificum eſſet amplitudo, vt non ſolùm illi præeſſent Sacris, verùm nihil domi, nihil foris per magiſtratus gereretur, quod illorum authoritas non comprobaret: Ecquis mirari deſinet adoleſcentes impuberes, atque vix egreſſos ex ephebis, Pontificatum cæteráque Sacerdotia ampliſſima adeptos? Cn. Domitus Ænobarbus oppidò adoleſcens Pontifex factus eſt[b], & Cæſar Octauius C. Cæſari filio in ipſis ferè cunabulis Sacerdotium dedit[c]. Quod exemplum ſequutus Neronem è liberis Germanici iam ingreſſum iuuentam patribus commendauit, vt quinquennio maturiùs, quam per leges liceret, Quæſturam peteret: Cui additus Pontificatus eo ipſo Tyrocinij die[d]. Augur antea creatus Tib. Sempronius Gracchus admodum adoleſcens, quod tunc perrarùm in mandandis Sacerdotiis erat[e]. Vulgares ſunt nummi Caij & Iulij Cæſarum. In his vnus Pontifex, Augur alter, cum haſtis puris, Clipeis, & Sacerdotij inſignibus.

[b] Liuius li. 42.
[c] Paterculus li. 2. Dio li. 55.
[d] Tacit. li. 2. Annal.
[e] Liuius li. 29.

Nummus probat, duos ex eadem domo Pontifices esse non potuisse, vt nec ex eadem gente. Nam si illud per leges licuisset, Cæsares illi principes iuuentutis,& Consules designati, solo Sacerdotio distincti non fuissent. Vetus quippe lex prohibebat, ne duo ex eadem gẽte, Sacerdotium in vno eodémque Collegio gererent. Quapropter cùm Spinther Consul filium suum Cornelium Spintherem inter Augures referre cuperet [a], (interpres Dionis vertit inter Pontifices, quos author malè nominasset οἰωνιστὰς) in illúdque Collegium iam antea Faustus Sullæ filius cooptatus esset, qui ex gente Cornelia: Spinther filium suum in Manlij Torquati gentem adoptandum dedit. Τῶ γὰρ νόμου ἀμφοῖν ἀπαγορεύοντος, Μηδένα δύο ἅμα, ἐκ τῆς αὐτῆς συγκλυίας, τὴν αὐτὴν ἱερατείαν ἔχειν. Hoc modo legis sacrorum verba seruata sunt, quæ ipsa re dissoluta: hoc est salvis verbis legis, sententia eius circunuenta. Cæsarum inscriptio vetus est,

[a] Dio lib. 39.

254. C. CÆSARI. AVGVSTI. F. PONTICI. COS DESIGNATO PRINCIPI. IVVENTVTIS

L. CÆSARI. AVGVSTI. F AVGVRI. CONS DESIGNATO PRINCIPI. IVVENTVTIS

Quod quidem in duobus Imperatorum filiis obseruatum. At cùm Imperator legibus solutus esset, ipse Pontifex max. vnum ex filiis Pontificatu ornare potuit, & Vespasianus testatur, qui primus illud sibi arrogauit. Lapis Romæ

244. T. C ÆSARI
VESPASIANO
PONTIF. TR
POT. II. IMP. III
COS. II

IMP. CÆSARI
VESPASIANO. AVG
PONT. MAX. TR. POT
IIII. IMP. VIII. COS. IIII
P. P

CÆSARI. AVG. F
DOMITIANO
COS. DESIG. II
PRINCIPI. IVVENTVTIS

Vespasianus pater in medio filiorum positus, loco honoratiore.

PONTIFICVM CVRA QVÆ, & quæ ſumma cognitio.

CAP. XVIII.

QVAE vero ſumma eſſet Pontificum cognitio & cura, Dionyſius breuiter perſtrinxit[a]. Γοντίφικες εἰσὶ τῶν μεγίστων τοῦ- a Lib 2.
γμάτων κύριοι. Καὶ γὰ δικάζουσιν ὅτοι τῶν ἱερῶν δίκας ἁπάσας ἰδιώταις τε καὶ ἀρχοῦσι καὶ λειτουργοῖς θεῶν. Καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τῶν ἱερῶν ἄγραφα ὄντα, καὶ ἀθέμιτα, κείνοντες ἃ αὖ ὀπτήδεια τυγχάνειν. ἀῤῥοῖς φανεῖν νόμων τε καὶ ἐθισμῶν, τῶν τε ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τε καὶ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερῆς ἄπαντας ἐξετάζουσιν, ὑποκρέτας τε αὐτῶν καὶ λειτουργοὺς οἷς χρῶνται τοῦτο τὰ ἱερὰ, ὅτοι φυλάττουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν τοῦδε τοὺς ἱερεῖς νόμους. τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴασιν ὁκῶς τὰ θεῖα ἢ δαιμόνια σεβασμοὺς ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ τοῦτο ἔπεμψαν. Καὶ εἴ τινας αὖ θώπτοντας μὴ πειθομένους ταῖς ὑπαγωγαῖς αὐτῶν ζημιοῦσι τοῦτο ἕκαστον χρῆμα ὁρῶντες. Εἰσὶ δὲ αὐτοτεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας, ὅτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες, ὅτε δήμῳ. Pontifices ſumma authoritate præditi, omnes lites ſacras iudicarunt inter priuatos pariter & magiſtratus, ſacrorúmque miniſtros. Leges ferunt de Sacris quæ nondum ſcriptis mandata ſunt, nec vſu recepta, ſi digna videantur, quæ legibus aut more commendentur. In omnes magiſtratus quibus Sacrificia & deorum cultus commiſſus eſt, & in omnes Sacerdotes inquirunt. Miniſtros Sacrorum in-

officio continent, ne quid contra ſacras leges delinquant. Rudi vulgo Deorum ac Geniorum cultum præmonſtrant & interpretantur. Hos Sacerdotes ἱερονόμους, ἱερογύλακας, ἱεροφαίτας. Dionyſius vocat, qui in Pontificum denominatione à recepto illorum nomine longè aberrauit. Illos enim ἀρχιερέας apud omnes ſcriptores, vt in antiquis Epigrammatis & nummis legimus, nullóque ij alio nomine denotantur.

Fuit etiam Pontificum cura præcipua, vt circa religiones ceremoniáſque verſarentur. Atque ipſa cognitio in ius religionis & in ius Reip. diſtributa eſt[a]: vt de Repub. cognoſcerent, cum Ceremoniarum ius, aut ciuitatis cogeret ſalus. Iidem de Sacris, de votis, de feriis decernebant, de ludis maximis, de Deorum Penatium Veſtæq; matris Ceremoniis[b]: de ſacro illo ipſo, quod fiebat pro Salute populi Rom. ea tenere quæ ſoli ſcire debebant[c]. Quæ voluntas eſſet Deorum immortalium, interpretabantur, & hoc vnũ maximè vt de diis immortalibus non errans aut vaga, ſed ſtabilis certáque ſcientia teneretur. Tantùm itaque illorum authoritati, fidei, prudentiæ veteres tribuerunt, vt ab illis diſſentire, nefas ſemper iudicarint. Optimè herclè dicebat Cotta[d]: *Cum de religionibus agitur, T. Corruncanium, P. Scipionem, P. Scæuolam Pontifices maximos, non Zenonem aut Cleantem aut Chryſippum philoſophos ſequor:* cuius ego orationem rationémque miror & amplector. Ego etenim, vt dicebat ille, primùm habeo authores & magiſtros religionum colendarum, magiſtros noſtros, quorum mihi

a Cicer. 2. & 3. de natur. deorum & orat. pro dom. ſua.

b Cicer. 2. de legib.

c Cic. de Aruſpic. reſp.

d Cicer. 3. de natur. deor.

mihi tanta sapientia fuisse videtur, vt satis supérque prudentes sint, qui illam prudentiam, non dicam assequi, sed quantum fuerit, prospicere possint [a].

[a] Cic. de Aruspic. resp.

PONTIFICES SACRIS SOLLEMnibus præerant. In domesticis religionibus adibantur. Ratum quod tres illorum statuissent. Religionis explanatio per vnum Pontificem. Tria Theologiæ genera.

CAP. XIX.

ERANT ad placandos Deos Pontifices constituti, qui Sacris sollemnibus præessent, ne ea ipsa, quæ suscepta publicè essent, quisquã extra Collegium nosset [b]. Nec in publicis solùm sed & in religionibus domesticis Pontifices adibantur. Quod neglectum à P. Clodio, magnam M. Tullio illius incusandi occasionem dedit [c]. *Si quid deliberas*, inquit, *si quid tibi expiandum aut instituendum fuisset, religione domestica: Tamen instituto cæterorum vetere, ad Pontificem detulisses*: nam sine Pontifice religioni priuatæ satisfacere poterat nemo. Hinc illa lex *quoquo & priuatim & publicè modo ritúque fiat, ignari discunto à publicis Sacerdotibus* [d]. In Pontificum verò decretis, quod tres illorum statuissent, id semper populo, semper Senatui, satis sanctum, satis augustum, satis reli-

[b] Cicer. 2. de legib.

[c] Cicer. pro dom. su.

[d] Cic. 2. de legib.

gioſum eſſe viſum eſt[a]. Rectè ergò Neratius Priſcus reſpondit[b], tres facere Collegium, qui numerus ad decreta & res maiores expediendas ſatis erat.

[a] Cic. de Aruſpic. reſp.
[b] l. 85. D. de verb. ſig.

In cæteris, qualis fuit religionis explanatio, illa ab vno Pontifice fieri poterat. Rideo huius æui criticũ prurientem, qui nobis M. Tullij lectionem ita explanauit, vt legendum credat, religionis expiatio non explanatio. Quàm benè iudicent viri docti quos ille ſequutum ſe profitetur. Ego certè receptam ſcripturam, quæ vera & germana eſt, loco non mouendam puto. Explanat σαφωνίζει[c]. Explanatio ergò eſt σαφήνεια, vel ipſo Cicerone teſte, *Altera*, inquit, *in ratione quæ docet & explanat*[d], *quid faciendum fugiendúmque*. Hoc igitur expiationis Criticæ portentum, maioribus hoſtiis vix poſſet procurari.

[c] Gloſſ. vet.
[d] lib. 1. offic.

Tria porrò veteris Theologiæ genera faciebat Varro, hoc eſt rationis, quæ de Diis explicabatur, cognitionem ſummam in tres partes diſtribuebat[e]. Primum genus Theologiæ Myſticon: alterum Phyſicon: tertium Ciuile. Myſtico vtuntur poëtæ: Phyſico ſpeculatores venatoréſque naturæ: Populus, ciuili. In primo multa ſunt contra Immortalium naturam & dignitatem ficta. In ſecundo plura quæ faciliùs inter parietes, quàm extra in foro, & publica luce tractari debent: in quo eſt, quos Deos publicè colere, quæ ſacra & Sacrificia facere, quemquam par ſit. Huius certam ſcientiam Pontifices ſoli habuerunt, à quibus vbi de religione decreuerant, nuſquam diſceſſum eſt: ne pietas ipſa & ſtatus Reip. nouis opi-

[e] D. Auguſtin. li. 6. de ciuitat. ca. 5

nionibus, quas sapientes omnes improbarunt, maximè labefactaretur[a]. Omnium autem Pontificum proprium fuit, vt illis Sacerdotium adimi non posset[b]. Tyberius tamen in funebri Augusti laudatione, illius clementiæ annumerauit (ita vbique gliscit adulatio) quod Lepidum Pontificatu max. non spoliasset[c]. Sed perpetua Pontificum, vt Sacerdotum ferè omnium Sacerdotia fuerunt.

[a] Cic. 3. de natur. deor.

[b] Dio li. 49.

[c] Dio lib. 56

PONTIFICES SOLI ET VESTALES penum Vestæ adibant. Indigetabant Deos. Pontificum iusiurandum.

CAP. XX.

COMMVNE fuit Pontificibus omnibus, vt religioni & summæ Reip. præessent: ideóque publici Consilij principes, & iuris publici Vindices meritò sunt appellati[d]. Hi soli & Vestales penum Vestæ adibant, quod Penetrale claudi & aperiri dicebatur[e]. Locus erat intimus in æde Vestæ, septus tegetibus, qui certis quidem diebus circa Vestalia aperiebatur, qui dies religiosi habebantur. Penetrale μυχὸς, vbi, Vestalibus, Virgines sacrificabant[f]. In illo erat Palladium è septem paribus vnum, quod Rom. imperium tenere credebatur. Quod à Virginibus asseruatum, illarúmque & Pontificum fidei commendatum fuit. Heliogabalus, vel vt in nummis & lapidibus scribitur, Elagabalus, cũ Romanas

[d] Cicer. pro dom. sua. Liuius li. 25

[e] Seruius 3. Æneid.

[f] Varro li. 5. de ling. lat.

euertere cuperet religiones, *sacráque per multa, sublatis penetralibus violaret, vt Deus ipse coleretur: In penum Vestæ irrupit, & Penetrale Sacrum auferre conatus est. Cúmque seriam & quasi veram imaginem rapuisset, quam ei virgo max. monstrauerat falsam, applosam fregit*[a]. *Nec tamen quidquam dempsit religioni, quia plures similes factæ esse dicuntur. Signum tamen quod Palladium esse credebat abstulit ipse, & in sui dei templo locauit.* Hæc Lampridius. Addit Herodianus[b] eam Deam sui Dei coniugem cui nuberet Elagabalũ adduxisse. Eò creuit propudij istius publici libido, vt insania simul & infamia sua laboraret, qua mali principes post fata apud posteros vexantur, si pietatem aliqua ex parte violarint.

a Lamprid. in Heliogabal.

b lib. 5.

Pontificum etiam fuit proprium Deos indigetare statis sacrificiis, hoc est nomen eorum proprium designare, eósque precari[c]. Indigetare enim est ὀνομάζειν precari, inuocare: Indigetésque erant Dij patrij ἡμίθεοι Κυρῆτες[d], qui ex hominibus ἀποθέωσιν consequuti in Diis agebant. Qualis Tyberrinus Capeti filius memoratur, qui cum in flumen Tiberim cecidisset, eíque dedisset nomen, à Pontificibus indigetari solebat[e]. Indigetes tamen Deos putat Festus[f], quorum nomina vulgari non liceret: & rectè putat; nec enim efferebantur eorum nomina in vulgus, in quorum tutela vrbs Roma esse credebatur, ne ab hostibus possent euocari. Liuius[g] iuris Pontificij scientissimus. *Sitne est Æneas*, inquit, *quemcumque eum dici ius fásque est, super Numicum flumen illum Iouem indigetem appellant.* Horum Deorum nomina scripta habe-

c Seruius 12. Æneid.

d Gloss. vet.

e Seruius 8. Æneid.

f In verb. indigetes.

g lib. 1.

bant in libris Pontifices, quæ indigetamenta dicebantur[a], ἱερατικὰ βίβλια[b]. Præterea Pontifices fana sacrabant[c], His non licebat equo vehi in vrbe, sed curru, ob honorem credo Sacerdotij: vt nec per liberos iurare sed tantum per Deos[d].

a Nou. Marcell. in verb. Statilinum.
b Gloss. vet.
c Varro li. 5. de ling. lat.
d Seruius 8. & 9. Æneid.

PRODIGIA PROCVRATA DECRETO Pontificium. Sacra piacularia. Ver sacrum. Sacrorum instauratio ex illorum decreto.

CAP. XXI.

PRODIGIA vt plurimùm à Pontificibus vel illorum decreto ab aliis sunt procurata[e]. Quod Senatus aliquando iubebat sicuti Pontificis cēsuissent. Hæc verò prodigiorum procuratio à piacularibus sacris multùm differebat, quæ eadem per Pontifices fieri solebant[f]: vt prodigia & piacula diuersa sunt. Nam illa Deorū iram minabantur: piacula commissa erant, propter quæ expiatio debebatur[g]. Prodigia putabant, quidquid contra vel præter naturam accidisset: vt si porcus ore humano genitus: Si signa sanguine sudassent: Si pueri nati sine oculis, si lapidibus pluisset, vel quid aliud accidisset huiusmodi, quod Deorum portenderet minas. At piacula sunt, si ludi non recte facti, si Vestalis incesta, sacrilegium factum & cætera huius generis commissa. In prodigiorum procuratione

e Liuius lib. 27. 34. & 41.
f Dionys. li. 3.
g Seruius 6. Æneid.

editi à Collegio Pontificum Dii, quibus sacrificaretur[a]. Ad Aruspices tamen plerúnque procuratio reiecta, aut ad Decemuiros, qui ex Senatusconsulto libros adire iubebantur, ex quibus quid faciendum esset renuntiarent, aut imperarent[b].

[a] Liuius lib. 30.

[b] Liuius lib. 31. & 42.

Ver Sacrum ex Pontificum decreto vel monitu fiebat, de Senatus sententia populíque iussu[c]. Illud ex Sibyllinis libris votum per Prætorem ex Collegij sententia. Sacrorum autem omnium instauratio, si minus recte facta essent, penes Pontifices erat. Vt cum ver sacrum P. Licinius Pontifex maxim. Collegio primùm non rectè factum, deinde authoritate Collegij patribus renuntiasset: De integro faciendum arbitratu Pontificum, Patres censuerunt[d]. Et Clodius accusatus, quod Sacra Bonæ Deæ polluisset: Pontifices instaurationem Sacrificij decreuerunt, quod ob nefas Clodij ritè non esset peractum[e]. Sacrorum tamen instauratio, interdùm fiebat secundum ritum, si prima, ex prodigiis displicuisse iudicarentur[f]. Ludi etiam ex Pontificum decreto multoties instaurati, vt si quid prætermissum esset vel commissum: vel si minus diligenter facti, aut aliquo scelere polluti: Tum metus Deorum, Immortalium, ludorum instauratione credebatur placari[g].

[c] Liuius lib. 33.

[d] Liuius li. 34.

[e] Dio lib. 37

[f] Seruius 3. Æneid.

[g] Cic. de Aruspic. resp.

INTERCALATIONES, ANNALES maximi, Fasti per Pontifices.

CAP. XXII.

DE intercalatione multa Censorinus [a]: illa in Pontificum potestatem translata est. Nam Romani diu ignari rerum cœlestium, Intercalationes ad Pontifices reiecerunt, qui libenter inseruientes publicanorum vel litigantium commodis, ad arbitrium suum detrahebant tempora vel augebant [b]. Nam vt ciuilis annus ad naturalem exæquaretur, in mense Februario potissimùm intercalabatur, ídque diu factum, priusquã sentiretur annos ciuiles aliquanto naturalibus esse maiores, quod delictum vt corrigeretur, Pontificibus negotium datum est, eorúmque arbitrio intercalandi ratio omnis permissa est. Sed horum plerique ob odium aut gratiam, quo quis magistratu citiùs abiret, diutiúsve fungeretur, aut publici redemptor, ex anni magnitudine in lucro damnóue esset: plus minúsue ex libidine intercalando, rem sibi ad corrigendam mandatam vltrò deprauarunt. Qua de re M. Tullius [c]. *Nouis*, ait, *legibus ita distinemur, vt quotidie vota faciamus, ne intercaletur. Et Curio qui Cæsaris partibus fauebat, quia de intercalando non obtinuerat transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit* [d]. Itaque cum intercalãdi ratio à Numa instituta posteriorum

[a] lib. de die natal. ca. 18. cùm seq. Macrob. lib. 1. satur. cap. 13. & 14.

[b] Ammian. Marcellin. lib. 26.

[c] li. 7. epist. 7. lib. 5. ad Attic. epist. 9. & 13.

[d] Cicer. 8. epist. 8. Dio lib 40.

Pontificum negligentia esset dissoluta[a]: Cæsar Dictator annos ad Solis cursum singulares redegit, ita vt duodecim annis cõtinuis non intercalaretur, quia cœperat annus Sydera morari, quæ priùs antecedebant[b]. Priùs enim Lunæ reuolutionibus annum Põtifices æstimabãt, atque adeo aberratum est, propter intercalandi licentiam, Fastique adeo turbati, vt neque messium feriæ, æstate; neque vindemiarũ autumno competerent[c]. Annum igitur ad eum modum constituit, vt intercalaret septem & sexaginta dies qui ad summam exactam requirebãtur. Notaui ego Censorinum de dierum numero cum Dione[d] non conuenire: Sed nihil ad hanc rem, cum non de numeri ratione, sed de intercalatione agamus, quæ Pontificum authoritati relicta est, quámque Iulius Cæsar vt Pontifex max. suscepit & emendauit, cum antea difficillimis Reipub. temporibus totam perturbasset. *Ab illo,* inquit Varro[e], *honoris & virtutum causa qui fastos porrexit* (lego correxit) *Iulius mensis appellatus est.*

Anno autem in menses imparis numeri redacto, Pontifex in Curia Calabra, si Nouæ Septimanæ futuræ erant, hoc populo significabat, sepries dicto KALO. IANA. NOVELLA. Ianam enim Lunam vocabant[f].

Nec verò mensium tantùm, sed dierũ etiam Pontifices rationem tenebant & temporum. Conceſſa enim illis potestas erat rerum gestarum in tabulas referendi, atque hos Annales maximos appellabant. Non magnitudine, inquit Paulus apud Festum[g], sed quod

a Cic. 2. de legib.

b Plinius li. 18. cap. 25.

c Sueton. in Iul. cap. 40.

d Dio 43.

e apud Priscianum li. 4

f Varro li. 1. de re rustic. cap. 40. Scaliger lib 2. de emẽdat. tempor.

g In verb. maximi Annales.

quod eos Pontifex maximus confeciſſet. Nam ab initio rerum Romanarum, vſque ad Mucium Pontificem max. res omnes ſingulorum annorum Pontifex maximus literis mandabat[a], efferebátque in album & proponebat tabulam domi, poteſtas vt eſſet populo cognoſcendi, quæ geſta eſſent. Hi Annales, vocabantur etiam Pontificalium libri, & commentarij Pontificum[b]. Quare eo tempore perraras literas rerum geſtarum fuiſſe, inquit Liuius[c], & quod etiam ſi quid in Commentariis Pontificum, aliiſque erant publicis priuatíſque monumentis. Rectè Beatus Rhenanus acuti vir ingenij, perraras literas intelligit breues inſcriptiones, quæ non ſatis rem explicarent. Annales etenim res in ſingulos annos geſtas breuiter complectuntur: quas, Pontifices ab exceſſu Romuli deſcripſerunt[d]. Ità autem Annales conficiebantur. Tabulam dealbatam quotannis Pontifex max. habuit, In qua præſcriptis Conſulum nominibus & aliorum magiſtratuum digna memoratu, notare cõſueuerat, domi militiæque terra marique geſta, per ſingulos dies. Cuius diligentiæ annuos commentarios, in octoginta libros veteres retulerunt[e].

Ab Annalibus differunt Pontificum faſti ἱερῶν συγγραφαὶ, qui nihil aliud erant quàm dierum congeſtio, quibus fari[f] aut non fari liceret. Gloſſ. vet. Faſtus ἡμερολόγιον, & faſti dies per quos Prætoribus omnia verba ſine piaculo licet fari. Profeſti ſunt Comitiales, quibus cùm populo agere licet, nefaſtis contrarij. Luſit in ambiguo Plautus noſter[g].

a Cic. lib. 1. de orator. Macrob. 3. ſatur. cap. 2.

b Aurelius Victor de origin. gẽt. Roman.

c lib. 6.

d Vopiſcus in Tacito.

e Seruius in ſchedis.

f Dionyſ. li. 3.

g In Pœnulo.

Non potuisti adducere homines magis ad hanc rem idoneos.
Istorum nullus nefastus est, Comitiales sunt meri.
Ibi habitant, vbi eos conspicias, quàm Prætorem sæpius.

Comitiales intelligit qui religionem Iusiurandi spernebant.

[a] Plautus in Curculione *Qui periurũ conuenire vult hominem mitto in Comitium*[a].

Cæterùm fasti libri qui Pontificales à ceremoniarum libris erant distincti, qui abstrusum & reconditum ius Pontificum, & occultum genus literarum continebant[b]. Tota enim iuris Pontificalis dispositio magnam religionem Ceremoniámque declarabat, quarum secreta fastis non committebãtur, quos Cn. Flauius surripuit. Illi enim legis continebant actiones, nõ Sacrorum disciplinam[c]. Ancus quidem Martius vocatis antea Pontificibus, sumptísque ab iis Commentariis, quos Numa de sacris conscriptos reliquerat, illos transcripsit in tabulas, & in foro legendas proposuit. Hæ Tabulæ ius ciuile tantùm cõprehendebant. Nam post exactos reges in publicum vsum sunt reuocatæ per summum Pontificẽ Caium Papyrium, quem puto eum fuisse, qui à Pompeio Sextus vocatur: cuius liber ius ciuile Papyrianum appellatus est[d]. In contraria tamen versatur sententia primi ordinis scriptor Cujacius, qui putat Caium hunc Papyrium, Martij iussu Sacra, publica in albo scripsisse, quæ vulgari nunquam fas fuit, sed tantùm eorum ritus, quos vt leges ipsas Caius Papyrius in publicum vsum reuocauit. Liuius[e]. *Quæ ad Sacra pertinebant, à Pontificibus maximè, vt religione adstrictos haberent multitudinis animos, suppressa sunt.*

[b] Varro lib. 4. de ling. latin.

[c] Dionys. li. 3.

[d] l. 2. D. de origin. iur.

[e] lib. 6.

MAIORVM PONTIFICVM DIVERSA numera. Feriæ à Pontificibus conceptæ. Lunæ & Solis defectiones ad illos. De diebus atris decernebant. Pontem Sublicium curabant.

CAP. XXIII.

IN nummis eadem maximi & maiorum Pontificum insignia fuerunt. De Maximo & quæ illi propria sunt diximus supra. Maiorum & minorum munera diuersa sunt. Pontifices maiores statis mensibus Sacra curabant[a], cæteráque habebant cùm maximo Pontifice communia, quæ religionis ritum ceremoniásque spectarent. Pontifex minor Kalendis omnibus Iunoni sacra faciebat in Curia Calabra[b], ab eóque Iuno Kalēdaris dicta est. Minorem Pontificem ideo sacrarium Iunonis appellatum suspicor. Inscriptio in Ciuitate Castellana Faliscorum oppido.

[a] Symmachus lib. 1. epist. 45.

[b] Macrob. lib. 1 saturn. cap. 15.

MAMMIÆ. C. F
IVSTÆ
Q. TVLLIVS. Q. F. HORAT
CINCIVS. PRISCVS
PONTIFEX. SACRARIVS
IVNONIS
QVIRITIS. PATRONVS
MVNICIPII
TESTAMENTO. PONI. IVSSIT

308. 1.

Qui alius fortè à *Magistro* Iunonis Sacrorum, de quo alia est inscriptio.

307. 9.

MAGILLIVS. L. L. PHILOM
AVG. ALLIFIS. MAGIST
IVNONIS. SACROR
SIBI. ET. SVIS

Idibus, Ioui faciebant Pontifices maiores; Diem definiebant [a]; ferias in dies certos vel incertos concipiebant [b]; quæ à Prætore quandoque imperabantur edicto. Lunæ & Solis defectiones & motus in Pontificum scientia erant, quam vulgare nefas [c] semper existimarunt. Quare M. Cato aiebat [d]. *Non licet scribere quod in tabulâ apud Pontificem max. est, quoties Lunæ aut Solis lumini caligo, aut quid obstiterit.* Hæc deliquia illorúmque causas vulgus Romanorũ ignorauit ad Tiberij tempora, quæ causa fuit, cur milites Druſi, defectu Lunæ consternarentur [e]. *Luna*, inquit Tacitus, *clariore pæne cælo, visa languescere: Crediderunt milites sibi æternum laborem portendi, sua facinora aduersari Deos lamentabantur.* Corruptus Taciti locus ita à Beroaldo celebris ingenij viro restitutus est. Nõ placet Lipsio lectio Beroaldi, ille substituit, *Luna claro repente Cælo*, è prisca Taciti scriptura quæ fuit *luna clamore pena cælo*, ingeniosè quidem, nec tamen rectè. Ex Codice Mirandulano Pomponius ita restituit *luna clarior repente cœlo visa languescere.* Salua emendati Codicis fide, Legendum puto, *luna clariore plena cælo* pro *Clamore pena* quæ in antiquis codicibus habetur. Plinium authorem habeo [f]. *Lunæ*, inquit *defectus*,

[a] Plin. li. 2. cap. 27.
[b] Macrob. lib. 1. satur. cap. 10.
[c] Agel. lib. 2. cap. 20.
[d] li. 4. orig.
[e] Dio li. 57. Tacit. lib. 1. Annal.
[f] li. 2. cap. 13

nonnisi plena, sempérque citra quàm proximè fuerit. Qui quidem defectus, nonnisi clariore cœlo nostris oculis subiici potest. Hæc plena Taciti lectio est. Aliorum coniecturæ, non minores defectus habẽt, quam deliquia illa Solis aut Lunæ.

Pontifices præterea fastis dies addebant ex Senatusconsulto & de diebus atris decernebant, qui à nefastis debent separari[a]. Nam atros dies Nigidius dicit religiosos, tristi omine infames, impeditósque, quibus & res diuinas facere, & quempiam nouum aliquod exordiri, nefas est. Hi dies atri vel religiosi sunt postridie Kalendas, Non. Idus ex decreto Pontificum. Ad quos cũ Senatus reiecisset, vt ipsi quod videretur statuerent: decreuerunt Pontifices, nullum iis diebus Sacrificium rectè futurum[b]. Quod non animaduertit Suidæ interpres qui ἀποφράδας vertit dies atros, cum sint propriè dies nefasti, quibus fari non licet. Gloss. vet. ἀποφράδες nefasti dies. Nam ἀποφρὰς ἡμέρας, quasi μὴ οἷα τὶ ἔστι φράζεσθαι. Lucianus tamen ἀποφράδας pro atris diebus videtur vsurpare. Item Hesychius, ἀποφράδας, κακὰς ἀδιαπρησίμους. Ἀποφράδες ἡμέραι ἔπτα, ὅτους ὀνομαζόμενοι οἱ αἰχμάλωτοι τοῖς νικηταῖς μεταφέρουσι δὲ τὴν λέξιν, ἢ ὅτι ποτὲ πονηρὰς ἢ ἀναιρεθείσας τοὺς τοιούτους. Dies atri μελέναι ἡμέραι veriùs nuncupati.

[a] Varro li. 5. de ling. lat. Plin. lib. 4 cap 9. Agel. lib. 5. cap 17.

[b] Liuius lib. 6. Macrob. li. 1 saturn. cap. 16.

[c] In pseudologiste.

Pontifices etiam pontem Sublicium curabant, eaque fortè ratione quod cis & vls. Tyberim sacra fiebant, non mediocri ritu[d]: vel quod pontis sublicij ita dispositio contignationis esset, vt eximerentur trabes & reponerentur: Postquam Horatius Cocles auda-

[d] Varro lib. 4 de ling. lat.

ciæ miraculo obstupefecit hostes, ponte interrupto, religiosum postea fuit, quòd ægrè reuulsus esset: Atque ob eam religionem Pontificibus pontis cura commissa est. In hac tamen literarum vetustate nihil affirmo, in qua plæráque omniæ coniectura sola assequi possum.

DECRETVM PONTIFICVM
Interpretatio, Responsio, Monitus, Suggestio, Obseruatio, Permissus, Indulgentia, Præceptum, Arbitratus, Consilium.

CAP. XXIIII.

QVIDQVID pro sua potestate Pontifices statuebant, illud Decretũ dicebatur, quòd in religionibus & ceremoniis vim legis obtinebat. Decretum propriè δόγμα non ψήφισμα dixerim: Nam quæ Pontifices decernebant, Senatus vt plurimum ἐψηφίζετο sua authoritate confirmabat. Paulò diuersa est, Interpretatio: Ita enim Interpretatio Pontificum, vt iidem potestatem habeant iudicum[a], hoc est quasi laturi iudiciũ sedeant, & apud illos de re ipsa disceptetur, quam à Senatu reiectã & ab iis præiudicatã, Consulibus postea referentibus Senatusconsultum sequeretur. Vt cùm ad Pontifices reiectum de domo Ciceronis frequens Collegium, omni eam religione liberauit. Quod

[a] Cic. de Aruspic. resp.

cum ad Senatum relatum esset, censuit domum illam religione liberatam videri. Pontificum Interpretationem M. Tullius responsionem[a] vocat: *De domo nostra*, inquit, *nihil adhuc Pontifices responderunt.* Monitus Pontificum dicitur vt Deorum vel vatum passim apud poetas. In domesticis religionibus monere bonorum Pontificum erat[b]: in publicis quasi Deorum numine afflati id agebant. Sic vota Pontificum monitu suscipiebantur, aut sacra fiebant. De votis lapis Romæ.

[a] li. 4. epist. 1.

[b] Cicer. pro dom. sua.

PONTIFICVM
MONITV
VOTO
SVSCEPTO

66. 8.

Pro Monitu Suggestionem posterioris ævi scriptores [c] vsurparunt. Cùm tamen propriè fuerit oratio illa quæ ex loco superiore habebatur, vt cum in Curia Calabra Ianam nouellam Pontifex calabat. Iussus potestatis est & Consilij. Cum iussu Pontificis max. Vestalis cædebatur, iure imperij id fiebat. At cum Ver Sacrum ex Pontificum iussu factum dicitur, hoc ad loquendi consuetudinem referendum est, & pro hortatione accipiendum. Ver enim vouebatur de Senatus sententia populíque iussu. Obseruatio in eo potissimum consistit, vt omnia in religionibus & Ceremoniis ritè atque ordine fierent: Sacrificia rectè peragerentur: Nomina Sacrorum locorum sub congrua proprietate proferentur[d]. Permissus Pontificum fuit, sine quo nihil in loco sacro

[c] Vopisc. in Aurelian.

[d] Val. Max. lib. 1. cap. 1.

fieret aut moueretur: qui & decretum dicebatur. De permissu vetus inscriptio.

751.11. P. ÆLIVS. VENERIANVS
HOC. VAS. DISOMVM. SIBI. ET
FELICITATI. SVÆ. POSVIT. ET
TRIBVNAL. EX. PERMISSV. PONTIF
PERFECIT

Disomum vas est duorum corporum capax, Quod pertinet ad ius sepulchorum. Ad Pontificum permissum ædium sacrarum consensus quandoque accedebat. Alia inscriptio

318. 8. PERMISSV. C. MASSENI. MARCELLI
PONTIFICIS. VOLCAN. ET. ÆDIVM
SACRARVM

Indulgentia Pontificum in antiquis illis lapidibus notatur.

31. 8. P. POPILIVS. AVITVS. L. F. INDVL
GENTIA. PONTIF. LOCVM
SEPVLT. ACCEPI. ANTE. ÆDEM. DEÆ
MAGNÆ. CYBELES. QVAM
IRATAM. MORTE. SENSI

Præcepto Pōtificum sollemnes Sacrorum ritus continentur. Arbitratus in mera voluntate positus fuit, vt Vestales capere, Sacerdotes certa die inaugurare. At cùm ad arbitratum Pontificum aliquid à Senatu conferebatur, quasi viris bonis committebatur. Vt, cùm Ver Sacrum de integro faciendum arbitratu Ponti-

ficum patres censuerunt. Consilium in vulgatis quibusdam Liuij reperio[a], cum Senatusconsultum de rebus Campanis factum est: Quæ eorum sacra aut profana essent *ad Consilium Pontificum* patres reiecerunt. Hæc lectio in aliis libris reiecta, in quibus habetur *ad Collegium Pontificum*: Qui modus loquendi Liuio frequentior. Vtrámque lectionem probo. Nam & patres Pontificum Collegium consuli iubebant[b], & consilium est συνέδριον φανερᾶν ἀνδρᾶν[c].

a lib. 25.

b Liuius lib. 39.

c Theophil. §. eadem. Inst. Qui & ex quib. caus. manu. mitt.

DE PONTIFICVM ET SACERDOTVM PUBLICORVM INAVGVRATIONE.

CAP. XXV.

INAVGVRATIO est certus quidam ritus, quo Sacerdotes publici eius numinis maiestati deuouentur, ad cuius ministerium cooptati sunt. Summi Sacerdotis inaugurationem, quam Prudentius consecrationem vocat, eleganter suis versibus descripsit[d].

d In hymno Romani martyr.

Summus Sacerdos nempe sub terram scrobe
Acta in profundum, consecrandus mergitur:
Mirè infulatus, festa vittis tempora
Nectens, corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino, sericam fultus togam.

Tabulis supernè strata texunt pulpita,

Rimosa rari pægmatis compagibus,
Scindunt subinde vel terebrant aream,
Crebróue lignum perforant acumine,
Pateat minutis, vt frequens hiatibus.

Huc Taurus ingens fronte torua & hispida,
Sertis reuinctus, aut per armos floreis,
Aut impeditus cornibus deducitur,
Nec non & auro frons coruscat hostiæ,
Setásque fulgor bractealis inficit.

Hic vt statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrata diuidunt venabula,
Eructat amplum vulnus vndam sanguinis
Feruentis, inque texta Pontis subditi
Fundit vaporum flumen & latè æstuat.

Tum per frequentes mille rimarum vias,
Illapsus imber, tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem Sacerdos excipit,
Guttas ad omnes turpe subiectans caput,
Et veste & omni putrefactus corpore.

Quin os supinat, obuias offert genas,
Supponit aures, labra, nares obijcit,
Oculos & ipsos perluit liquoribus,
Nec iam palato parcit, & linguam rigat
Donec cruorem totus atrum combibat.

Postquam cadauer sanguine egesto rigens,
Compage ab illa Flamines retraxerint,
Procedit inde Pontifex, visu horridus
Ostentat vdum verticem, barbam grauem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios.

Hunc inquinatum talibus contagiis
Tabo recentis ſordidum piaculi,
Omnes ſalutant, atque adorant eminus,
Vilis quod illum ſanguis, & hos mortuus
Fœdis latentem ſub cauernis lauerint.

Hic fuit ritus inaugurandi ſummi Sacerdotis, cuius ſollemnitas in aliis publicis Sacerdotibus mihi quidem parum perſpecta. Vnum illud notaui, eos omnes qui inaugurarentur, iureiurando adſtringi, ſe nihil è Sacris enuntiaturos [a]. Μηδενὶ φράσειν τὰ τῶν ἱερῶν. Coniicio tamen quod in Regibus & Magiſtratibus qui Regum vices obierunt, illud idem in Sacerdotibus aliquatenùs obſeruatum cùm inaugurarentur. Sumebat diem cooptatus Sacerdos aut captus, qua præſtituta, prodibat è tentorio ſub diuum, ſtánſque in loco puro ritè mactatis victimis, Ioui Regi & cæteriis Diis vota faciebat [b]. Augures intererant inaugurationi, vt ſignum de cœlo fœlix oſtenderent, illúdque ſignum fulguris, à ſiniſtris datum pronuntiarent, etiamſi nullum eſſet datum. De Diei præfinitione M. Tullius [c]. *Quid igitur ceſſas? cur non inaugurare? ſume diem, Collegæ ſumus, nemo negabit.*

[a] Plutarch. in cauſis.

[b] Dionyſ. li. 2. Plutarch. in Numa.

[c] Philippic. 2.

In Rege Sacrorum notandum, quod non inaugurabatur, niſi ſe magiſtratu abdicaſſet. L. Cornelius Dolabella, cum in locum Cn. Cornelij Dolabellæ ſuffectus eſſet Rex Sacrorum, eſſétque Duumuir Naualis: contentio fuit inter illum & C. Seruilium Pontificem max. [d] Nam vt Dolabellam inauguraret, illum Pontifex magiſtratu ſeſe abdicare iubebat: recuſantiq; id facere, ob eam rem mulcta à Pōtifice di-

[d] Liuius li. 40.

cta Duumuiro. Déque ea cũ prouocasset, certatũ ad populũ. Plures iam Tribus intrò vocatę, dicto esse audientem Pontifici Duumuirũ iusserunt, multámque remitti, si se magistratu abdicasset. Ratio abdicationis in Sacrorũ Rege ea fuit, quòd ille Sacerdotij legibus ab omni ministerio bellico abstinere deberet [a] ἀπαίσης λῃτουργίας πολεμικῆς ἀφιέμενος. Quod in cęteris Sacerdotibus nõ fuit cõstitutũ, qui ciuilibus & bellicis muneribus fungi potuerunt, omnesq; magistratus maiores minoresq; capessere, & cũ imperio & potestate esse.

[a] Dionys. li. 5.

Consecratio pro inauguratione nonnunquam accipitur, quæ tamen propria Sacerdotum Isidis fuit. Vetus lapis Romæ.

2087. 4. DATIANO. ET. CEREALI. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C
PP. AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C. I
TRADIDERVNT. PERSICA. PRI. NON. APRIL. FEL

CONS. S. S. TRADIDERVNT. ELIACA
XVI. KAL. MAI. FELIC
OSTENDERVNT. CRYFIOS. VIII
KAL. MAI. FELIC

D. D. N. N. VALENTE. V. ET
VALENTINIANO. IVNIORE. PRIMVM
AVGG. CONS. VI. IDVS. APRIL
AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
PP. FILIO. SVO. ÆMILIANO. CORYFONI
OLYMPIO. C. P. ANNO. TRICESIMO
CONSECRATIONIS. SVÆ. TRADIDIT. CORACICA
FELIC. CONS. S. S. OSTENDERVNT
CRYFIOS. VIII. K. MAI. FELIC

In altera Columnæ eiusdem basi.

EVSEBIO. LIPPATIO. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. ET
AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
TRADIDERVNT. LEONTICA. V. IDVS
MARTIAS. FEL
DATIANO. ET. CEREALE. CONS
NONIVS. VICTOR. OLYMPIVS. V. C. PP
ET. AVR. VICTOR. AVGENTIVS. V. C
P. TRADIDERVNT. LEONTICA
XVI. KAL. APRIL. FELIC

Minoribus literarum mysteriis initiati, inscriptionis huius quæ perdifficilis, est à me accipere poterunt interpretationem.

Isidis sacra vetustissima Romanis olim non incognita, testantur Ennij versus,

Non habeo denique nauci Marsum Augurem
Non Isiacos coniectores [a].

Quando ab illis recepta fuerint aut reiecta [b] non est huius operis, in quo leuiter attingam quæ ad intellectum faciunt inscriptionis. Locus D. Hieronymi [c] his tenebris magnam adfert lucem. *Ante paucos annos*, inquit, *propinquus vester Gracchus cum præfecturam gereret vrbanam, specum Mithræ & omnia portentosa symulachra, quibus Corax, Niphus, Miles, Leo, Perses, Helios, Bromius pater initiantur, subuertit, fregit, exussit.* Mendum in Hieronymi lectione animaduertit, Nic. Rigaltius, cuius consuetudo, vt mihi iucundissima, ita ad suauiores musas vtilissima semper fuit. Pro

a Cic. 1. de diuinat.
b Vid. Dionem li. 40.
c epistol. ad Lætam de instit. fil.

Niphus legit *Griphus*, &, ab hoc τὸ γρύκωπος τὰ μυστήρια[a]. Vt ab illis prodierunt Sacra Persica, Coracica, Leontica, Eliaca, Patrica, Hierocoracica, quæ passim in his & in altis inscriptionibus leguntur. Emendarat Marianus Victorius Episcopus Amerinus, vir studiis altioribus imbutus, pro *Niphus*, *Nisus* accipitris nomen, qui etiam ipse colebatur, cuius emendatio reiicienda non est, sed cætera Hieronymi verba ab illo multùm deprauata. Nos verò ad inscriptionem nostram redeamus, qua Isidis & Osiridis sacra continentur. Horum *numen vnum, multiformi specie, ritu vario, multiiugo nomine fuit*[b]: quorum Sacra primùm Persæ habuerunt: à Persis, Phryges: à Phrygibus, Romani[c]. Osiris Sol, Persis Mithra: Ægyptiis Osiris, Achmetiis Titan: aliis Liber pater[d]. Vt Isis ipsa quæ luna, Dea multi nominis μυριώνυμος, Deûm mater magna, Cybeles, Proserpina, Libera, Eleusis, Ceres, aliisque nominibus celebrata[e]. In hac tamen multiformi specie vnam Dei potentiam agnoscebant: & Sacra illorum mysteria dicta sunt, quorum authores feruntur Dardanus, Eelion, Midas, qui occulta mysteria, symbolis inserüerunt[f]. Hæc depicta sunt in tabula Isiaca, in qua animalium formæ multiplices, inter quas primæ, & præcipuæ, Corax, Griphus, Leo. A Corace Coracica Sacra nominantur, quæ D. Ambrosius[g] vocat Coracina. De Milite, & Leone Tertullianus[h] multa. *Mithræ*, inquit, *Miles cum initiatur in Spelæo, in castris verè tenebrarum, coronam interposito gladio sibi oblatam monetur obuia manu capite depellere &c. statim creditur Mithræ Miles, si deiecerit*

a Clemens Alex. in protrept.

b Apuleius lib. 2. metamorph.

c Lactãtius 1. Thebaid.

d Herodot. li. 2. Seruius 3. Georgic. Macrob. li. 1. satur. cap. 21.

e Iamblicus de myster.

f Clemẽs in protreptic.

g In epistolã ad Rom. cap. 1.

h Lib. de Coron milit. cap. 15.

coronâ, si eam in Deo suo esse dixerit[a]. Quæ verba ad initiationem referri debent. Nam Miles cuius meminit Hieronymus ad pompæ sollemnis anteludium pertinet, in qua incinctus balteo Militem gerebat[b], à quo sanctæ militiæ hæc omnis religio nomen sortita est. De Leone ipse Tertullianus[c]. *Sicut aridæ*, inquit, *& ardentis naturæ Sacramentâ, Leones, Mithræ, philosophantur.* Sol enim Leonis vultu in Spelæo colebatur, Persico habitu, & vtrísque manibus cornua comprimens bouis[d]. Nec sunt confundenda hæc sacra: nam vt sub diuersis nominibus numen vnum, sic variè denominatus vnus & idem Sacerdos illa peragebat. Erant Mystæ, nouitij Sacerdotes, erant Antistites Sacrorum proceres[e], qui ἀνακτοτελέται, οἱ τῶν τελετῶν ὅσιοι τελεσταὶ τῶν ἱερῶν[f]. Summus Sacerdos Mithra, qui idem præcipuus & primarius & pater patrum Solis & Mithræ. Ille idem Hierophanta Hecate, Archibuculus Liberi, Pater, & Hierocerix D. S. I. M. Id est Deæ Sanctæ Isidis matris[g].

[a] Tertul. lib. de præscript. cap. 40.
[b] Apule. lib. 11.
[c] Aduers. Marcion. lib. 1. cap. 13.
[d] Lactãtius 1. Thebaid.
[e] Apul li. 11
[f] Clemẽs in protrept. Hesychius.
[g] Inscriptiones 17. & 28. 2.

Iam verò notas inscriptionis sic intelligo, vt V. C. sit vir castissimus, tenax enim castimonia iis Sacerdotibus fuit[h], ideóque ἀγνεύοντες dicti: Sequentes notæ PP: pater patrum, vel pater primarius, præcipuus, πρῶτος ἱεροτελεστὴς, ὁ τελεταρχης. Augentius vnica litera P. insignitus, quæ patrem solùm denotabat. Nam Sacerdos designabatur ab ipsa Dea, qui summo præsente & arbitro, Sacra Mystis ministraret[i]. Vterque TRADIDERVNT. PERSICA. Trádere & accipere verba sacrorum sunt, à nobis Christianis vsurpata παραδιδόναι, καὶ παραλαμβάνειν[k]. Traditio non certo

[h] Ruffinus Eccles. hist. li. 2. cap. 23.
[i] Apuli. 11.
[k] D. Paulus 1. Corinth. 11.

ſtatóque tempore ab initiatis accipiebatur. Nam & dies quo quiſque poſſet initiari, Deæ nutu demonſtrabatur, Κὶ τὰ μυϛήεια τῶν ἁλισκομβαίνοντας, μύσται καλοιῶνται[a]. Μύϛης ὁ τελούμενος, σιωπηλὸς τὰ μυϛήεια μαθὼν μεμνημένος[b], quæ in vulgus non efferebantur, ſed taciturnitate parietibúſque claudebantur[c].

a Suidas.
b Heſych.
c D. Auguſtinus de ciuit. li. 4. ca. 31.

Non tamen omnes qui ſacris initiati erant, Sacrorum obſequio deſpondebantur; Nam omnis dignitatis & ordinis turbæ initiabantur: Sed è grege cæteró ſacrati capiebantur, qui in Paſtophorum Collegium cooptarentur. Παστοφόριον, οἰκονομία, στωαγωγὴ[d], vet. Gloſſ. Atrium templi. Hi per annos quinque myſteria minora docebantur, antequã ad maiora tranſcenderent. Erant enim gradus in myſteriorum perceptione[e]. Primus fuit κάθαρσις purificatio, qua delictorum expiationem de lauacro militibus repromittebant[f]. Deinde ſequebantur myſteria minora κατήχησις & informatio maiorum, qua candidati viua voce initiabantur: myſteria enim non ſcripto vllo, ſed ſola voce tradebantur[g]. Poſtremus myſteriorum actus erat acceptio. Clarè Plutarchus[h], qui Demetrium arguit, quòd vno eodémque tempore minora ſimul & maiora accepiſſet, Κὶ τὴν τελετὴν ἅπασαν ἀπὸ τοῦ μικροῦ, ἀλλὰ τὴν ἐποπτικὴν τελεσθείς. Minora myſteria, priuata vocat Apulejus huius diſciplinæ apprimè ſciens. *Deæ*, inquit, *myſteriis priuatis appoſitus, contubernióque Sacerdotum indiuiduus, & Numinis magni cultor inſeparabilis.* Maiora quæ toto quinquennio diſcebantur, ἐποπτικὰ, ἀρχαιότατα ἱερὰ dixerunt[i], magna ſilentia religionis. Nec verò ſimul & ſemel ſacra illa

d Heſych.
e Caſaubõ. in Athenæ. li. 6. cap. 15.
f Tertul. de præſcript. cap. 40.
g Maldonat in præf. D. Lucæ.
h In Demetrio.
i Demoſth. contra Neæram.

illa tradebantur : nam & tertia plerúmque Teleta ſuſcitabatur. Seruabat Eleuſis, quod oſtenderet, reuiſentibus[a]: initiati autem qui ſe credebant, in veſtibulo eius hærebant, id eſt, in Paſtophorio. Quibus aliis temporibus, tradebant Perſica, aliis Eliaca, vt cętera, quæ hac inſcriptione enumerantur. Quamuis enim connexa hæc ſacra, & vnica ratio numinis religioníſque eſſet : Tamen Teletæ diſcrimẽ maximum intererat: & qui Deæ Iſidis ſacris imbutus, nec dum Oſiris ſacris aut Serapis, Orgiis illuſtratus erat. Germanæ quidem religiones, diuerſi verò ritus, diuerſa traditio, quæ tempore Deæ monitu deſignato fiebat. Perſica tradiderunt Prid. Non. April. Eliaca 6. Kal. April. Patrica 13. Kal. Mai. [b] Perſica ab Eliacis ſeparata, cætera à cæteris : Illa tradita CONS. S. S. Lapis alius has notas habet CONS. SVPRA. S. Interpretabar ex Apuleio *Conſtituto ſupra ſolium*. Ille enim. *Sacerdos ducit ad ipſius Sacrarij penetralia* &c. Deinde *Ante Deæ ſimulachrum conſtitutus, Tribunal ligneum iuſſus ſuperſtiti*. Atque ita conſtituto Sacerdoti Eliaca tradita arbitrabar. Placet magis Syrmondi ſententia vt hæ notæ. CONS. SVP. S. ſignificent, *Conſulibus ſupra ſcriptis*. Tum enim vbique ponuntur, cùm poſt anni notam & mẽſis aliquid aliud adiicitur, quod eodem anno, ſed alio menſe dicitur actum.

[a] Senec. lib. 7. natur. quæſt. ca. 31

[b] Inſcript. 303. 1. & 2.

Traditiones ad inſtar voluntariæ mortis & precariæ ſalutis celebrabantur. Accedebant ſacrati, mortis confinium, luménque Proſerpinæ calcabant, & ab iis ſomniorum viſis, quæ mente & ratione vacua obiiciebantur ἐποπτεία dicta, & conſecrati ἐπόπται

inſpectores eſt. Ἐπόπται γὰρ λεγονται, ἐποπτεύσαντες, θεωρήσαντες[a]. Hanc vocem Scaliger Tertulliano[b] feliciter reſtituit. *Illa*, inquit, *Eleuſinia hæreſis & ipſa Atticæ ſuperſtitionis, quod tacẽt pudor eſt, idcircò & aditum priùs cruciant, diutius initiant quàm conſignant, cùm Epoptas ante quinquennium inſtituunt.* Malè in vulgatis legitur, *cum & portas.* Non temerarium eſt quod Tertullianus profert, diutiùs initiant, quàm conſignant. Conſignatio enim ad ἐποπτείαν perneceſſaria. Qualis illa fuerit narrat Clemens[c], Ieiunaui, potum confectum bibi, ex ciſta accepi, poſtquam feci, depoſui in calathum, & ex calatho in ciſtam. Τὸ σεμνότατον Ελευσινίων μυστηρίων, σήσυμα, ἔπιον δὲ κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην. Verba inſcriptionis ſequentia FELIC. explicat vetus illa formula conſecrationis, *Quod fœlix itaque fauſtum, ſalutaréque tibi ſit, animo Gaudiali, rurſum Sacris initiare, Diis magnis authoribus.* Conſecratis. OSTENDERVNT. CRYFIOS. Fabrile mendum adfirmat Rigaltius, qui legendum cenſet Griphos, illíque adſtipulari Apuleius videtur[d]. *Ante Deæ*, inquit, *ſimulachrum Sacerdoti conſtituto, humeris dependebat ponè tergum talorum tenus, pretioſa Clamyda, quaque viſeres colore vario circunnotatis inſignita animalibus. Hinc dracones Indici, inde Griphes Hyperborei, quos in ſpeciem prinatæ aliis generat mundus alter.* In mẽſa Iſiaca Griphi multis variiſque formis cælati ſunt, qui Apollini ſacri: Cum tamen & in aliis inſcriptionibus legatur *oſtenderunt Criphios*, Scripturam retineo. Κρυφίους, intelligo occulta illa & abdita, quæ prodebantur inſinua-

[a] Lexic. vet. græcolat. Heſych.

[b] Ii. aduerſ. Valẽtinian. cap. 1.

[c] In protrept. ic.

[d] Lib. 11.

bantúrque ſacratis. Quæ fuerint, Tertullianus paucis[a]. *Cæterùm tota in Adytis diuinitas, tot ſuſpiria Epoptarum, totum ſignaculum linguæ, ſimulachrum membri virilis reuelatur.* Paulus Petauius Curiæ Pariſienſis Senator, amicus noſter, iuris ciuilis præter veterem, & benè fundatam peritiam anxiè diligens, ſed antiquitatis omnis aſſertor digniſſimus, ſignum habet Deæ Iſidis perantiquum, cuius delineatio Tertulliani verba abundè explicare poſſet.

[a] Aduerſ. Valentin. cap. 1.

Imago eſt marmorea, quæ nuda ad vmbilicum, ab eo in columnam deſinit, Caryatidum more. In hac depictum illud neruoſius quod zonã virgineam ſoluere poteſt. Pudore malui obtegere pudendum, quàm lectorum oculis, operis nobilitatem ſubiicere. Quamuis virecundari neminem hac in re deceat, qua Liuia ipſa Auguſti non moueretur. Sed cùm verecundiæ partes ſint non offendere: & quædam honeſtè dicantur, quæ turpiter depinguntur. Ne deformitas elegãtis ſtatuæ offenſionem pariat, verborum etiam meorum veniam peto. In Tertulliani lectione non placent *ſuſpiria Epoptarum.* Peſſimè emendauit Pamelius *ſiparia portarum.* Conijcio legendum *ſuſpicia Epoptarum*, voce Africano ſcriptori non inſolente: Suſpicia θεωρίας.

Ciſta Secretorum capax penitùs celans, operta myſteria religionis, alia etiam multa cõtinebat, quæ apertiùs Clemens[b]. Οἷαι ὁ ἡ αἱ κίσται αἱ μυστικαί; Δεῖ γὰρ ἐπογυμνῶσαι καὶ τὰ ἄγια, καὶ τὰ ἄῤῥητα ὀξφπεῖν. ὑ σπαθμη ζῶπα, καὶ πυρεμίδες, καὶ πολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, χόνδροντε δύω, καὶ Δράκων ὄργιον Διονύσου Θαυμάζου. ἐχὶ ὁ ροιαὶ,

[b] In protrept.

πρὸς τοῖς ὑ ἡ καρδίαι, ναρθηκές τε ἡ κιστοί. Πρὸς ὑ ἡ φθοῖς ἡ μήκωνες. Τοῦτ' ἔστιν αὐτοῦ τὰ ἅγια. Quales sunt Ciſtæ eorum myſticæ? Oportet enim Sacra eorum denudare & ſilentio ſuppreſſa enuntiare. Nonne ſunt Seſama (id eſt frumentum Indicum[a]) Pyramides, lanæ bene depexæ, Liba variis diſtincta vmbilicis, Saliſq; micæ & Draco, Orgium Dionyſi Baſſari? Nónne mala punica atque etiam Corda, ferulæ & hederæ, præterea placenta & papauera? Hæc ſunt eorum ſancta.

[a] Dioſcorid. 2. cap. 121

Teletam ſæpè repetitam & acceptam inſcriptiones docent. Ex quo Herodotus[b] multos ſimul conſecrari tradit, & cuíque Deorum gregatim non ſigillatim, ἱερᾶται ὑ οὐκ ἑκάστου τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ πολλοί, De prima initiatione debet intelligi non de Teleta. Notæ literarum ſequentes. C. P. nihil aliud ſignant niſi, cùm prioribus. Tradiderunt Perſica & Eliaca, aliquo poſt tempore tradiderunt Coracica. Nec enim omnes ad omnia Sacra vocabantur. Auguſtus cum res Græciæ cóposuiſſet, τῶν θεοῖν μυστηρίων μετάλαβεν[c]. duorum Deorum Sacris initiatus eſt. Sed quomodo anno triceſimo conſecrationis tradita ſunt Coracica, cùm quinquennium ſufficeret ad maiorum myſteriorum acceptionem? Triceſimus ille annus vt me Syrmondus docuit, ad Patrem Augentium referendus eſt, non ad filium Coryphonem.

[b] lib. 2.

[c] Dio lib. 51

De Leonticis inſignis locus eſt, quem è nimpharum antro abditum effodere conabor[d]. Ὅταν μὲν τοῖς τὰ Λεοντικὰ μυεμένοις, εἰς τὰς χεῖρας αὐτῶν ὕδατος, μέλι νύφασαι ἐγχέωσι, καθαρὰς ἔχειν τὰς χεῖρας παραγγέλλουσιν ἀπὸ

[d] Porphyrius de antro nymphar.

πάντος λυπηρεῦ ἢ βλαπτικοῦ ἢ μιαροῦ. Καὶ ὥς μύρῳ καθαρτικῷ ὄντος, τῷ πυρὸς οἰκείᾳ νίπτεσι παρασκευάζουσι, παρασκευάσμασι. Ὃ ὕδωρ ὥς πολεμοῦν τῷ πυρί. Καθαίρουσι ἢ καὶ τὴν γλῶτταν τῷ μέλιτι ἀπὸ πάντος ἀμάρτωλοῦ. ὅταν ἢ τῷ Πέρσῃ παρασπάσωσι μέλι ὥς φύλακι κηρπὸν, ὃ φυλακτικὸν ἐν συμβόλῳ πίνεται. Leontica enim accipientibus ſacratis, in manus vice aquæ mel infundunt, vt lauent, puráſque manus habere hortati ab omni turpitudine impedimento & ſcelere. Atque ita cum ignis habeat vim purgandi Sacerdotem, ignem pollubra domeſtica admouent, aduerſati aquam quaſi bellum igni inferentem. Purgant & melle linguam ab omni peccato, quando Perſæ Deo mel offerunt, velut fructus conſeruatori: Ciſtámque inter religionis Symbola ponunt. Locus eſt alter authoris eiuſdem [a]. Ἐν τοῖς τῷ Μίθρᾳ μυστηρίοις, τὴν κοινότητα ἡμῶν, τὴν παρὰ τὰ ζῶα αἰνιττόμενοι διὰ τῶν ζώων ἡμᾶς μιμεῖσθαι εἰώθασι. Ὡς τοὺς μὲν κατέχοντας, τὰ αὐτῶν ὀργίων μύστας, λέοντας καλοῦ. Καὶ ἢ γυναῖκας, ὑαίνας. Τοὺς ἢ ὑπηρετοῦντας, κόρακας. Ἐπὶ τε τῶν πατέρων. Αετοὶ γὰρ οἱ ἱέρακες, ὅτοι παρασπορεύονται, ὅ τε τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνων. Μεστὴ ἐστὶ πάντα ζώων μορφῶν. In Mithræ myſteriis communionem veſtram cùm animalibus obſcure innuentes per animalia nos demonſtrare ſoliti ſunt. Vt ipſorum Orgiorum Sacerdotes Leones appellare: mulieres, Hyænas: miniſtros Sacrorum, Coruos. Ex patribus, nam & accipitres ſunt, corui illi appellantur. Quíque Leontica accipit, induit omnimodas animalium formas. Hæc fuit Teletæ hoc eſt Sacerdotij conſummatio, quàm ſæpe repetitam pro numinum diuerſitate, variæ traditio-

[a] lib. 4. de abſtinentia.

nes ostẽdunt. Extat mensa Isiaca, quæ in Ducis Mantuani bibliotheca adseruatur ex Petri Bembi reliquiis illustrata pridem, perdoctis Pignorij commentariis, ex qua cognoscere est literas ignorabiles, καὶ τὴν συμβολικὴν καὶ τελεστικὴν θεολογίαν, quæ sculptis rerum animaliúmque figuris tradebantur. Nam sculpturæ illæ effigiésque quas videmus in tabula, Ægyptiæ erant literæ, quibus sensus mentis primùm effinxerunt [a]. Nummum Isidis matris subiicio, quæ equino capite denotatur.

[a] Plin. li. 36. cap. 8. Tacit. lib. 11. Annal.

DE TELETA ITERVM. COENA *Pontificum illorum epulum* DICIS *causa.*

CAP. XXVI.

TELETA etiam pro Sacerdotij sumptibus quandóque vsurpatur. Τέλος enim dicitur dignitas & tributum & sumptus [b], qui non

[b] Elias in Greg. Naz. adueis. Iulian. orat. 3.

modicus fuit in Sacrorum acceptione [a]. Præcipuè in Patricis quæ Bacchi propria vino & epulis semper abũdarunt. A Patricis, patricè & magnificè Plautum dixisse crediderim [b]. Sed Pontificum nostrorum cœnæ non minus instructæ aut minores illarum sumptus parciórque iactura fuit. Saliis cœnaturis creditor erat necessarius [c], & sestertium octogies pro noui Sacerdotij introitu Claudius impendere coactus, ad eas res familiaris angustias decidit, vt cum obligatus ærario fidem liberare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependerit sub edicto præfectorum [d].

[a] Apule. li. 11.

[b] In Casin.

[c] Tertull. in Apolog. ca. 39.

[d] Sueton. in Claud. cap. 9.

Antiqui moris fuit vino vel vllis aliis delitiis non indulgere, nisi Deorum causa. Hinc sunt θοῖναι, θαλίαι, μέθαι, quarum vocum origo conuenticula religionis ergo, atque conuiuia declarat. Quod testatur Seleucus apud Athenæum [e], qui θοίνας quidem dictas ait, quod fas esset ἅπαξ τοὺς θεοὺς οἰνοῦσθαι δεῖν, ob Deorum sacra vino indulgere. θαλίας ob illorum reuerentiam, à quo δαῖτα θαλίαν [f], Homerus abundans conuiuium, delicias vocat, & θαλία pro florenti vitæ statu, & affluentibus deliciis accipitur, θαλία δ' ὄλβιος ἀνὴρ. Μέθας denique quod μὴ τὸ ζῆν, ἀπλῶς χρῆσθαι. Peractis Sacris vino indulgerent. Verecundè Seleucus. Nam μέθη est ebrietas κραιπάλη, σκότωσις οἴνου, cuius specimen in Pontificũ cœnis exhibet Lyricus poeta [g].

[e] lib. 2.

[f] Iliad. 1. πέφνεται θαλίη ἐνὶ πολλῇ.

[g] Horat. li. 2. od. 4.

Absumet heres cæcuba dignior
Seruata centum clauibus, & mero
Tinget pauimentum superbo
Pontificum potiore cœnis.

Pontificum cœnas voco & Augurales,& Saliares, & Collegiorum,quæ innumerabiles excandefaciebant, Annonam macelli[a]. Sacerdotales cœnæ adiicialibus nomen indiderunt,quæ tricies frugaliſſimis viris cõſtiterunt[b]. Adiiciales vocatæ, quod noui aliquid cibi ſemper adiiceretur[c].Celebris eſt illa Hortenſij Auguris, qui Pauonem cibi gratia, Romæ primus occidit adiiciali cœna Sacerdotij[d]. Quod protinus factũ tàm luxurioſi, quàm ſeueri boni viri laudauerunt. Vetuſtiſſimam cœnam, quæ ſcripta erat in Indice quarto Metelli Pontificis maximi, Macrobius refert[e]. Cuius ordinem apparatum & epulas inſtituerunt illi, qui omnibus negotiis horiſque intereſſe credebant Deos,quos ideò placatos vitiis ſuis æſtimarent. Atque vtinam noſtri eorum mores hac in re non imitarentur, Sed ô tempora!

-- homines paruulos
Potare, amare, atque ad cœnam conducere,
Licet hoc Athenis nobis.

Quod quidem vitæ me ſatuerat, mihi diuidiæ & ſenio eſt, Chriſtianos homines, epulas profuſas adeò curare, vt eorum conuiuia regales menſas iamdudùm ſuperarint[f].

Sed prior Pontificum cœna nos detineat, quæ ita mihi opipara eſt, ita lauta, vt nihil magnificentiùs adſtrui potuerit, nihil ad euertendas ſumptuarias leges fortiùs,nihil digniùs Cenſoria nota.Extant Cenſoriarum legum paginæ, queis interdicuntur cœnis abdomina(quibus P.Mimus nomen impoſuit) glandia,teſticuli,vuluæ,Sincipitia verrina[g].Lege Fannia, annis

a Varro lib. 3. de re ruſtic. cap.2.
b Senec. epiſt. 95.
c Celſus li. 4. cap.2.
d Plin. lib. 10. cap.20.
e 2.ſatur.ca. 5.
f Ammian. Marcell. li. 27.
g Plin.li. 8. cap.51.

annis vndecim ante tertium bellum Punicum, cautum erat, ne quid volucrum poneretur in cœna, præter vnam gallinam quæ nō esset altilis, quod translatum per omnes leges ambulauit. Licinia lex centenarias edixit cœnas [a]. Sed leges omnes cùm Orchia, Didia, Cornelia, Æmylia, Antia, Iulia conticuerunt, vbi Pontifices voluerūt exquisitis epulis saginari. Ex Metelli indice iampridem euersæ leges, & conuiuis sexdecim apposita cœna, quę parasitis centum famelicis nauseam concitasset. Sincipitia, sumina, gallinas altiles, & id genus epularum, quod legibus interdictum est, non attingam: Sed degustabo aliquid ex hac cœna, quæ stomachum meum reficiant. Menda duo in Macrobij lectione notaui. Primum leue est, & pro Glycomaridas legēdum Glycymerides [b] cancrorum genus. Alterum grauius est. Nam quid sibi hæc verba velint *lumbos capragines aprugnos*, vix Oedipus coniectari posset, quod & Apicius ignoraret. Legunt quidam *Capras Oryges*, alij *lumbos Capraginos*: Quod vtrumque nullas delitias sapit. Ausim ego affirmare inter huius ęui Criticos, censentes vario diuersa palato, illud verbi *Capragines*, glossema esse textui accómodatum. Plinium habeo magistrum [c]. *Placuere*, inquit, *& feri sues. Iam Catonis Censoris orationes, aprugnum exprobrant callum. In tres tamen partes diuiso, media ponebatur, lumbus aprugnus appellata.* Lumbi aprugni media pars aprugni calli. An Lumbi illi sint ὀσφύες, ἰσχία pars illa spinę inter dorsum media, viderit nouus aliquis Apicius: Ergasilus Plauti [d] illud sentire videtur, *vt ego Callos*, inquit, *prætruncabo ter-*

[a] Festus in verb. Centenariæ.

[b] Plin. li. 32. cap. 11.

[c] Plin. li. 8. cap. 52.

[d] Plaut. in Pseudol.

gorio. Doctissimi viri emendarunt tergoribus, contra Plauti vetustatem & venustatem. Alij reposuerunt pecoribus, qui suam hac in re egerunt causam.

Huc vsque quid verè sit aprugnum callum, quod aqua macerabatur, non satis intellectum. Callum aprugnum propriè fuit abdomen legibus Censoriis interdictum. Hac in re à Plinio[a] non recedo qui *vuluam electo partu meliorem, quàm edito scripsit. Electitia illa vocabatur; hæc porcaria, proxima electitiæ & occisæ vno die post partum. Huius & sumen optimum, si modo fœtus non hauserit: electitiæ deterrimum. Antiqui abdomen vocabant: priusquàm calleret id, scientes occidere non assueti.* Errorem notat in his verbis Plinij Hermolaus Barbarus, qui scribendum arbitratur. *Antiqui abdomen vocabant, prius callere id sinentes, occidere non assueti.* Atque hunc sensum putat. Id quod modò sumen dicitur, hoc est Suillas cùm lacte suo mammas, veteres abdomen vocabant, ab lacte iam abdito & fugato, vt pote, quæ antequam vbera callescerent, hoc est, siccato lacte durescerent, suem occidere non solerent. Hoc callum in deliciis fuit, & nescio an nobilius fuerit, quàm media illa pars, quæ lumbus aprugnus fuit appellata. Sed hoc scio callum tandem pro duriore apri qualibet parte fuisse vsurpatũ. Ruricius[b], Tergus Aprugnum appellat, *Tergus aprugnum me pietati tuæ indico transmisisse, vt dum nos volatilia quæ transmisisti deliciamur, tu bipede de quadrupede facto satieris.* Malè excussum est apruhum. Liberum est vnicuique sententiam dicere, huius lectionis cibum fastidire, & apparare sibi quæ palatum excitent.

[a] li. 11. ca. 37

[b] li. 2. ep. 42. ad Constantium.

Omitto cœnas publicas, viaticas, Geniales, Triumphales, dubias, dapales, quæ amplis dapibus plenæ fuerunt. Venio ad Deorum cœnas in quibus ponebatur Catulina, quam adijcialibus quidem epulis celebrem fuisse Plauti fabulæ testantur[a]. Ab his festæ dapes, quæ festis conuiuiis Deorum, & in sacrificiis impendebantur[b]. Harum apparatus instructissimus. Atque vt quisque sacrificabit, cœnam iubebat continuò coqui, & familiares suos ad exta adducebat[c]. Quod ciborum genus fugientes Christiani *profanam cœnam*[d] appellarunt, & *cœnare in Idolio*[e].

Pontifices verò non solum in inaugurationibus, sed etiam in sacris quamplurimis cœnæ interfuerũt, vel dicis causa. Nam & ad vetustatis memoriam epulatio in sacris quibusdam retenta est. Quæ δίωχλα, illáque dicis causa, vt ex Plinio Turnebus annotauit[f]. *Cibus*, ait Plinius, *è manu prolapsas reddebatur vtique per mensas, vetabántque munditiarum causa deflare. Et sunt condita Auguria, quod loquenti cogitantíue id acciderit, inter execratissima. Si Pontifici accidat dicis causa epulanti, in mensa vtíque id reponi, adolerique ad larem, piatio est.* Error in vulgatis, vbi scriptum Ditis causa, quam lectionem retinet Sigismundus Gelenius, vir de literis bene meritus. Sed dicis causa est νόμου χάριν, λόγου χάριν. Nec enim Ditis vt Iouis epulum fuit. Secundùm veterem tamen ceremoniarum ritum, Flamini Diali Pontificibúsque inanis cœna non apponebatur[g]. Sed epulum dicis causa multùm à sollemni cœna differebat, quam viri pietate insignes in nostris detestati sunt, & impiã odiosamq; consuetudinẽ vocauerunt[h].

[a] Plinius li. 39. cap. 4.

[b] Nonius in verb. Dapalis. Seruius. 3. & 8. Æneid.

[c] Plautus in Amphitru. Milet. Pœnul. Rudẽt.

[d] Martyrolog. 4. septemb.

[e] Cõcil. Ancyran. ca. 4. & 6. Cõcil. Gangrens. cap. 2.

[f] lib. 28. ca. 2

[g] Seruius in sched.

[h] Gẽnadius ad episcop. vrb. Rom.

CVRIA PONTIFICVM PONtificale pomœrium.

CAP. XXVII.

CVRIAE duorum ſunt genera[a], & vbi curarent Sacerdotes res diuinas: & Curię veteres, vbi Senatus humanas, vt Curia Hoſtilia. In Curia Calabra ratio Sacrorũ habebatur[b], illáque Pontificum propria fuit, quæ malè in Gloſſario vetere ἱππων βυλὴ. Errorem vidit doctiſſimus Scaliger, ſed non abſtulit. Certiſſima eſt Vulcanij viri literis elegantioribus imbuti emendatio, qui legit ἱερῶν βυλὴ. In Curia Calabra, quæ erat in Capitolio, primis menſium diebus calabantur eius menſis nonæ à Pontificibus, Quintanæ an Septimanæ eſſent futuræ[c]. Verba ſollemnia Pontificum hæc fuerunt[d], *Dies te quinque Kalo Iuno nouella: ſeptem dies te Kalo Iuno nouella.* An verò hæc verba ſepties proferrentur, vt prodit Scaliger, ex Varrone non ſatis liquet. Erant & Curiæ triginta, vt in ſua quiſque Curia Sacra publica faceret, feriáſque obſeruaret. Hæ maximi Curionis authoritate regebãtur[e]. Curiarum Flamines, vocabantur Curiarum Sacerdotes: & Curiales, eiuſdem Curiæ, qui diuerſi ſunt ab iis qui in Gloſſario βυλόται. Scribit Scaliger Curiales poſtea Curiones dictos, quod antea Curionum eſſet habere Comitia: qua ratione motus hoc ſcripſerit vir qui

[a] Varro li. 4 de ling. lat.

[b] Feſtus in verb. Curia.

[c] Varro li. 5 de ling. lat.

[d] Scalig. lib. 2. de emendat. temp.

[e] Feſtus in verb. Curiales.

nihil sine ratione summa, mihi certè non satis compertum est. Nam Curiata Comitia habendi ius erat Patritiis magistratibus & Pontificibus. Illis quidem cum leges Curiatæ ferebantur: his verò Sacrorum causa ad creandos Sacerdotes vt Flamines maiores, Maximum Curionem. Nam Curiones alij φρατρίαρχοι Curiarum suffragio creabantur[a], nec à Collegis eligebantur. Nihil ergò Curionibus cùm Curiatis Comitiis, in quibus populus curiatim suffragium ferebat. De Curia Pontificum vetus est inscriptio Bexæ in Lusitania.

[a] Dionys. li. 2.

CVRIAE. PONT
FLAM. PACIS. IVLIAE
VE. FLAM

498. 8.

Fuit & Pontificale pomerium[b] ager ponè murum in quo Pontifices sua constituebant auspicia. Pomœrij autem ambitu, Auspicia vrbana finiebantur, quæ certis & definitis locis captabantur, iisque muro proximis, vt liberior esset adspectus in cœli spatio designato, quod templum vocabatur[c]. Ab eo Pontificale Pomœrium dictus est locus, in quo Pontifices considere solebant, cum Auspicia captarent. Prosmurium dixit Atteius in commentario Iuris Pontificalis.

[b] Festus in Sched.

[c] Varro lib. 4. & 5. de ling. lat.

PONTIFICVM ALIORVMVE

Sacerdotum immunitas. Illorum honor.

CAP. XXVIII.

VARRO in antiquitatibus author est, Sacerdotibus immunitatem à militia concessam, illósque ab vrbanis molestiis liberos esse[a]. *Cùm Sacerdotes Deorum vacationes habeant*, inquit Tullius[b], *quantò est æquius habere ipsos deos*? Quæ immunitas ab ordinariis etiam muneribus liberare solebat, ex veteri inscriptione quæ est Neapoli.

a Dionys. li. 2.
b Cicer. 4. Academic.

484. 6.

VERATIO. A. F. PAL. SEVERIANO EQVITI. ROM. REIP. TEGIANENSIVM. ADLECTO IN. ORDIN. DECVRION. CIVI. AMANTISSIMO QVI. CVM. PRIVILEGIO. SACERDOTI. CÆNINENSIS. MVNITVS. POTVISSET. AB. HONORIBVS ET. MVNERIB FACILE. EXCVSARI. PRÆPOSITO AMORE. PATRIÆ. ET. HONOREM. ÆDILITAT LAVDABILITER. ADMINISTRAVIT.

Sed vacatio illa tandem, quæ insigne Sacerdotij ducebatur[c], ab extraordinariis tantùm, non etiam ab ordinariis muneribus & legitimis, Sacerdotes liberauit, à quibus pridem vt ab aliis ciuibus stipendium extortum est[d]. Quod magnum certamen concitauit

c Symmac. lib. 10. ep. 54
d l. 6. D. de vacat. muner. l. vnic. C. de vacat. publ. mun.

Quæstoribus vrbanis, Q. Fabio Labeoni & L. Aurelio[a]. Pecunia opus erat quod vltimam pensionem pecuniæ in bellum collatæ, persoluere placeret priuatis: Quæstores ab Auguribus & Pontificibus, quod stipendium per bellum non contulissent, petebant. Ab Sacerdotibus Tribuni nequicquam appellati, omniúmque annorum per quos non dederant exactum est. [a] Liuius li. 33.

Immunitatis Sacerdotalis vestigia quædam in libris nostris habemus à viris doctissimis explicata. Vlpianus libro singulari de officio Prætoris Tutelaris scripsit[b]. *Athletæ habent à tutela excusationem, qui sacris certaminibus coronati sunt.* Ἔνοχοι ἱερωσυνῶν, οἷς Ἀσιαρχία, Βιθυνιαρχία, Καππαδοκαρχία. Πρέπει δὲ καὶ λειτουργίαν ἀπὸ ὅπλων τοῦτ' ἔστιν ἕως αὐ ἀρχῆς. Prouinciæ Sacerdotium vt Asiarchia, Bithyniarchia, Cappadocarchia præbet à tutela immunitatem, dum ei muneri quis præest. Hæ Prouinciarum præfecturæ videri possent, cum tamen sint Sacerdotia. Quo modo Constantinus Imperator Phœniciarchiam & Syriarchiam Sacerdotij ornamenta explicauit[c]. [b] l. 6. de excusat. in pand. Florentin. [c] l. 1. C. de natur. liber.

Arabarchiæ per Ægyptum vectigal submotum an ad Arabiæ sacerdotem pertineret dubitauit Antonius Augustinus: Sustulit dubitationem Cuiacius, qui Alabarchiæ nomen perdoctè restituit[d]. [d] lib. 8. obseruat. ca. 37

In municipiis Sacerdotales & Flamines perpetui, atque etiam Duumuirales ab annonarum præposituris inferioribúsque muneribus quæ sordida dicebantur, immunes erant[e]. [e] l. 2. quèad. munera ciuil. indic. C. Theodi.

Sacerdotes nostros Regia nexus constitutione

exſolutos, qua corpus aliorum liberũ quarto menſe poſt iudicatum, ni ſoluatur, carcere poteſt mancipari, ſollemni Placito, in ſacra ante diem Paſchæ purpura, toto audiente foro (Antoni Præſes doctiſſime) hoc anno [a] pulchrè, oratoriè & cùm imperio dixiſti. Illo ipſo die, cùm hoc libri caput excuderetur; Ingenium, memoriam, iudicium, doctrinam, prudentiam ſingularem tuam cùm cæteris omnibus, ita miratus ſum; vt te ſummis ornamentis honorum, fortunæ, virtutis & humanitatis præditum, neque ſatis mirari vſquam, neque ſatis laudare quiſquam poſſit.

a 16. Kal. Maij. 1612.

Pontificum Rom. alij prętereà honores multi, inter quos ius vetuſtum fuit, Sella Curulis cùm toga prætexta. De Curuli nummus eſt Cottæ Pontificis maximi.



De Prætexta multi multa [b], inter quos Baiſius [c] breuiter & doctè. *Prætexta*, inquit, *cui purpura prætexitur*, quam Plutarchus [d], περιπόρφυρον ἱμάτιον. Athenæus [e], περιπόρφυρον χιτῶνα. Prætexta enim ſimpliciter prolata, à purpurea prætexta differebat, vt ex Liuio [f] facile eſt conijcere. Ille. *Valerius*, inquit, *Tribunus pleb. cùm*

b Macrob. 1 ſaturn. ca. 6.
c De re Veſtiatia.
d In Sertorio.
e lib. 6.
f lib. 34.

cùm dissereret contra legem Oppiam: Purpura, ait, viri vtemur prætextati in magistratibus, in Sacerdotiis: Liberi nostri prætextis purpura togis vtentur, magistratus in Coloniis municipiisque. Hîc Romæ in infimo genere magistris vicorum togæ prætextæ ius permittemus. Prætexta igitur est περιπόρφυρος. At prætexta purpurea ἐκ πορφύρας vel ὁλοπόρφυρος. Prætexta vulgatior, quæ pueris, magistris vicorum & fœminis concessa est: Purpura Sacerdotibus & magistratibus solùm. Iosephus Scaliger[a] vir vt honoribus sic doctrina verè princeps, vsum purpuræ sacrum rectè putat, illúmque magistratibus concessum, non tam Magistratus iure, quàm ludorum & votorum causa. Sic Seuerus Alexander[b] recepit prætextam cum sacra faceret, sed vt Pontifex maximus, non vt imperator. Nam Imperatori picta potius toga debebatur.

[a] Ad Festũ in verb. prætexta.

[b] Lamprid. in Alexãdr.

Pictæ vestes iam apud Homerum fuerant, vnde triumphales natæ[c]. Scaliger tamen pictam togam & purpuream eandem putauit. Quod ex Festi verbis colligi non potest, & nummis veteribus confutatur. Pictam togam in nummis Cæsaris Augusti expressam habemus.

[c] Plin. lib. 8. cap. 48.

Picta triumphantium erat, qua vsus Nero in Circensibus ludis[a]. Prætextæ purpureæ magistratibus vsus fuit in sacris, pompis, & festis Deorum[b], ἀλουργεῖς ἀμπεχόνας Dionysius vocat, pictas verò χρυσίνους. Vbi interpres vertit λευκὴν ἐσθῆτα περιπόρφυρον prætextam candidam. Malè: debuit enim prætextam solùm dicere vel prætextam purpura togam. Prætexta alba erat, sed limbo purpureo circumtexta[c]. Prętexta candida est vestis pura καθαρὰ, quæ ἁπόρφυρος[d].

a Tacit. 12. Annal.
b Dionys. li. 4.
c Gloss. vet.
d Plutarch. in Anton.

DE HABITV ET ORNAMENTIS Pontificum.

CAP. XXIX.

HVIC capiti tanquam auctuarium quoddam supra mensuram vel pondus iustum adiiciam, Ornamenta Pontificum, quos suis vestibus indutos antiquitas venerata est, posteri mirantur. Tria sunt, inquit Suetonius[e], pileorum genera. Erat Apex, Tutulus, Galerus. Apex pileus subtilis fuit circa medium virga eminente. Tutulus pileus lanatus, metæ figuræ. Galerus ex pelle hostiæ Ioui cæsæ, qui frequentius albogalerus dicitur. Hic Diali Flamini proprius fuit, nec vlli alij Sacerdoti. Apices reliquorum sunt Flaminum & Sacerdotum. Tutulus Pontificum[f]. Dialis sine galero & prætexta nunquam erat in publico. Martialis & Quirinalis neque semper prætextam neque

e In lib. de genere vestiũ Seruius 2. Æneid.
f Festus in verb. Tutulum.

Apicem gestare non solebant, nisi sacrificij tempore. Apicis formam qui ab Apêre dictus, [a] quod ritu Flaminum significat alligare, videmus in nummis Licinij Stolonis.

[a] Seruius 8. Æneid.

In hoc nummo designatus Apex, quæ virga est in summa pilei lunula circumdata, qui bicornis sursum erigitur: Cuius ligaturæ nodi vtrimque penduli, quibus Apex retineretur aut remitteretur, Offendices dicuntur [b]. Tutuli eadem fermè figura quæ in metæ cacumen desinebat, & lunulæ loco, quæ in Apice prominet, virgulam habet incuruam, quæ deorsum flectitur ex Iulij Cæsaris nummis.

[b] Festus in verb. offendices.

Gulielmus Cholius Delphinatus Prouinciæ præfectus, vir inter primos antiquitatis assertores numerandus, in libro de religione veterum Romanorum gallicè scripto, ex antiqui zophori sculptura depictos Albogalerum & Tutulum ita expressit.



Accedit ad hanc Tutuli figuram alia in Onyce impressa cum vrceolo, & Gallo gallinaceo, quæ Pontificatum Auguratúmque designant.

Nam vt Pontificatus Tutulo aut Vrceolo: Sic Au-

guratus lituo vel gallo gallinaceo denotatur. Flamines cũ Apice sacrificabant ex nũmis Licinij Veri.

Lituus in hoc numismate tributus Flamini me aliquantisper detinuit, non quod ille Auguratus esset insigne. (Nam & Pontificibus lituus fuit communicatus) sed quia Flamines commentaculo in Sacrificiis vtebantur. Nummus Augusti pulcherrimus nodum omnem dissoluit.

Ex quo lituum & commentaculum Flamini videmus fuisse commune. Pontifices vero laurea corona redimiti, velato capite sacrificabant. Hunc morem tangit Virgilius[a].

[a] Virgil. 3. Æneid.

Purpureo velare comas adopertus amictu.

Caput M. Lepidi Pontificis maximi hoc modo velatum habemus in nummis

Et Pontifices velato capite vt plurimùm animaduerti, Tutulum gestantes non vidi præterquàm in nummis Numæ

Hunc Pontifices instituisse, nec tamen Pontificem fuisse sciunt omnes. Quare nummi regiam magis quàm Pontificiam denotare dignitatem viderentur. Regibus enim post Pontifices institutos remansit quorundam sacrorum cura. Nos de his postea vbi de capite & lituo.

Pontificum integumentum velũ fuit purpureum: vt Veſtalibus album, quod quidem ſuffibulum dicunt, album ſcilicet veſtimentum, prætextum, quadrangulum, oblongum, quod in Capita Veſtales cum ſacrificant ſemper habere ſolent, ídque fibula comprehenditur. Ex P. Raſcaſij gemma, quas vir ſingulari induſtria parat multas. Exemplum habeo Veſtalis cum ſuffibulo.

Quod velo adumbraſſem niſi vir doctus ſcriptis ſuis illud obduxiſſet. De Suffibulo lex erat ſcripta in Sacrario Deæ Opeconſiuæ[a]. HOC. PRÆTER. VIRGINES. VESTALES. ET SACERDOTEM. PVBLICOM. INTROIRE. NEFAS. ESTO. IS. CVM INTROIERIT. SVFFIBVLVM. HABETO. Mirum quod Pontifex qui Sacerdos publicus, cum penum Veſtæ adiret, virginum integumento, hoc eſt ſuffibulo vti debuerit. Sic Virgines Saliæ ſacrificium facientes, cùm Pontificibus in regia paludatæ cùm Apicibus erant, in modum Saliorum[b]. Sed ad cætera Pontificum ornamenta tranſeamus, & veſtes illorum cæteras paucis explicemus. De præ-

[a] Scalig. ad feſtum in verb. ſuffibulum.

[b] Feſtus in verb. Salias virgines.

texta purpurea hactenus dictum est; pura vestis & impolluta Pontificũ sumenda nobis est & sarcienda. Pura vestimenta, inquit Festus[a], Sacerdotes populi Romani cum sacrificabant habere soliti erant, id est, non obsita, non fulgurita, non funesta, non maculata, Scaliger emendat obstita, id est, violata tactáque de cœlo, rectissimè. Puram vestem Seruius[b] aliter componit. *Impolluta vestis* inquit, *& pura dicitur quæ neque funesta sit, neque fulgorata neque maculam habeat* Θ. K *homine mortuo. Est autem linea & purpurea.* In hac veste sinus est qui mihi rugam excitat in fronte. Quæ enim macula est illa Θ. K homine mortuo? Hanc tamen si fieri potest eluere conemur. Hæ literæ in veteribus monumentis frequentissimæ sunt. Exscripsi Arelate

[a] In verb. pura.

[b] li. 12. Æneid.

Θ. ANN OS. XIIII. MENS. II. DIE S. V
MARITVS. VXORI. KARISSIMAE

Illud π ϕ. nihil aliud significat quam vixit, obiit. Narbonæ.

Θ
L. CORNELIVS. CERATVS

Vtrumque autem Θ.K. θεὸς κατα χθονίους designare solet in inscriptionibus græcis passim. Vnde vestis quæ Θ. K. habet homine mortuo, ea fortè fuit, qua Sacerdos vsus, dum subterraneis Diis sacra mortuorum celebraret[c]. An vestis hæc Sacerdotalis habuerit literas Θ. K. illísque fuerit distincta & præfixa: Non

[c] Seruius 10. Æneid.

Non memini me alibi legere. Quare non ex Tripode Oracula fundo, sed coniecturas & nugas meas in re obscura ita propono, vt non respuam alienas.

Pura vestis candida erat καθαρὰ, λευκὴ mera, nullo colore delibuta, Lexicon vetus, merum interpretatur ἄκρατον μιλὸν impermixtum, tenüe: Vt nostrorum Sacerdotum vestes puræ, albæ sunt, atque ita vernacula lingua nominantur. Supra vestem puram toga duplici Pontifices amicti fuerunt: quæ læna dicebatur. Vestis vna in modum tunicæ breuior erat, Altera oblonga in modum pallij tunicæ imponebatur, vtráque purpurea [a]. Pontificem illo habitu ornatum, ex antiquis marmoribus ita depinxit Onuphrius, cui, quem anteponat, non habet ipsa antiquitas virum.

[a] Seruius 4. Æneid.

Atque hic fuit habitus pacis. Nam in bello Pontifices cinctu Gabino vti solebant. Vel cum sacris operarentur, vel cum pro exercitu aliquem denouerent.

Augur lituo solo à Pontifice differebat & colore trabeæ. Nam Pontificalis de purpura tota: Auguralis de purpura & cocco[a]. Augurem equo insidentem ex Augusti nummis adiicere visum est.

[a] Sueton. li. de gener. vesti.

Sed Augur aliquis seruauit de cœlo, cuius obnuntiationi mihi parendum est, & ad alia transeundum.

PONTIFICES ALIORVM SACERdotum munus obibant.

CAP. XXX.

VT Pontifices Sacris publicis præerant, sic Sacerdotum omnium, si res postularet munus obierunt. Cum tamen nullum alium Sacerdotem

Pontificum officium impleuisse videamus. Portentorum explanationes & prædictiones, Aruspicum fuerunt & Decemuirorum: Vtrumque Pontifices sibi vendicarunt, vt Epulonum ministerium, & Flaminis Dialis, qui primus in Sacerdotum ordine recensetur. Nam si ille valetudine aut munere publico impediretur, Pontifices Dialia Sacra faciebant, quæ etiam peragebant, si Dialis nullus esset inauguratus[a]. Sic duobus & Septuaginta annis post Cornelij Merulæ Dialis cædem, cum nemo suffectus esset, Pontifices vt Flamines religionem curauerunt. Decemuiri fatales libros adire solebant ex Senatusconsulto qui publicè apud illos erant depositi: Sed cùm vetustate libri exolescerent, vt sua manu illos describerēt, Pontificibus negotium datum, atque ab illis hi libri quandoque aditi[b]. Est Aureliani Imperatoris epistola apta huic loco[c]. *Miror vos*, inquit, *patres sancti tam diu de aperiendis libris dubitasse, perindè quasi in Christianorum Ecclesia non in Deorum omnium templo tractaretis. Agite igitur castimonia Pontificum, Iuuate principem necessitate publica laborantem. Has literas & Pontificum suggestionem, cum Prætor vrbanus ad Senatum retulisset, Vlpius Syllanus primæ sententiæ Senator. Agite, inquit, Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque Sacris commodi, templum ascendite, veteranis manibus libros euoluite.* Hæc exscripsi quòd ex Pōtificum sint authoritate & dignitate. Nam licet Sacerdotes illo tempore ferè omnes, Pontifices vocarentur: & Decemuirorū collegium amplissimū[d], Sacerdotesq; populi Romani haberentur: Facit tamen suggestio

[a] Tacit. li. 3. Annal.

[b] Dionys. lib. 4.

[c] Vopiscus in Aureliā.

[d] Cicer. 9. in Verrem.

Pontificum, vt credam de Pontificibus noſtris non de Quindecimuiris locum accipiẽdum. Pontificum enim propriè ſuggeſtio, nec ſolebant Quindecimuiri aliquid præmonere & συμβάλλειν. Authoris nunc verba euoluamus, quæ Scaligero mendoſa videntur. Scribendum putat pro veteranis manibus libros euoluite, *veteris anus Cumanæ libros*. Retinet vir doctiſſimus alius vulgatam, & veteranas manus interpretatur maiorum Pontificum, qui in Sacerdotio conſenuerunt, quíque à minoribus, vt Veterani à nouitiis diſtinguebantur. Vterque me moratur, qui veteranorum in literis priuilegio gaudent. Ego vero Tyro ac rudis in hoc militiæ genere vltrò decertabo, cùm iure poſſim: & ſi quis mallet paululùm literas immutare, & pro veteranis legere veneratis manibus, ambabus certè amplecterer hanc lectionẽ. Quo loquendi modo Poëta veneratam Cererem vocat[a] pro venerabili. Nam Sibyllinos libros adire & euoluere venerationem habebat & pietatem, quæ veteranis manibus minùs videtur conuenire. Hæc mea cõiectura eſt, vnuſquiſque adhibeat ſuam. Mihi quidem à vulgata recedere religio eſſet, ſi illa religioni congrueret, ſed qualiſcúmque ea ſit, facile coniecturæ patiar eam anteferri. Nec enim authoris verba temerè immutanda, dummodò lectio integra ſit. Licet fortè meliùs legi vel dici poſſit.

[a] Virgil. 3. Æneid.

REX SACRORVM ET FLAMINES maiores duo adscripti Collegio Pontificum. De illorum dignitate & cura.

CAP. XXXI.

REX Sacrorum & Flamines licet Pontifices non essent, ita tamen erant adscripti Collegio Pontificum, vt si quandò res aliqua apud illos disceptaretur, vt in Virginum iudicio, ipsi vnà cùm Pontificibus Iudices sederent. Sícque accipiendus est locus M. Tullij[a]. *Cum ex Collegio tanto*, inquit, *non Regem, non Flaminem, non Pontificem videret.* Attributi quidem erant illi Pontificum Collegio, nec tamen de illorum Collegio. Sic Equites & Tribuni ærarij, lege Aurelia cùm Senatoribus iudicarunt, cùm tamen illi non essent Senatores[b]. An vero Augures cùm Sacrorum Rege & Flaminibus Collegio adscripti fuerint Pontificũ, quæri potest: quod M. Tullius docere videtur[c]. *Dico*, ait ille, *Apud Pontifices, Augures adsunt, versor in medio iure publico.* Cum tamen omnes Iudices enumerat, qui de domo sua cùm Pontificibus iudicarunt, Augures silentio præteriuit[d]. *Domum meam*, inquit, *P. Lentulus Consul & Pontifex, P. Seruilius, M. Lucullus, Q. Metellus, M. Glabrio, M. Messala, L. Lentulus Flamen Martialis, P. Galba, P. Scipio, C. Fannius, M. Lepidus,*

a pro domo sua.

b l. 2. D. de orig. iur. Plin. lib. 33. cap. 1. & 2.

c pro domo sua.

d de Aruspic. resp.

L. Clodius Rex sacrorũ, M. Scaurus, M. Crassus, C. Curio, Sext. Cæsar Flamen Quirinalis, Q. Cornelius, Q. Terentius Pontifices minores causa cognita duobus locis dicta omni religione liberarunt. In hac iudicum enumeratione nulli Augures, quos tamen Iudicio dixit Cicero adfuisse. Quod ita accipiendum est, vt cùm omnes illæ P. Clodij actiones in Tribunatu euellere radicitùs conaretur, nonnihil de illius adoptione attigit, in qua Augures adhibebantur[a]. Cum ergo ex Pontificibus quidam etiam Augures essent, ille cum obiter de adoptione Clodij differeret, Augures dixit adesse, qui adoptionem illam non ritè factam videre possent. Adsederunt ergò Pontificibus Flamines duo cum Sacrorum Rege, qui simul cùm iis iudicarunt. Quod ex alio Ciceronis loco colligitur[b]. *Discite*, inquit, *Pontifices, vos Flamines, etiam tu Rex Discе.*

[a] lib. 8. ad Attic. ep. 3.

[b] pro dom. sua.

Varia verò Sacerdotum horum munera fuerunt, & in illorum ordine maximus videtur Rex Sacrorum, deindè Dialis, tertiò Martialis, quartò Quirinalis, quintò Pontifex maximus. Dialis vniuersi mundi Sacerdos appellatur à Dio (error apud Festum[c], vbi legitur, appellatur Dium) à quo vita dari hominibus putabatur. De illo, sequenti capite plura dicturi sumus.

[c] in verb. ordo sacerdotum. & in verb. Flamẽ dialis.

Regis sacrorum curæ variæ, ex quibus multis vnã persequar, quæ curam aliquam & diligentiam desiderat. *Dies intercisus*, inquit Varro[d], *Quando Rex comitiauit fas, ad quod tempus est nefas ab eo fas: dictus ab eo quòd eo die Rex Sacrificulus dicat ad Comitium.* Pro di-

[d] lib. 5. de ling. latin.

cat legit Scaliger. *Itat ad Comitium*, nec latinum putat, dicere ad Comitium & verè. Nam in Comitio ad populum dicebatur, nec Regi Sacrificulo licebat cùm populo agere [a]. Varronis lectio cognatione literarum corrupta, in qua cùm scriptum esset *ducit ad Comitium*, librarius scripsit dicat. Ducebat Rex ad Comitiũ ipso Regifugij die [b] quo sacrificium in Comitio peragebat. Sic etiam in Sacris Noualibus in arce ferias primas menstruas, quæ futuræ erant eo mense, prædicebat, & diebus Agonalibus in Regia arietem immolabat [c]: *Qui dies dicti Agonales ab agóne?* inquit Varro, *eo quod interrogatur à principe ciuitatis, & princeps gregis immolatur.* Corruptam Varronis lectionem suspicor: Quid enim Agonales dies ab agóne deducamus. Nam cum omnibus Sacrificiis minister rogaret Sacerdotem agon'?

Qui calido strictos tincturus sanguine cultros
Semper agátne, rogat, nec nisi iussus agit [d].

Qua ratione Agonales dies ab hac voce agon' denominationem sortiuntur? Crederem Varronem scripsisse *hi dies dicti ab Agonio quo die interrogatur à principe Ciuitatis &c.* Supra Varro scripserat: *A cœli naturali discrimine ciuilia vocabula diis accesserunt. Dicam priùs qui Deorũ causa sunt instituti.* Iam ex Festo Varronem interpretemur [e]. Agonia ab antiquis hostia dicebatur, & Agonius Deus qui præsidebat rebus agendis, Cuius festa Agonalia, vt à Conso Consualia, à Quirino Quirinalia dicta sunt. Quo die princeps ciuitatis interrogabatur, cum in cæteris Sacrificiis publicum Sacerdotem ministri rogarẽt. Hoc die ciuitatis princeps

[a] Agel. lib. 11. cap. 1.

[b] Plutarch. in quæst. rom. Festus in verb. Regifugium.

[c] Varro cod. lib.

[d] Ouid. 1. fastor.

[e] Festus in verb. Agonium.

princeps Sacerdotis partibus functus est, quod fortè res per magistratus agerentur. Nam principem ciuitatis magistratum voco vt Consulem vel Prętorem[a]. Sed Rex iste abeat è comitio & Flaminibus loco cedat. Hi maiores & minores fuerunt, plebeij & patricij generis[b]. Tres primi à Numa instituti Dialis, Martialis & Quirinalis, duo tantùm Collegio Pontificum attributi.

a l. scire oportet. §. præfectorium D. de tutorib. l. spadonem. §. ciuitates. D. de excusat. tutor.

b Festus in verb. maiores Flamines.

DE FLAMINE DIALI ET ILLIVS

legibus Collegio Pontificum ille adscriptus non fuit. Ius habuit in Senatum introeundi. Municipales Flamines prodi dicebantur. Vestamen, Flaminales viri.

CAP. XXXII.

CEREMONIAE, inquit Agellius[c], Flamini Diali multæ impositæ, item casus multiplices. Qui sint illi casus, vix Criticorum consilium præuidere potuit, qui in literarum naufragio tabulis laceris vndique iactantur. Emendant illi casus multiplices, quod primùm placuerat Lipsio[d], qui postea reposuit cautus multiplices. Nam multa vetita Flamini Diali, quæ Sacrorum legibus cauta dici possunt à quibus Dialis cauere deberet. Verissima est vulgata lectio ex veteri Glossario, in quo casibus κλασιν, κλινόσιν, vnde apud nos Κανόνες & ius canonicum, Κανὼν regula & norma disciplinę. Quo sensu M. Tul-

c lib. 10. ca. 15.

d lib. 1. Elector. cap. 22

lius Tyroni scripsit[a]: *Sed heus tu qui Καινὸν esse scriptorum meorum soles.* Casus & Ceremoniæ ex Fabij Pictoris libro ab Agellio[b] recensentur, quibus nonnulla addi possunt ex Iure Pontificio ab antiquis authoribus repetita.

a lib. 16. epist. 17.

b lib. 10.

Veteri religione Pontificum, inaugurato Flamini, vestē quæ læna dicebatur, à Flaminica texi oportebat. Quam vestem cùm cultro qui Secespita appellabatur, vti debere (ita apud Seruium[c] legitur.) Cuius lectioni mederi non possum. A Flaminica fieri vestem oportebat, cuius lanam ipsa per se & nere debebat & texere. Infibulatus[d] sacrificabat propter vsum æris antiquissimum. Mortuæ pecudis corio calceos fieri Flaminibus nefas habebatur, quoniam sua morte extincta omnia, funesta æstimantur[e]. Flamini sacro (qui Dialis est) equinum fel tangere non licebat Romæ[f], quod publicis sacris equus etiam immolaretur. Ille æreis cultris tondebatur[g]. Ignem ex illius domo efferre non licebat nisi rei diuinæ causa[h]. Flamen Dialis Romæ auspicabatur vindemiam, & vt iusserat vinum legere, agna Ioui faciebat, inter cuius cæsa & porrecta Flamen prorsus vinum legebat. Quod vero tradit Fabius Pictor, Diali iurare fas nunquam esse, confirmat Liuius celebri exemplo[i]. *Comitiis*, inquit, *creati Ædiles forte sunt ambo, qui statim accipere magistratum non possent. Nam C. Cornelius Cethegus absens creatus erat, cum Hispaniā obtineret Prouinciam: C. Valerius Flaccus, quem præsentem creauerant, quia Flamen Dialis erat, iurare in leges non poterat, petente Flacco vt legibus solueretur: Magistra-*

c Seruius 4. Æneid.

d Festus in verb. infibulari.

e Festus in verb. mortuæ.

f Plinius li. 28. cap. 9.

g Seruius 1. Æneid.

h Festus in verb. ignem

i Liuius li. 3

tum enim plus quinque dies, nisi qui iurasset in leges, non licebat gerere: Senatus decreuit, vt si Ædilis qui pro se iuraret arbitratu Consulum daret, Consules si eis videretur cùm Tribuni plebis agerent, vti ad plebem ferrent. Datus qui iuraret pro fratre, L. Valerius Flaccus Prætor designatus. Tribuni ad plebem tulerunt, plebsque sciuit, vt perinde esset, ac si ipse Ædilis iurasset. Dialis Flamen Pontifex max. & Rex sæculi dictus [a], Ioui assiduus Sacerdos, quem Numa insigni veste & regia Sella adornauit. Hanc dignitatem C. Flaccus alter Flamen Dialis restituit per multos annos diminutam: vt scilicet in Senatū introiret cùm Prætexta toga & Sella Curuli [b].

[a] Tertul. li. 1. ad vxor. ca. 7. & lib. de præscrip. cap. 40.

[b] Liuius li. 27.

An verò Dialis attributus fuerit Collegio Pontificum ex Ciceronis verbis facilè intelligi potest: Nam cùm inter Sacerdotes, qui de illius domo iudicarunt sedisse non dicatur cùm Martiali & Quirinali, Collegio Pontificum non fuisse illum adscriptum possumus adfirmare. Cuius rei rationem cum apud me diligentiùs exquirerem, illam à Fabio Pictore repetebam, quod scilicet Dialis quotidie festatus esset [c]. Nam cum per religionem non liceret festis diebus vel apud Prætorem lege agere, vel apud Pontifices, ne feriæ polluerentur quæ festis inerant: Pontificum iudicio Dialis nec interesse potuit, nec debuit. Cum Fabio Pictore tamen historiæ Romanæ scriptores pugnare videntur. Nam Flamen Dialis magistratum gerere potuit. Et C. Valerius cùm Prætor creatus esset, Prætores ita sortiri iussit, vti Flamini Diali, vtique altera iuris dicendi Prouincia esset [d]. Sed cùm multa in illius legibus mutata essent, multa quoque

[c] Agel. li. 10 cap. 15.

[d] Liuius lib. 31.

in iis quæ ad religionem pertinebant, intacta remanserunt, & quæ in Repub. introducta sunt, vetera instituta non euerterunt, quæ ex Flaminis legibus sunt requirenda. Lapsus est Ant. Augustinus [a], vir qui certo semper & confirmato animo constitit, in omni genere literarum: Qui Dialem hunc cùm duobus maioribus cæteris flaminibus maiorem Pontificem putat. Nam Dialis ne quidem Pontificum collegio adscriptus est; Sed Martialis tantùm & Quirinalis, qui tamen Pontifices, non erant maiores.

[a] Dialog. 10. de numismatib. antiq.

[b] Liuius li. 27.

Flamen à Pontifice capi dicebatur Romæ [b], qui in municipiis à Magistratibus prodebatur [c]. Obseruamus Veflamines in antiquis inscriptionibus.

[c] Cicer. pro Milon.

364. 1. C. MVCIVS. BRVTIANVS. FAVSTINVS. ANTONIANVS. VEFLAM. AVG

Alia inscriptio Bexæ in Lusitania.

498. 8. CVRIÆ. PONT
FLAM. PACIS. IVLIÆ.
VE. FLAMEN

Quod quidam interpretantur vetus Flamen qui Sacerdotio abierat. Fortè Veflamen pro minore Flamine dicebatur, vt vegrande veteres dixerunt pro paruo & minuto [d]. Nam qui Flaminij honore functi erant, vel vt lex loquitur [e] post Flaminij decursa insignia, Flaminales viri vocabantur, vt Consulares qui Consulatum pridem consequuti. Lapis Tarraconæ.

[d] Festus in verb vegrande.

[e] l. 21. C. Theod. de decurionib.

C. VALER. ARABINO
FLAVIANI. F. BERGIDOF
OMNIB. HON. IN. R. P
SVA. FVNC. SACERDOTI
ROMÆ. ET. AVG. P. H. C
OB. CVRAM. TABVLARI
CENSVALIS. FIDELITER
ADMINIST. STATVAM
INTER. FLAMINALES
VIROS. POSITAM. EX
ORNANDVM. VNIVER
CENSVER

478. 2.

In iisdem inscriptionibus leguntur Flamines ad tempus, Flamen Quinquennalis, Flamen primus Prouinciæ, Flamen Deorum omnium, Flamen Augustalis, quæ Sacerdotij denotabant dignitatem.

QVAS RES SENATVS AD PONTIfices reiiciebat. Relatæ res ad virgines & Pontifices. Religionem abs se reijcere. Scrupea religio.

CAP. XXXIII.

QVÆ res ad sacra & ceremonias pertinebant, si de his quæstio fortè moueretur, Senatus illas ad Pontifices reiiciebat, & Collegium Pontificum

consuli iubebat, qui de religione solùm decernerẽt [a]. Capua capta à Q. Fuluio & Appio Clodio Coss. Senatusconsultum de capite & fortunis Campanorum factum est: Sed cum ad signa & statuas æneas, quæ capta de hostibus dicebantur ventum esset, ad Collegium Pontificum illa sunt reiecta [b]. M. Fuluius Ambracia capta, cum signa atque ornamenta ex ædibus sacris abstulisset, Ambracienses legati de illo in Senatu questi sunt. Senatusconsultum factum est, placere de iis cum M. Fuluius Romam reuertisset, ad Collegium Pontificum referri [c], & quod ij censuissent, fieri. Relatum etiam ad illos de expiandis, quæ in templo aliquo tacta elatáque essent [d]. Malè fortè vulgata lectio in Liuio habet capta.

Latinæ feriæ ad tertium Nonas Maij fuere, in his cùm magistratus Lanuninus in vna hostia precatus non esset, populo Romano Quiritum religioni fuit. Id cum ad Senatum relatum esset, Senatus ad Pontifices remisit [e]. M. Tullius ab exilio reuersus, cum de illius domo Comitiis Centuriatis actum esset: Centuriæ omnes eodẽ iure esse iusserunt, quo antea fuisset [f]: Sed Senatus priusquàm legis author fieret, M. Bibuli sententiam sequutus est, vt de domus religione, quæ à P. Clodio consecrata erat, ad Pontifices referretur [g]. In quibus laudare licet, prudentiam veterum singularem, ordinúmque concordiam, vt in religionis controuerso Iudicio nihil tentarẽt aut mouerent Pontifices sine Senatus authoritate: nihil aut parùm Senatus in religione cẽseret, sine Pontificum decreto. Claudius Imperator, cum ad Senatum super

[a] Agel. li. 5. cap. 17. Macrob. lib. 1. cap. 16.

[b] Liuius li. 26.

[c] Liuius li. 38.

[d] Liuius lib. 29.

[e] Liuius li. 41.

[f] Cic. de Aruspic. resp.

[g] Cicer. pro dom. su.

Collegio Aruſpicum retuliſſet : Senatuſconſultum factum: Viderent Pontifices [a] quæ retinenda firmandáue Aruſpicum eſſent. At cum P. Clodius ſacra Bonæ deæ violaſſe diceretur, res ad Pontifices & virgines Veſtales relata eſt, idque ab iis nefas decretũ [b]. Quod vnum in illa vetuſtate exẽplum memoratur, quo Senatus fœminis decernendi poteſtatem mandauit. Quod tamen incertum faciunt libri manuſcripti: qui vocẽ (*virgines*) à Ciceronis lectione reiiciunt: alij admittunt ex quibus vulgata recipitur, quæ non temerè improbanda. Licet enim fœminarum genus à negotiis publicis conditio exceperit humanæ fragilitatis, illæq; ab omnibus ciuilibus & publicis officiis ſint remotæ [c]; honor tamen Veſtalium, quibus magiſtratus faſces ſubmittebant, tantus fuit, vt ipſæ legibus ſoluerentur. Valerianus Cenſor delectus eſt Decio Imperante: vbi Senatuſconſultum Decius accepit [d]. *Fœlicem te*, inquit, *Valeriane, tu de iudicibus, tu de Præfectis eminentiſsimis iudicabis. Excepto denique Præfecto vrbis Romæ, exceptis Conſulibus ordinariis, ac maxima Virgine Veſtalium (ſi tamen incorrupta permanſerit)* Gloſſema ſunt vltima hæc Pollionis verba, quæ Parentheſi incluſa, in textum irrepſerunt. Etenim ſi Veſtalis maxima inceſtum commiſiſſet, nullæ erant Cenſoris partes, cùm illa à frequenti Pontificum Collegio iudicaretur. Sed quid cauſæ fuerit, cur Senatus pollutarum Ceremoniarum iudicium Virginibus permitteret, ſi quæratur, hanc vnam fuiſſe maximè puto. Quod Virgines ſacrum Bonæ Deæ curarent, quod cùm inſtauraſſent, vt non ritè factum,

[a] Tacit. 2. Annal.

[b] Cicer. 1. ad Attic. ep. 10

[c] Arnob. li. 7. aduerſ. gent. l. cùm Prætor. §. moribus D. de Iudic.

[d] Trebel. Pollio in Valeriano.

pollutiq; Sacrificij causam agnouissent, illarum hac in re Iudicium necessarium Senatus iudicauit, quo accommodarent illas veritatis assertores magis quàm facti iudices.

Postquam vero Imperatores Pontificatum maximum ceperunt, mos ille reijciendi ad Pontifices immutatus, vt in Seruio Magulinensi videmus[a], aduersus quem, Lentulus Augur cùm in Senatu dixisset, eúmque sequuti essent multi, eò decursum est, vt Tiberij Pontificis maximi sententiam operirentur: qui dilata notione de Iure Flaminis, postea decretũ Pontificum recitauit, quorum iudicium sine Senatus authoritate requisierat. Religionis reiectio ad Actij[b], versum me reuocat, qui à doctissimis viris variè explicatus. Varro. *Scrupedam*, inquit, *Aurelius scribit Auscaripedam* (fœliciter Turnebus emendat à Scauro pede) *Valerius à pede & scrupea. Ex eo ab Actio positum. Incuriosa itaque es Menalippe? reijcis abs te religionem, scrupeam imponis.* Hæc sunt Varronis verba, quæ Turnebus immutauit & legit. *Ex eo ab Actio positum in curiosa. Itaque est in Menalippa, reijcis abs te religionem? Scrupeam pone.* Actius, inquit Turnebus[c], scrupeum pro curioso vsurpauit in Menalippa, cum religionẽ scrupeam dixit, quam post tergum ait reiiciendam. Mihi quidem isthæc emendatio scrupulum inijcit, magnámque dubitationem. Etenim quis Actij Curiosæ meminit huc vsque? Homo non modò prudens, verùm etiam quod iuuat, curiosus, hæc scripsit curiosè potiùs quàm verè. Laudat hic Actium Varro vt alios authores omissis locis. Actij tragœdia fuit

[a] Tacit. li. 3. Annal.

[b] Varro li. 6 de ling. lat.

[c] lib. 23. aduers. cap. 18

fuit inscripta Menalippa, vnde hic versus. Aliter Iosephus Scaliger[a], vir tantùm laudandus quantùm vir tus intelligi potest, locum Actij restituendum putat. *Ex eo ab Actio positum pro curiosa. Itaque est in Menalippo. Reijcias abs te religionem, scrupeæ imponas.* Reijcit abs se religionem, ait, qui omen ad alium transfert. Tantorum virorum authoritas mihi semper pro ratione fuit: Non possum tamen veterem scripturam reijcere, quæ mihi vera videtur. Actium poëtam tragœdias scripsisse nemo nescit, in hisque Menalippam. In quo scribendi genere variæ personæ variisque sermones, in quibus Deorum frequens mentio. Menalippa cùm fortè religionis domesticæ explanationem à Pontifice exquirendã esse dixisset, (quod sæpenumerò fieri solebat) licet se incuriosam profiteretur: animi illius conscientiam ridens aliquis, superstitionem mulieris improbabat. *Incuriosa*, inquit, *itaque es Menalippa*, id est minùs diligenter, te istam rem curare asseris, *reijcis abs te religionem?* de religione priuata vis Pontificem consulere, *scrupeam imponas.* Religionem scrupeam imponere, est ei religioni se addicere, quæ animum variis curis afficiat atque distrahat. Est enim religio scrupea, aspera[b]: quo sensu scrupeam speluncam Virgilius[c] dixit, vt scrupea saxa, Bacchi templa vetus poeta[d]. Imponere scrupeam est δεισιδαιμονίαν, superstitiosum Deorum metum sibi inijcere. Multi hanc interpretationem reijcient, quam veterum Pontificum gratia curiosè fortasse excogitaui. Sciant illi me in eo maximè laborare, vt veterem lectionem bonorum autho-

[a] In coniectaneis.

[b] Eugraph. in Terentij And. act. 1. scen. 5.

[c] lib. 6.

[d] Varro lt. 6 de ling. lat.

rum si fieri possit, semper retineam, quam in Varrone sine scrupulo aliter tueri possim. *Reijcis abs te religionem?* Deorum cultum omnem aspernaris, *Scrupeam imponis*, asperam & duram religionem tibi injicis. Nam qui totum de Diis immortalibus metum fictum arbitrantur, nec eos ratio vlla aut religio ad officium ducit: suo quoque scelere lacessitus Scrupeam induit religionem, tunica molesta acerbiorem. Senatus literatorum hæc ad ipsum Scaligerum reiecisset, ni vir ille literarum honori, sine æmulo genitus, magno illarum damno fatis concessisset, quæ benigna mihi boníque omnibus precor & expeto.

SENATVS MVLTA IN RELIGIONIBUS decernebat. Portentorum procuratio reiecta ad Consules. Ludorum instauratio. Piacularia Sacra ex Senatusconsulto. Dies Circensibus additi. In externis religionibus Magistratibus maioribus, minoribúsue negotium datum.

CAP. XXXIV.

SENATVS in religionibus, inconsultò Pontificum Collegio nonnulla decernere solebat: vt Portentorum procurationem quandóque ad Consules reiecit, cum nuntiatum esset, in regia hastas Martis mouisse. Eius nempe rei causa Senatusconsultum factum est M. Antonio & Aulo Posthu-

mio [a]. Coss. *quod C. Iulius Lucij filius Pontifex nuntiauit in sacrario in regia hastas Martias mouisse. De ea re ita censuerunt: vti M. Antonius Consul hostiis maioribus, Ioui & Marti procuraret, & cæteris diis quibus videretur placandis, vti procurasset satis habendum censuerunt. Si quid succidaneis opus esset, Robigus accederet.* Senatus idē Isidis & Serapidis fana, quæ priuatim nonnulli extruxerant, demoliri iussit [b]: Et postquam sententia obtinuit, vt publicè colerentur [c]: extra pomœrium eos Deos collocauit. Nouendiale sacrum [d], Prætor vrbanus ex Senatusconsulto edixit, & piacularia sacra ex Senatusconsulta facta, vt cum Fuluius Flaccus templum Iunonis Laciniæ tegulis marmoreis spoliauit, vt ædem Fortunæ equestris tegeret, quam dedicârat [e]: Tegulæ ex Senatusconsulto reportatæ, Piacularíaque Iunoni facta. Patribus authoribus iussu populi diuini honores decernebantur. Dies Circensibus addebantur. Sed authoritate sola Senatus Imperatorum cōsecratio fiebat, illíque in Deorum numerum referebantur [f]. Quod stante Repub. populi suffragiis transigebatur. M. Tullius in Antonium [g]. *Nescis*, inquit, *quartum in Circo diem ludorum Romanorum fuisse, te ipsum autem ad populum tulisse, vt quintus præterea dies Cæsari tribueretur?* Festi item dies à Senatu imperati [h], qui in externis religionibus, maioribus magistratibus minoribúsue negotium dedit, vt Ædilibus, ne qui nisi Romani Dij, neu quo alio more quàm patrio colerentur. Prætori M. Attilio à Senatu mandatum vt nouis religionibus populum liberaret [i], hoc est religione solueret, & eo officio quo

[a] Agel. li. 4. cap. 6.
[b] Liuius li. 32.
[c] Dio lib. 39
[d] Liuius lib. 22.
[e] Liuius li. 42.
[f] Capitolin. in Pertinace.
[g] Philip. 2.
[h] Tacit. 2. & 3. Annal.
[i] Liuius lib. 4. & 25.

populus per religionem se teneri credebat. In quo nihil reiectum ad Pontifices, quia in externis sacris populus nulla religione potest obligari. Consulibus etiam quæstio de Bacchanalibus sacris mandata extra ordinem[a], quod est præter consuetum Iudiciorum morem, vtilitatis publicæ causa. Sed habita oratio à Posthumio Consule ad populum, Pontificum quodammodò tuetur authoritatem. *Hac vos*, inquit, *religione innumerabilia decreta Pontificum, Senatusconsulta, Aruspicum denique responsa liberant*, quo in genere nihil vnquam Senatus decreuit, sed ea tantum in religione censuerunt Patres, quæ puram illam integrámque seruarent, secundum Pontificum decreta institutáque maiorum Quare quæstio magistratibus in consultis Pontificibus sine populi iussu rarò mandabatur, nisi in tam graui & late patente scelere, vt res dilationem pati non videretur. Iudicabant prudentissimi viri, Omnia iura diuina humanáque dissolui, vbi non patrio & recepto, sed nouo & externo ritu sacrificaretur. Quod omnium maximè mirari soleo in ea vrbe in quam innumeræ nationes conueniebant, quibus cum necesse esset patrios Deos colere domestico ritu, nulla tamen peregrina sacra publicè suscepta fuisse. Permissa quidem fuere Bacchanalia iis qui tale sacrum sollemne ac necessarium ducerent, nec sine religionis piaculo, se id omittere posse apud Prætorem profiterentur[b]. Sed Prætor Senatum consulebat, & si cui permissum esset (cùm in Senatu centum non minùs essent) id sacrum fieret, dum ne plus quinque Sacrificio interessent, neu qua

[a] Liuius lib. 39.

[b] Liuius lib. 39.

pecunia communis, neu quis magister Sacrorum aut Sacerdos esset. Sapienter dissimularunt Diis patriis factam iniuriam, quam sine Reipub. detrimento, grauius vlcisci non potuerunt. Nam cum Ædiles[a] Triumuiríque Capitales, remouere multitudinem à foro, ac disiicere apparatus conati essent, haud procul abfuit, quin violarentur. In cæteris sic censuerunt prudentiores, vt qui nouas vel vsu vel ratione incognitas religiones inducerent, honestiores deportarentur: humiliores capite punirentur[b]. Mitiùs actum si quando ignara multitudo & corrupta nouos ritus amplexa est: quandóque seueriùs: vt cum de Sacris Ægyptiis Iudaïcísque pellendis factum Senatusconsultum[c]: Quatuor millia libertini generis superstitione infecta, quæis idonea ætas, in Insulam Sardiniam vecta: cæteri cesserunt Italia, qui certam ante diem profanos ritus non exuissent. Sic Senatus rerum summæ consulebat religioníque, quàm coleret, seruaret, aut vindicaret. In priuatis vbi nullæ coniurationes religionis prætextu lædebant Remp. Publicus sacerdos, qui Pontifex fuit: Audaciam in admittendis religionibus fœdis damnabat, atque impiam iudicabat[d].

a Liuius cod.

b Paulus li. 5. sent. cap. de Vaticinatorib.

c Tacit. 2. Annal.

d Cicer. 2. de legib.

SENATVS SVPPLICATIONES decernebat. Illarum causæ. Nunquam in ciuili bello decretæ. Togato rarò. Sacrificium imperabat. Precationis formulam præscribebat.

CAP. XXXVI.

SVPPLICATIONES ex Pontificum decreto plerúmque fiebant, quas aliquandò edixerunt Quindecimuiri. Sępius illas Senatus ob bellum iure susceptum, res prosperè in bello gestas, vel ad euertenda mala quæ ex portentis impendere videbantur[a]. Bellum cùm Philippo cum populus iussisset, supplicatio à Consulibus in triduum ex Senatusconsulto indicta est[b]. M. Tullius supplicationes quindecim dierum Cæsari edictas suas sententia refert[c]. Reip. satis erat, inquit, tot Dierum quot C. Mario, Diis immortalibus non erat exigua gratulatio, quæ ex maximis bellis. Sed supplicationes quæ per vnum diem primùm decretæ, magno dierum cumulo adauctæ, laudi & gloriæ eius concedebantur, ob cuius victoriam fiebant. Dierum ergo cumulus, non deorum honori, sed hominis dignitati accedebat. Addit Dio[d] de Cæsare, illud nemini ante id tempus accidisse.

Huiusmodi supplicatio erat prærogatiua triumphi[e], quam decerni sibi Imperatores postulabant, ad

[a] Liuius li. 27.38.& 40

[b] Liuius lib.31.

[c] Cicer. de prouinc. consularib.

[d] lib. 39.

[e] Cicer. ad Q. fratr. li. 3. epistol. 8.

exiſtimationem magis quàm ad Deorum gratulationem[a]. Supplicationum Dies erant otioſi. Cœlius Ciceroni[b]. *Acriter me tuæ ſupplicationes torſerunt. Nam Curio tui cupidiſſimus, cui omnibus rationibus Comitiales eripiebantur, negabat ſe vllo modo pati poſſe, decerni ſupplicationes, ne præuaricator cauſæ publicæ exiſtimaretur.* Feſtis enim & otioſis diebus, in concionem coire non licebat[c], & Comitiales dies erant Comitiis dicati, in quibus cùm populo agebatur[d].

[a] Cicer. 15. epiſt. 5.
[b] li. 8. epiſt. 11.
[c] Dio lib. 38
[d] Macrob. 1 ſatur. ca. 16.

Nunquam autem ciuili bello ſupplicatio decreta eſt, nec Victoris quidem literis poſtulata. Etenim ciuiles diſſentiones, quamuis ſæpe lædant Rempub. non tamen in illius exitium contendunt, & qui in alterutras partes diſcedunt vice hoſtium non ſunt eorum, inter quos iura captiuitatis exerceantur[e]. Quare nec deuictis illis, res fœliciter geſta dici poteſt. Decreuit tamen Cicero ſua ſententia, eorum nomine qui Antonium ad Mutinam deuicerant, dierum quinquaginta ſupplicationes ad omnia pului naria[f]. Nouo & inaudito more. Quod antea factum in Ciceronis ipſius honorem nullis armis ſuſceptis[g]. Huic ſoli togato Senatus ſingulari genere ſupplicationis, Deorum templa patefecit quod antea nulli.

[e] l. 22. §. in Ciuilib. D. de captiu.
[f] Cicer. Philip. 14.
[g] Cicer. in Calphurn. Piſo.

Ad auertenda mala ſupplicationes frequentiores ſunt indictæ. Sed[h] quod Deorum honori vel hominum dignitati tribuebatur: In illorum tandem ludibrium verſum eſt, & hominum furori & inſaniæ conceſſum. Ob cædem Agripinæ miro certamine procerum Neroni decretæ fuerunt ſupplicationes

[h] Dio lib. 37 Liuius li. 22 & 25.

ad omnia puluinaria [a]. Deinde quoties cædes fugas iussisset illa bellua, toties gratiæ Diis actæ: quæque rerum secundarum olim, tum publicæ cladis insignia fuerunt. Ex Senatusconsulto vterus Poppeæ primùm Diis commendatus [b], supplicationes additæ, templáque fœcunditati, & certamen ad exemplum Atticæ religionis. Hîc non esset locus de Taciti lectione differendi quæ integerrima est, nisi Lipsio eruditissimo displicuisset, qui corrigit & legit *ad exemplum Aetiacæ regionis*. Et refert ad ludos Actiacos quinquennales, qui Nicopoli ab Augusto instituti Romámque translati, vt ipse ex Dione & Suetonio agnoscit. Apud quos fœda, inquit, vacillatio librorum, quæ prorsus nulla. Nam ludi ad exemplum Atticæ religionis sunt Panathenæa, in quibus pueri puellæque forma conspicui manibus amplexi, per diuersos flexus Pyrrhicam saltabant. At verò, inquit ille, neque vlla religio ludis Atticis magis quàm aliis, & celebratior Actiacorum memoria est: nulla ratio ipsa est. Nam fœcunditati Poppeæ certamen illud institutum ad exemplum Atticæ religionis, conuenientiùs fuit, & pueri puellæque forma conspicui, hac in re gratiores erant, quàm Gymnicum, musicum, & equestre certamen Actiacorum. Nummi veteres.

[a] Tacit. lib. 4. Annal.

[b] Tacit. lib. 15. Annal.

Ad suppli-

Ad ſupplicationes redeo quæ celebratiores, quando ad omnia puluinaria. Supplicatio λιτανεία τεφανοφοεία.[a]. Ibant enim per vrbem pueri coronas geſtantes, hymnóſque in honorem Deorum concinebant[b]. Vel maiores duodecim annis omnes coronati, & laurum in manu tenentes ſupplicabant[c]. Ludis Apollinaribus Romæ primùm factis matronæ ſupplicauere[d]. Quod ſæpe factum Vitruuius docet[e]. *Ædium multarum genera*, inquit, *vitioſum habent vſum. Matres enim familiarum, cum ad ſupplicationem gradibus aſcendunt, non poſſunt per intercolumnia amplexæ adire, niſi ordine fecerint.*

[a] gloſſ. vet.
[b] Plin. li. 21. cap. 2.
[c] Liuius lib. 40.
[d] Liuius lib. 25.
[e] lib. 3. cap. 1

De Supplicationum ritu aliàs videbimus: Sed dimittendus à nobis Senatus non eſt, illum pauliſper morari lubet, & precationis formulam excipere, quam ille concepit, cùm bellum cùm Philippo Rege initum eſt. Nam Senatus decreuit, vti Conſules maioribus hoſtiis rem diuinam facerent, quibus Diis ipſis videretur cùm iſthac precatione[f]. *Quam rem Senatus populúſque Romanus de Repub. dé-*

[f] Liuius lib. 31.

que ineundo nouo bello in animo haberet: ea res vti populo Romano, sociisque, ac nomini latino benè ac fœliciter eueniret. Senatus itaque cum de religione ageretur, omnia ad Pontifices remittebat: Sed multa in illa decernebat, quo Deorum honos augeretur; Quorum prouidentia Resp. omnis continetur, & summorum virorum prudentia rectè gubernatur.

IACOBI

GVTHERII DE

VETERI IVRE PONTIFICIO VRBIS ROMÆ,

LIBER SECVNDVS. QVI DE IVRISDICTIONE PONTIFICVM.

Ad ampliſſimum virum ANTONIVM SEGVERIVM.

PONTIFICES IVRISDICTIONEM merum & mixtum Imperium habuerunt. Lites ſacras iudicarunt. Vindices fuerunt contumaciæ priuatorum Magiſtratúmque.

CAP. I.

ITA EST Ingenium meum (Antoni Præſes ampliſſimè) vt illud non conſepto fori, ſed variis doctrinæ finibus terminare, iucundiſſimum fuerit ſemper. In mediis litium cauſarúmque medullis, menſes decem continuos verſatus, rebus prolatis, redeo cûm veteribus amicis, id eſt cum libris noſtris in gratiam: & in con-

temptum cadentibus ſtudiis literarum, orbitatem illarum deploro, cum pro derelictis non ſolum habeantur, verùm etiam ſpretæ vbique videantur. Secreta me tamen ſtudia conſolantur, ea præcipuè quæ ciuilem imitantur prudentiam, & quæ ad eam Pontificum pertinent iuriſdictionem, quæ illorum perſonis inhæret. Primùm igitur anxiè quæſiui, quam Pontifices iuriſdictionem habuerint, quæ à notione ſeparatur[a]. Epiſcopi noſtri Iuriſdictionem non habent, ex nouella Valentiniani[b], quia nec forum legibus habent, nec apparitionem, nec executionem. Quare in Codice Iuſtiniani, titulus eſt de Epiſcopali audientia, non de Iuriſdictione. In Codice Theodoſiano eſt de Epiſcopali Iudicio, quod à Iuriſdictione diſtinguitur. Eſt enim Iuriſdictio poteſtas publica data magiſtratui de re ciuili vel criminali ſtatuendi. Cùm ergò Pōtifex priuatus eſſet Iuriſdictionem vllam ante Valentiniani tempora habuiſſe non videtur. Optimè tamen L. Florus[c] cum Tremelio Tribunopleb. à Pontifice mulcta dicta eſſet, Sacrorum magiſtratuum ius potentius fuiſſe ſcripſit. Quapropter qui priuatos Pontifices dixerunt, de ciuili magiſtratu loquuti ſunt, qui res humanas quæ ad Remp. pertinebāt, publica authoritate curarent: hic enim propriè magiſtratus dicebatur, qui ita populo præeſſet, vt illi leges[d]. Ita verò eſt interpretatio Pontificum, vt ijdem poteſtatem habeant & Iudicum[e], id eſt, vt non ſint magiſtratus, non imperiū habeant, non Iuriſdictionem: Magiſtratus enim ius ipſi dicebant, non iudicabant, ſed iudices dabant, & iubebant

a l. 5. D. de re iudic.
b De epiſc. iudic.
c epitom. 47.
d Cicer. 3. de legib.
e Cic. de Aruſpic. reſp.

iudicare, quod propriè est iurisdictionem exercere. Iurisdictio si quidem est iudicis dandi licentia[a]. Iudices de facto quærebãt: Magistratus de Iure cognoscebat. Quod quidem in Pontificibus verum est, in iis scilicet quæ Senatus ad illos reijciebat, in quibus Pontifices Iudicum delegatorum vice fungebantur. Atque in his potestatem habebant Iudicum, hoc est, notionem habebant, Iurisdictionem non habebant, sed nudam cognitionem sine iurisdictione. Licet notio pro Iurisdictione accipiatur Censoria, de qua M. Tullius[b]. *Centum propè*, inquit, *annos legem Æliam & Fusiam tenuimus. Quadringentos Iudicium notionémque Censoriam*: vbi notationem legendum censet Lambinus, in quo valdè lapsus est.

[a] l. 2. D. de iurisdict. omn. iudic.

[b] Orat. in Pison.

In his igitur quæ ad sacra & ceremonias pertinent Pontifices Iurisdictionem habuerunt: Atque ita fuerunt religionis Iudices, vt legis Senatus[c]. Iurisdictionis Pontificum nota præcipua fuit, mulctæ dictio. Etenim mulcta est pecunia quæ à magistratu indicitur ob peccatum[d]. Atque iis datur mulctæ dicendæ ius, quibus publicè iudicium est, & non aliis nisi hoc specialiter illis permissum esset[e]. Mulctæ ergo dictio Iurisdictionis est & mixti imperij, quod Pontificibus competit. De mero Imperio quæstio subdifficilior, quia illud à Iurisdictione separatur: hoc est, nõ competit iure magistratus, sed ei cui lex dedit criminum executionem. Quod ita definiri potest, vt sit ius grauiter animaduerrendi, coërcendi, verberandi, nominatim lege datum. Sic de capite Vestalium & de iis qui Vestales polluerant Pontifices iudicarunt: &

[c] Cic. 4. ad Attic. ep. 2.

[d] Varro li. 4 de ling. lat.

[e] l. 2. §. fin. D. de iudic.

graviore atrocioréque animaduersione vsi sunt, quæ in mero imperio consisti [a]. Εἰσὶ δ' [b] τῶν μειζόνων τοσαγμάτων κύριοι. Καὶ γὰρ δικάζουσι ὅτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἅπασας ἰδιώτας τε καὶ ἄρχοντας. καὶ λειτουργεῖν θεῶν. Καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τὰ ἱερῶν ἄγραφα, ὄντα καὶ αἰδέσια, κείνοντες ἃ αἱ ὀθνειτήδεα τυγχάνουν ἀλλοῖς φανεὶν νόμων τε καὶ ἐθισμῶν. Τὰς τε ἀρχὰς ἁπάσας ὅσαις θυσία τε καὶ θεραπεία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερῆς ἁπάντας ὀξετάζουσιν. Ὑπηρέτας τε ἅπαντων καὶ λειτουργοὺς οἷς χρῆνται τοῖς τὰ ἱερὰ, ὅτοι φυλάττουσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν τοῦδε τοὺς ἱεροὺς νόμους. Τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ὅσιοι τοὺς τοῦδε τὰ θεῖα ἢ δαιμονία σεβάσμους, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ τοσφῆται. Καὶ εἴ τινας ἀγάθονται μὴ πειθομένους ταῖς ὀθνειταγαῖς αὐτῶν, ζημίουσι τοσοῦτον ἔκαστον χρῆμα ὁρῶντες. Εἰσί τε αὐτεύθυνοι ἁπάσης δίκης τε καὶ ζημίας. ὅτε ἐκλῆ λόγον ἀποδιδόντες, ὅτε δήμῳ. In maximis rebus Pontificis authoritatem habentes omnes lites sacras iudicant, inter priuatos pariter & Magistratus ac Sacrorum ministros. Leges ferunt de Sacris, quæ nondum scriptis mandata, nec vsu recepta sunt, si digna videantur, quæ legibus aut more comprobetur. In omnes item Magistratus, quibus sacrificia & Deorum cultus commissus est, & in omnes sacerdotes inquirunt. Ministros quoque Sacrorum in officio continent, ne quid peccent cõtra leges sacras. Rudi vulgo Deorum ac Geniorum cultum præmonstrant & interpretantur. Quod si quem animaduertent, præcepta sua contemnentem mulctam ei dicunt pro delicti grauitate. Ipsi autem iudiciis & mulcta sunt immunes, nec tenentur vel Senatui, vel populo reddere rationem. Paucis Dionysius docet, quod vt in rebus

[a] l.1. §. qui mandatam. D. de eo cui mandat. iurisdict.

[b] Dionys. lib. 2.

humanis ſumma poteſtas magiſtratuum; ſic in ſacris curandis maxima fuit Pontificum, qui omnibus maiorum magiſtratuum inſignibus fuerunt decorati. Illis enim apparitores [a], ſcribæ, librarij, præcones, architecti, lictores, pullarij, cæteríque miniſtri dati ſunt qui magiſtratibus. Quare minùs rectè ſentit Carolus Sigonius [b], cùm ſcribit Sacerdotum omnium proprium fuiſſe, vt nec imperium nec poteſtatem haberent, in eo deceptus, quod Liuij locum traxerit ad Pontifices, qui de Salijs tantùm & Flaminibus intelligi debet, vt diximus ſuprà. Lites enim omnes Iudicabant Pontifices, quæ ſacri aliquid continerent. Quocirca Alexander Seuerus [c] tantùm Pontificibus detuliſſe fertur, vt quaſdam cauſas ſacrorum, à ſe finitas, iterari atque aliter diſtingui pateretur. Hæc lucem adferunt iis quæ ex Feſto Paulus compilauit [d], In quibus multorum ingenia diu hæſitarunt. Ille. *Maximus Pontifex dicitur, quòd maximus rerum quæ ad ſacra & religiones pertinent, iudex ſit, vindéxque contumaciæ priuatorum, Magiſtratuúmque.* Pontificum autem Iuriſdictio, quædam continet criminum perſecutionem, quædam ad ciuilia negotia trahitur. Quæ crimina perſequitur, mulctam habet & pœnam. Quæ ciuilis eſt, adoptiones, teſtamenta, cæteráque complectitur quæ ſigillatim nobis ſunt explicanda.

[a] Cic. 2. cõtr. Rullum.

[b] lib. 1. de antiq. iur. ciu. Rom. cap. 19.

[c] Lamprid. in Alexand.

[d] In verb. Maximus Pontifex.

grauiore atrocioréque animaduersione vsi sunt, quæ in mero imperio consisti [a]. Εἰσὶ γὰρ [b] τῶν μελλόντων τοῖς γεγραμμένοις κύριοι. Καὶ γὰρ δικάζουσι ὅτοι τὰς ἱερὰς δίκας ἁπάσας ἰδιώτας τε καὶ ἄρχοντας. καὶ λειτουργεῖς θεῶν. Καὶ νομοθετοῦσιν ὅσα τὰ ἱερῶν ἄγραφα, ὅσα καὶ ἀνέθηκα, κείνοντες ἃ αἱ ὀπτηνδία τύγχανον αὖθις φανεὶν νόμων τε καὶ ἐθισμῶν. Τὰς τε ἀρχὰς ἁπάσας ὅσας θυσία τε καὶ ἱεροσκοπία θεῶν ἀνάκειται, καὶ τοὺς ἱερῆς ἁπάντας ἐξετάζουσιν. Ὑπομένειν τε αὐτῶν καὶ λειτουργοὺς οἷς χρῆσθαι τοὺς τὰ ἱερὰ, ὅτοι φυλάξωσι μηδὲν ἐξαμαρτάνειν περὶ τοὺς ἱεροὺς νόμους. Τοῖς τε ἰδιώταις ὁπόσοι μὴ ἴασιν τοὺς περὶ τὰ θεῖα ἢ δαιμονία σεβασμοὺς, ἐξηγηταὶ γίνονται καὶ προφῆται. Καὶ εἴ τινας ἀλάθοντας μὴ πειθομένους ταῖς ὀπταγαῖς αὐτῶν, ζημίοισι τοὺς ἔκαστον χρῆμα ὁρῶντες. Εἰσί τε αὐτοὶ ἀνυπεύθυνοι ἁπάσης δίκης τε καὶ ζημίας. ὅτε ἔγκλη λόγον ἀποδιδόντες, ὅτε δήμῳ. In maximis rebus Pontificis authoritatem habentes omnes lites sacras iudicant, inter priuatos pariter & Magistratus ac Sacrorum ministros. Leges ferunt de Sacris, quæ nondum scriptis mandata, nec vsu recepta sunt, si digna videantur, quæ legibus aut more comprobẽtur. In omnes item Magistratus, quibus sacrificia & Deorum cultus commissus est, & in omnes sacerdotes inquirunt. Ministros quoque Sacrorum in officio continent, ne quid peccent cõtra leges sacras. Rudi vulgo Deorum ac Geniorum cultum præmonstrant & interpretantur. Quod si quem animaduertent, præcepta sua contemnentem mulctam ei dicunt pro delicti grauitate. Ipsi autem iudiciis & mulcta sunt immunes, nec tenentur vel Senatui, vel populo reddere rationem. Paucis Dionysius docet, quod vt in rebus

[a] l.1. §. qui mandatam. D. de eo cui mandat. iurisdict.

[b] Dionys. lib. 2.

humanis ſumma poteſtas magiſtratuum; ſic in ſacris curandis maxima fuit Pontificum, qui omnibus maiorum magiſtratuum inſignibus fuerunt decorati. Illis enim apparitores[a], ſcribæ, librarij, præcones, architecti, lictores, pullarij, cæteríque miniſtri dati ſunt qui magiſtratibus. Quare minùs rectè ſentit Carolus Sigonius[b], cùm ſcribit Sacerdotum omnium proprium fuiſſe, vt nec imperium nec poteſtatem haberent, in eo deceptus, quod Liuij locum traxerit ad Pontifices, qui de Salijs tantùm & Flaminibus intelligi debet, vt diximus ſuprà. Lites enim omnes Iudicabant Pontifices, quæ ſacri aliquid continerent. Quocirca Alexander Seuerus[c] tantùm Pontificibus detuliſſe fertur, vt quaſdam cauſas ſacrorum, à ſe finitas, iterari atque aliter diſtingui pateretur. Hæc lucem adferunt iis quæ ex Feſto Paulus compilauit[d], In quibus multorum ingenia diu hæſitarunt. Ille. *Maximus Pontifex dicitur, quòd maximus rerum quæ ad ſacra & religiones pertinent, iudex ſit, vindéxque contumaciæ priuatorum, Magiſtratuúmque.* Pontificum autem Iuriſdictio, quædam continet criminum perſecutionem, quædam ad ciuilia negotia trahitur. Quæ crima perſequitur, mulctam habet & pœnam. Quæ ciuilis eſt, adoptiones, teſtamenta, cæteráque complectitur quæ ſigillatim nobis ſunt explicanda.

[a] Cic. 2. cõtr. Rullum.

[b] lib. 1. de antiq. iur. ciu. Rom. cap. 19.

[c] Lamprid. in Alexand.

[d] In verb. Maximus Pontifex.

DE MVLCTA ET POENA.

De inceſtis Veſtalibus & iis qui Veſtales polluerunt.

CAP. II.

INTER mulctam & pœnam multum intereſt[a]. Pœna generale nomen eſt & omnium delictorum coërcitio: Mulcta ſpecialis peccati, cuius animaduerſio pecuniaria eſt. Certari mulcta dicebatur olim[b] cum eius remiſſio petebatur vel modus, quæ tum irrogabatur, vbi ſpecialis pœna non erat impoſita. Quomodò autem magiſtratui priuatóque potuerint Pontifices mulctam irrogare, & illorum contumaciæ vindices eſſe, ex iis quæ ſuprà allata ſunt facile intelligi poteſt. In iis certè quæ ad ciuilem reipub. adminiſtrationem pertinebant, nihil Pontifici cùm Magiſtratu. At ſi magiſtratus vel priuatus, Sacerdotio aliquo ornatus eſſet, ratione Sacerdotij, mulcta indicta, cogi potuit à Pontifice, vt iis ſacris incumberet, quibus erat obligatus. Sic C. Seruilius Pontifex max. mulctã dixit Cornelio Dolabellæ IIIV viro nauali in cauſa publica occupato. Et Metellus Pontifex max. A Poſthumium Conſulem eundémque Flaminem Martialem mulcta dicta in vrbe retinuit, nec paſſus eſt illum à Sacris recedere[c]. Craſſus Conſul & Pontifex max. Flacco Collegæ mulctam dixit ſi à ſacris diſceſſiſſet[d]. Huiuſmodi exemplis

a l. 244. D. de verb. ſig.

b Cic. Philipp. 11.

c Florus ep. 19.

d Cic. Philip. 11.

exemplis veterum referti libri. Augures ſummo atque ampliſſimo Sacerdotio prædíti, ad quos Auſpiciorum religio pertinebat, à Pontificibus mulcta affecti ſunt. Vt Clodius Augur, quem cum Metellus Pontifex max. iuſſiſſet adeſſe Saturni Sacrificio, & eum tum adhiberet Seruij Sulpitij inaugurationi: Ille autem excuſaret ſe, & ſacra familiæ ſibi obſtare diceret, quibus ſupplicandum eſſet, capite aperto. Pontifex illum mulctauit[a]. Prouocauit Clodius, qui tandē reconciliatus Pontifici familiæ ſacris peractis, Saturni Sacra fecit, religione ſolutus. Atque hæc quidem mulcta, quæ tum irrogabatur, vbi pœna non erat impoſita lege aliqua vel ſpeciali iure: At pœna erat ſupplicium peccati, legibus conſtitutum. Peccatum verò eſt aut publicum aut priuatum, cuius pœna in quatuor ferè partes diſtincta[b], ad capitalem aut pecuniariam refertur, aut quæ ledunt exiſtimationem, vel corporis continent coërcitionem. Capitis pœnà Veſtalium inceſtum Pontifices vindicarunt, ex lege Priſci Tarquinij[c], quæ fixa diu in atrio libertatis, de qua veteres multi ſcriptores tractarunt. De Iudicij ordine pauca retulerunt, quæ ab aliis ſunt colligenda.

[a] Feſtus in verb. Saturno.

[b] l. 6. §. fin. D. de pœn.

[c] Dionyſ. lib. 2. Plutarch. In Numa. Feſtus in verb. probrum. Plin. lib. 4. epiſt.

Primùm ergò cum indicium ad Pontificem delatum eſſet, de crimine ſtatim quærebatur, & rea Veſtalis iubebatur ſacris abſtinere, familiámque in poteſtate habere, ne ſcilicet vnum manumitteret ſeruorum, qui in illius caput torqueri poſſet[d]. Quamuis enim ciuili Iure, nec ſeruus in Domini, nec libertus in Patroni perniciem torqueri poſſet[e]: probrū virginis

[d] Liuius li. 8.

[e] Cicer. pro Milon. l. in-ceſtu. D. de quæſtionib.

Veſtalis adulterio turpius atrociúſque ſeruorũ tormentis inueſtigabatur, illorúmque indicia fidem faciebant. Opimia Veſtalis indicio ad Pontifices delata, quod amiſſa pudicitia, ſacra pollueret, quæſtionibus aliiſque tormentis rea peracta & damnata eſt[a], ἐκ βασάνων τὲ καὶ τῶν ἀνδρῶν ἀποδειξέων μαθόντες ὅτι ὃ μηνυόμενον ἐὼν ἀδίκημα ἀληθὲς. Accuſatæ deinde Veſtales cauſam dicebant, id eſt, à patrono defendebantur, vt cæteri capitis rei. Cauſa perorabatur apud frequens Collegium Pontificum, in Regia, aut in foro: & oratores palam ex Iudiciorum more illam agebant. Defendit Liciniam Virginem L. Craſſus[c] cùm annos XXVII. natus eſſet, qui in ea cauſa eloquentiſſimus fuit. M. Piſo in virginum iudicio magnam laudem adeptus eſt. Tucia falsò inſimulata, iuſſa eſt pro ſe dicere, permiſſu illa Pontificum, Tyberim petijt vnde hauriret aquam cribro vacuo, eámque in forum vſque perlatam ad Pontificum pedes effudit, μέχρι τῆς ἀγορᾶς ἐνέγκασαν πρὸς τοὺς πόδας τῶν ἱερεφαντῶν[d]. Qui locus forum in Iudicijs Veſtalium conſtituit, vbi Pontifices ſederent, diſceptaretur cauſa, illíque iudicarent.

Summo Veſtalium ſupplicio hoc vnum adiicio, quod illæ ante legem Porciam cædebantur virgis, priuſquàm in Subterraneam foſſam demitterentur[e]. Vrbiniam virginem ſtupri compertam virgis cecíderunt, traductámque per vrbem viuam defoderunt, ῥάβδοις τὲ ἐμαστίγωσαν, καὶ παμπεύσαντες ἔξω τῆς πόλεως ζῶσαν κατώρυξαν.

Commẽtator vetus in Iuuenalem editus ex Petri

a Dionyſ. lib. 8.

b Liuius li. 4.

c Cicer. in Bruto.

d Dionyſ li. 2. Plin. lib. 28. cap. 2.

e Dionyſ li. 9.

Pithœi V.C. bibliotheca, has virginibus Veſtæ pœnas fuiſſe narrat [a], vt viuæ in parietibus ſtruerentur, aut ſub terra obruerentur. Sed cùm iſti parietes legi Priſci Tarquinij, quæ ſemper ſeruata eſt, ruinam minentur, nec vllo alio authore fulti, tutum haud eſſet, ſi quid in controuerſiam veniret, intra illos diſceptare. Corporis coërcitione afficiebantur Virgines, quę negligentiùs ignem perpetuum habuerant, Illæ enim iuſſu Pontificis maximi flagro cæſæ [b]. Dura profectò lex, ſed ſcripta, grauior enim erat flagellatio fuſtigatione [c]. Nam ex quibus cauſis liber homo fuſtibus, ex his Seruus flagellis cædebatur. Hoc religionis ratio poſtulauit vt acerbiùs cum Virginibus ageretur ſi deliquiſſent. Quemadmodum amplioribus honoribus afficiebantur, ſi incorruptæ vitam tranſegiſſent. Illarum lædebat exiſtimationem Pontificum indulgentia. Nam plærúmque illa, quos liberat, notat. Sic Poſthumia ob amœnioris cultus ſuſpicionē, ingeniúmque liberius, quàm virginem decebat, accuſata deinde abſoluta: Hoc Pontificum Iudicio notata eſt, cum illam Pontifex max. pro Collegij ſententia abſtinere iocis coſíque ſanctè potiùs quàm ſcitè iuſſiſſet [d]. Nullam prudentes illi ſatis pudicam putauerunt de qua quæreretur.

In Veſtalium verò iudiciis, vt in publicis omnibus, Pontifices in Ciſtam tabulas coniiciebant, poſt legem Caſſiam Tabellariam. Quæ tabulæ ſuas habebant literas C. vel A. aut N. L. Hæc omnia cum ab Imperatore Domitiano prætermiſſa eſſent [e], magnam ſui inuidiam commouerunt. Nam cùm Maxi-

[a] ſatyr. 4.

[b] Liuius li. 28.

[c] l. in ſeruorum. D. de pœn.

[d] Liuius li. 4.

[e] Plin. lib. 4. epiſt.

millam Vestalem defodere viuam concupiſſet, vt qui illuſtrari ſæculum ſuum eiuſmodi exemplo arbitraretur. Pontificis maximi Iure, reliquos non in regiam ſed in Albanam villam conuocauit. Nec minore ſcelere, quàm quòd vciſci videbatur, abſentem in auditámque damnauit inceſti. In eos autem qui Veſtales corruperant, Pontifices idem Imperium exercuerunt. In diſquiſitione criminis idem ordo ſeruatus: & ſi fortè probationes deeſſent, ad quæſtiones & tormenta recurrebatur, quibus reus ſubiiceretur [a]. Damnatorum alij relegati, alij in exilium acti. Pœna tamen frequentior vetus illa fuit, vt ſub furca velut mancipia cæderentur virgis & necarentur [b]. L. Cantilius Scriba Pontificum, quos minores poſteà Pontifices appellarunt, cum Feroniæ Stuprum intuliſſet, à Pontifice max. eò vſque virgis in Comitio cæſus, vt inter verba expiraret [c]. Quare Suetonij [d] locus à me non ſatis intellectus eſt, qui Titum Veſpaſianum Pontificatum max. ſe ideò accipere profeſſum ſcribit, vt puras ſeruaret manus, nec poſthac cuiuſquam necis conſcius aut author eſſet. Nam licet Pontifices propriè ius gladij non habuerint, habuerunt tamen ius virgarum & ad necem, damnatáſque virgini carnifici tradebant, quæ ab illo ſubterraneo ſpecu clauderentur.

a Sueton. in Domitian. cap. 8.

b Dionyſ. li. 9.

c Liuius lib. 22.

d In Tito cap. 9.

AN PONTIFICES PERIVRII, ET Sacrorum nocturnorum Iudices essent.

CAP. III.

DEORVM iniurias Diis curæ dicebat cõtemptor illorum Tiberius princeps[a], cum Rubrio equiti Rom. crimini daretur, violatum periurio nomen Augusti. Posteriores Imperatores seueriùs crimen vindicarunt, si quis consultò per principem peieraſſet[b]: Ille enim in maiestatis crimen incidebat. Calori solùm Alexander Seuerus indulsit[c]: In cæteris crimẽ acerbiùs vindicatum. Nam si quis per genium principis peieraſſet, in re pecuniaria, reſcripſit Imperator fuſtibus eum caſtigatum dimitti, & ita ei ſuperindici παρεπιτῶς μὴ ὄμνυε. Qui ergo per Genium principis, numen, nomen, caput, fortunam, aut ſalutem temerè iurauerat, grauiſſimè plectebatur: Qui ſciens Iouem aut cæteros Deos iureiurando fefelliſſet, licet periurium fuiſſet approbatum, ſtari religioni debuit, & ſufficiebat periurij pœna, Id eſt, vltio diuina[d]. Quod M. Tullius expreſſiſſe putatur[e]. *Periurij*, inquit, *pœna diuina, exitium: humana, dedecus. Et quod non iudex ſed vindex Deus conſtituitur præſentis pœnæ metu, religio confirmari videtur.* Proinde periurij in Deos nullum crimen proditum, nulla accuſatio, nulla pœna. Veteri tamen Pontificum iure, illud non

a Tacit. li. 1. Annal.

b l. 2. C. de reb. cred.

c l. ſi duo. §. fin. D. de iureiur. l. 4. C. de locat.

d l. quod ſi cùm ſeq. D. de dol.

e lib. 2. de legib.

multum locus Plauti apertè probat[a]. Nam cùm Labrax leno ex Grippi piſcatoris præſcripto Veneris aram tetigiſſet, illámque tenens, cẽceptis verbis per Dei numen deieraſſet, ſe talentum argenti daturum: Piſcatorem luſit leno, quem cùm ille talentum poſceret ex iure iurando: *libet iurare,* ait, *túne meo Pontifex periurio es?* Quod vir haud ſane ſpernendus interpretatur. Túne meo periurio præeſſe aut iudex ſedere poſtulas, tanquam Pontifex qui de pietate aduerſus Deos violata diiudicare ſolet? Hoc tamen non ad vltionem vel iuriſdictionem Pontificum retulerim, ſed ad criminis expiationem, quæ à Pontifice quæri ſolebat. Nam commiſſum piaculum dicebatur, cum id factum eſſet, cuius cauſa, hoſtiæ aut libamenta deberentur: vt fraus, ſcelus, aut flagitium purgaretur. Quod ex Pontificum præcepto fiebat, ſi quid domeſtica religione piandum eſſet[b]. Hinc piacula ſunt purgationes & delicta propter quæ expiatio fiebat[c]. De expiatione nobis eſt ſingularis locus. Nunc hæc hęc tantum ex Poëta iuris Pontificij ſcientiſſimo, adfero quæ ad hanc rem.

Gnoſius hæc Rhadamantus habet duriſſima regna
Caſtigátque auditque dolos, ſubigítque fateri
Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Nam publicus Sacerdos, hoc eſt, Pontifex imprudentiam conſilio expiatam metu liberabat[d], & expiationis ab eo modus quærebatur qui culpæ remiſſionem daret: & iuriſiurandi Religione liberaret[e]. Sic igitur Lenonis periuri verba accipiẽda exiſtimo,

[a] In Rudẽt.

[b] Acro. in horat. lib. 1. Carmin. od. 28.

[c] Seruius 4. & 6. Æneid.

[d] Cicer. 2. de legib.

[e] Liuius lib. 39.

túne meo Pontifex periurio es? Túne si Deos sciens fefellerim tanquam publicus Sacerdos mihi modum præscribes, quibus hostiis commissum piaculum resoluam, veniámque à Diis immortalibus possim impetrare? Lex enim Sacrorum erat. IMPIVS. NE. AVDETO. PLACARE. DONIS. IRAM. DEORVM. Quod intellige, nisi piaculari hostia impietatem eluisset.

De nocturnis sacris locus est Horatij sub persona Canidiæ veneficæ, quam cum Poëta suis versibus lacessisset, inducit illam iniuriis respondentem,

Et Exquilini Pontifex venefici
Impunè vt vrbem nomine impleres meo?[a]

Quod vetus interpres ita intelligit, vt de Pontifice, Censore, ac iudice poeta loquatur, quia Pontifices de Sacris iudicabant. Vir de literis optimè meritus, Exquilinum hunc Pontificem credit μυστοπόλον, περὶ τὰ μυστικὰ ἀναστρεφόμενον, maleficum & sacrorum euersorem: quod poetæ verbis & menti refragatur: qui cùm Canidiam Veneficam insequeretur, respondet illa, non impunè laturum, quod quasi Pontifex & Iudex huiusmodi sceleris, tota se vrbe diffamasset, impiorum veluti Sacrorum ream. Nam extra portam Exquilinam, vbi viliorum erant sepulchra, noctu sacra illa nefaria conficiebantur. Nihil autem populo Romano maiori curæ fuit, quàm vt sacra ritè puréque fierent. Quare si quis illa violasset, vrbs religioni dedita, solius sceleris fama implebatur & maximè turbabatur. Hac in re Pontifices in admittendis religio-

[a] lib. epod. od. 12.

nibus fœdis, audaciam damnabant, atque impiam iudicabant. Quæ fœda religio de nocturnis & impiis sacris dicitur, Pontificum subiectis notioni. Plerúmque tamen Magistratibus, Sacrorum quæstio à Senatu mandata est, cùm Reip. statum labefactarent, vt noua illa fuerunt & externa sacra, quibus populi pars detinebatur: Vt Senatus authoritas de Bacchanalibus & Consulum exercitu adhibito, quæstio animaduersióque declarant. Damnabant ergò Pontifices & iudicabant fœdam religionem, quod ita intelligo, vt iudices de facto cognoscebant cum pœnæ persecutio Magistratuum esset. Quod ex P. Clodij scelere coniicio. Nam cum ille in Sacrificium Bonæ Deæ cogitatam libidinem intulisset: Clodij factum nefas virgines Pontificésque decreuerunt[a]: Consules deinde rogationem promulgarunt, rogatio accepta, Iudices dati, qui Clodium excussum & exhaustum demiserunt[b], Dum intermortuas antiquitatis reliquias in lucem reuocamus, Si quis fulgore ingenij aliter tenebras fugauerit, me in hac luce cæcutire non diffitebor.

[a] Cic. de Aruspic. resp.

[b] Cicer. 1. epist. ad Attic. 10. & 13.

EDICTA PONTIFICVM. ILLORVM *cognitio in ius religionis, & ius Reip. distributa. Imperant, vetant, permittunt, puniunt.*

CAP. IIII.

PONTIFICEM maximum de Ceremoniis edicere solitum superiore libro demonstrauimus,

mus, quod Imperij partem nemo negabit, quæ in edicendo posita[a]. Ciuilis illorum cognitio in ius religionis & ius Reip. distributa est. Primùm igitur religionis iure potuerunt Pontifices imperare, vetare permittere, punire.

[a] l. 2. § eodē tempore. D. de Orig. iur.

M. Marcellus quintùm Consulatum gerens, Syracusis potitus, templum Honori & Virtuti nuncupatis votis debitum, voluit consecrare: quod vetuit Collegium Pontificum, qui negarunt vnam cellam duobus diis rectè decerni[b]: Cessitque Marcellus victor iuri religionum. C. Cassium Censorem, Concordiæ simulachrum in templo augurato dicare Pōtifices prohibuerūt, quorū decretum Senatus confirmauit. Nam cum Cassius spreta Pōtificum prohibitione, in loco augusto dedicasset, aram tollendam ex authoritate Pontificum Senatus censuit[c]: neque vllum passus est ex ea dedicatione literarum extare monumentum. Non solùm autem Magistratus, sed Senatus ipse, si ita ius religionis postularet, Pontificum cessit authoritati. Bello illo Macedonico, vt in bellorum nouorum principiis religiosus admodum fuit: ludos Ioui, donáque vouere Consulem iussit, cui Prouincia Macedonia venisset. Moram voto publico Licinius Pontifex max. attulit, qui negauit ex incerta pecunia voueri debere, nec cùm alia pecunia misceri[d]: quod nisi factum esset, votum ritè solui non posse. Quamquam & res & author monebat, tamen ad Collegium Pontificum referre iussus Consul, si posset rectè votum incertæ pecuniæ suscipi: quod posse, rectiúsque esse Pontifices decreuerunt.

[b] Val. Max. lib. 1. cap. 1.

[c] Cicer. pro domo sua.

[d] Liuius lib. 31.

In quo duo licet obseruare. Primum quod Collegium Pontificum supra Pontificem maximum fuit, à quo liberè potuit dissentire: Alterum quod Pontifex maximus Senatusconsulto intercedere valuit, si quid à Senatu contra ius religionis decretum esset. Optimè ergo dicebat Optatus Afer religionem in Repub. & Remp. in religione esse oportere.

Iudicium autem Pontificum, in iis quæ ad Collegium Senatus reiecisset, Prætor exequi solebat vel Consul. *Me*, inquit M. Tullius,[a] *in ea ipsa domo, qua tu expuleras, Pontifices, Consules, Prætores collocarunt.* Et Prætoribus datum à Senatu negotium est, vt sumptu publico Ciceroni domus reædificaretur.

a Cicer. in Pison.

De Iure Reip. lata quæstio est, quam hoc loco coarctare visum est. Mihi quidem perpetuum indixi de Repub. vel aliena silentium: Sed de veteri illa, quę iam nulla est, liceat mihi dicere. Si aliquantum aberrauero, meo iure faciam, qui ius relationis de re qualibet mihi in hoc opere vēdicare possum. Inscriptiones veteres me interpellant vt ex iis aliquid adferam, quod publicam hanc cognitionem iuuare possit. Vna est Romæ in domo Gentilis Delphinij.

IMP. CÆSAR
VESPASIANVS. AVG.
PONT. MAX. CENSOR
LOCVM. VINIÆ. PVBLICÆ
OCCVPATVM. A. PRIVATIS
PER. COLLEGIVM. PONTIFICVM
RESTITVIT

Hanc vineam lubet propagare in ſulcos. Reſtituere verbum iuris eſt, quod importat poſſeſſorem facere & fructus reddere, cauſámque omnem præſtare [a]. Reſtitutio à Principe impetrari debuit & decerni. Sed quomodo Princeps per Collegium Pontificum locum vineæ publicæ reſtituerit, hoc eſt Pontificibus authoribus, iure noſtro ciuili non ſatis notum. Latent illa omnia craſſis occultata & circumfuſa tenebris, vt nulla acies humani ingenij tanta ſit quæ omnia videre & aſſequi poſſit. Audendum tamen aliquid eſt, dum peritiores alio modo rem ipſam tentauerint enodare. Inter Sacerdotales leges, hæc vna à M. Tullio recenſetur [b]. SACERDOTES. VINETA. VIRGETA'QVE. ET. SALVTEM. POPVLI. AVGVRANTO. Forte SALICTA legendum ſuſpicabatur vir doctiſſ. Cuius coniecturam amplecterer, niſi me *Salutis augurium* retineret, quod ſibi alium inueniet locum. Cætera præſagio mentis ſunt inueſtiganda.

[a] l. 22. D. de verb. ſig.

[b] Cic. 2. de legib.

Priuati agros cum luſtrarẽt, ita illos facere & precari ſolitos docet Cato [c]. Imperabant Solitaurilia circumagi cum Diuis volentibus. *Quodque benè eueniat*, aiebant, *Mando tibi* Mani *vt* illa *Solitaurilia, fundum agrum terrámque meam, quota ex parte, ſiue circumagi ſiue circumferenda cenſeas, vti cures luſtrare.* Dein Ianum Iouémque vino præfati ſic dicebant. *Mars pater te precor quæsóque, vti ſies volens propitius mihi domo familiæque noſtræ, quo ius rei ergo, agrum, terram, fundúmque meum, Solitauraria circumagi iuſſi: vti tu morbos viſos inuiſóſque viduertatem, vaſtitudinémque, calamitates,*

[c] lib. de re ruſtic. ca. 41

intemperantiásque, prohibeßis, defendas, auerruncésque,
cap.141. *vtíque tu fruges, frumenta, vineta, virgultáque grandire,*
benéque euenire ſinas: Paſtores pecuáque ſalua ſeruaßis,
duíſque bonam ſalutem valetudinémque mihi, domui, familiæque noſtræ Harumce rerum ergò, fundi, terræ, agríque mei luſtrandi, luſtríque faciendi ergò, ſicut dixi, macte hiſce Solitaurilibus lactentibus immolādis eſto. Mars pater eiuſdem rei ergo macte hiſce Solitaurilibus lactentibus eſto.
Quod in agris ſuis priuati Solitaurilibus fecerunt: Hoc in publicis Sacerdotes publici non obmiſerunt, qui ea loca augurarunt, hoc eſt mentis præſagio pacem deorum popoſcerũt; Præfati communes Deos,
a Seru. 6. Æneid. Martem agreſtem precati ſunt[a], vt omnem à vineis publicis calamitatem auerteret, vineta ſuccreſcerent, & ſuos fructus darent. Hoc genus Sacerdotum Hierophantæ Arcadij & Honorij temporibus dicebantur[b], quorum precationes in re obſcura reſcripſi, quę
b l. 4. C. Theod. de paga. ſacrif. & tempe. lucem Pontificũ authoritati adferre poſſent. Hi fortè ex ſuis commentariis locum vineæ publicæ à priuatis occupatum principi renuntiarunt. Nam cùm rebellione trium principum & cæde, incertum diu &
c Sueton. in Veſpaſ. ca. 8 quaſi errans Imperium vagaretur[c], priuati publica facilè vſurparunt. Quare cùm lapſam Remp. Veſpaſianus reſtituiſſet, authoribus Pontificibus illorum adminiculo & indicio vineam publicam Reip. reddidit, quam priuati occupabant. Qui vineam hanc aliter putauerit ex veteri cantione *nouum vetus vinum bibat, ſi modò veteri nouo morbo medeatur.*

ADOPTIONES LEGE CVRIATA fiebant apud Pontifices. Hereditas nominis pecuniæ, Sacrorum. Sine Sacris hereditas.

CAP. V.

DE ADOPTIONIBVS & lege Curiata, Agellius & Grucchius[a] multa tradiderunt, quos consulere quilibet potest. Illæ ad ius Reipub. pertinent, quod priuatorum plerúmque spectat vtilitatem. Adoptionis autem generale nomen est, quod adrogationem complectitur. Hanc tamen dictam putat Agellius, quod populus Romanus à Pontifice rogaretur. At Caius Iurisconsultus aliundè tradit nominis notationem[b] ab eo scilicet quod in arrogatione, & is qui adoptat rogatur, & qui futurus est illius filius. Vtrumque rationem habet, quæ in verborum origine & explicatione exquirenda, libera est si probabilis iudicetur. Duobus verò modis adoptio fiebat, aut lege Curiata apud Pontifices, quæ ad principis authoritatem translata est lege Regia: aut magistratus imperio. Fuit & tertium adoptionis genus, quæ testamento fiebat, sed illa lege Curiata confirmabatur[c]. Adoptionis formulam refert Agellius, ex qua Proculi Iurisconsulti lex corrigenda est[d]. Ille: *sed si sic adoptauit, vt etiam iure legis nepos suus esset.* Recte Duarenus[e] *Iure legéque*

[a] Agel. li. 5. cap. 19. Gruch. li. 3. de Comit. cap. 4.

[b] l. 2. D. de adopt.

[c] Cuiac. li. 7 obseru. ca. 7

[d] l. si is qui. D. de adopt.

[e] li. 2. disputat. cap. 14.

repoſuit. Sed mutanda porro dictio eſt, *vt etiam*, in cuius locum ſubſtituendum eſt *vt ei tam*.

Arrogationes nō temerè aut inexploratè committebantur, ſed in iis cauſæ cognitio vertebatur [a]. Quare Augures aderant & captatis Auguriis Deorū voluntas exquirebatur. Sic Pompeius in adoptādo Clodio Augur fuit [b]. Deinde quæ cauſſa eſſet adoptionis, quæ ratio generum, quæ Sacrorum, quęri à Pontificibus ſolebat. Adoptionem enim hereditas nominis, pecuniæ, Sacrorum ſequebatur. Atque hæc ſacrorum ratio fecit, vt apud Pontifices potiſſimùm, Comitiis curiatis adoptio fieret. De hereditate nominis & pecuniæ docent noſtri adoptionē ius agnationis adferre [c], & filium adoptatum, quartam ex bonis patris conſequi. Sic enim conſtitutum eſt, vt qui adoptatur adoptantis nomen accipiat [d], ita tamen, vt ne quid aut de dignitate generùm, aut de ſacrorum genere minuatur, Hoc eſt, adoptio gentem mutat, genus aut Sacra familiæ non mutat [e]. Euenit enim vt is qui in adoptionem datus eſt, tàm in familia naturalis patris, iura cognitionis retineat, quàm in familia adoptiua nanciſcatur, quibus fit agnatus. In naturali ſemper omnia retinebat. Hæc cauſa fuit cur Claudius Imperator cùm Neronem ſibi adoptaret, optarétque generum, filiam ſuam alienę familiæ tradidit, ne ſororē fratri iungere videretur [f]. Nam adoptatus filius, iis qui in familia ſunt agnaſcitur, & filiæ quæ in patris poteſtate eſt, frater eſt, nuptiis etiam eorum prohibitis.

Religionis Sacrorum par cauſa fuit, ſi qui arroga-

[a] l. patet-fam. §. fin. D. de adop.

[b] Cicer. pro dom. ſua.

[c] l. qui adoptionē. D. de adoptionib.

[d] Dio li. 46.

[e] l. 1. §. cognationem D. vnd. cognat.

[f] Dio li. 60.

batur sui iuris factus, naturali patri heres extitisset. De Sacris illis hæc vna M. Tullij [a] sententia fuit, vt semper illa conseruarentur, & deinceps familiis prodelegib. rentur, ne morte patrisfamilias occiderent: Sed iis essent ea sacra adiuncta, ad quos eiusdem morte pecunia veniret. Heredes igitur sacris adstricti erant; & sacra eum sequebantur, quem pecunia, siue testamẽto siue ab intestato ad eum pecunia perueniret. Sacra itaque pecuniam sequuntur, & hereditas pecunia est, si à disiunctis illam accipiamus [b]. Quod quatuor præcipuè modis accidebat in hereditate. Nam Sacra hereditaria nullum magis quàm heredem sequebantur. Primùm ergò qui morte testamentóue tantumdem capiebat quantum omnes heredes, hic sacris familiæ adstringebatur. Secundò si nemo heres esset, qui de bonis patrisfamilias plurimum, cùm moritur vsu ceperit. Tertiò si nemo sit qui vnam rem ceperit, de Creditoribus eius qui plurimum seruet. Extrema persona est, vt is qui ei qui mortuus sit pecuniam debuerit, neminíque eam soluerit: perinde habeatur, quasi eam pecuniam ceperit, Secundum Scæuolæ Pontificis sententiam. Atque hi modi intelliguntur, si nullus heres sit ex testamento, & agnatus cui hereditas ab intestato delata est. Nam si nemo esset heres, nemóque eorum esset, quos Prætor ad hereditatem vocat [c], qui successionem quoquo modo amplecteretur, ad quatuor illos modos recurrebatur. Atque ex hac Sacrorum religione, qui in patris potestate erant in sacris patris esse dicebantur: vt adoptati in sacra adoptantis transire [d]. Horum sacrorum

[a] lib. 2. de legib.

[b] Cicer. in Topic.

[c] Instit. de legit. agnat. succes.

[d] Plin. in panegyric.

ita meminit Plinius. *Vicesima hereditatum*, ait, *tributum intolerabile. Quanto dolore ferebant illud, distringi aliquid & abradi bonis, quæ sanguine, gentilitate, sacrorum denique societate meruissent*; Vnde sine sacris hereditas vulgò dici solebat, de ea quæ nullo sacrorum onere grauaretur, cum paterfamilias nulla sibi priuata sacra statuisset.

At verò vt patria potestas & arrogatio propria ciuium Romanorum fuit [a]: Sic sacra heredem Romæ tantùm sequebantur. *Nam si quis est mortuus Apinatis* (dicebat Cato Censorius [b] originum secundo) *eius heredem sacra non sequebantur.* Quæ omnia sub Principibus durasse certum est: Licet Alciatus [c] veterem Rogationum morem iamdiu abúsque Imperatoris Tiberij tempore exoleuisse putarit: in quo falsus est. Nam & Neronis adoptionem censuerunt patres [d], populus iussit. Et Galbæ Imperatoris oratio [e], errorem viri magni detegit, ille enim cùm Pisonem Licinianum adoptaret: *Si te*, inquit, *priuatus lege Curiata apud Pontifices, vt moris est, adoptarem &c.* Mos ergò fuit saltem ad Galbæ tempora, vt lege Curiata, priuatorum adoptiones apud Pontifices fierent; Principum enim fiebant in Senatu vel in Castris, cum legibus omnibus se solutos crederent. Nam quandiu non soluerunt, leges illæ seruatæ, vt ab Augusto, qui Tiberium in foro lege Curiata adoptauit [f], & Tiberius Germanicum, Neronẽ postea Claudius adoptauit in Senatu [g], oratione habita, quam à Liberto Palante acceperat: & Galba Pisonem filium appellans produxit in castra, ac pro concione arrogauit [h].

[a] Vlpian. li. Regul. cap. 18.
[b] Prisc. lib. 4.
[c] lib. 9. παρέργων cap. 5.
[d] Tacit. 12. Annal.
[e] Tacit. 1. histor.
[f] Sueton. in August. ca. 65. Tacit. 1. Annal.
[g] Tacit. 12. Annal.
[h] Sueton. in Galb. ca. 17.

At in

At in Priuatorum adoptionibus leges incorruptæ diu permanſerunt. De his Tacitus[a]. *Percrebuerat*, inquit, *Neronis temporibus ea tempeſtate peßimus mos, cum propinquis Comitiis, aut ſorte prouinciarum, plerique orbi, fictis adoptionibus adſciſcerent filios Prætoráſque & Prouincias inter patres ſortiti, ſtatim emitterent manu, quos adoptauerant. Factum Senatuſconſultum ne ſimulata adoptio in vlla parte muneris publici iuuaret, ac ne in vſurpandis quidem hereditatibus prodeſſet.* Si mihi extra ordinem literarum imperium mandatum eſſet, libenter ſortirer cùm doctiſſimis viris hanc Taciti Prouinciam, quam illi ampliſſimè adornarunt, vt adderem ſolùm quod ab illis prætermiſſum vel fortè neglectũ. Animaduerto Curiatorũ Comitiorum duas fuiſſe cauſas præcipuas. Vna Sacerdotibus creandis, altera legibus ferendis. Legum cauſæ variæ, vt de adoptionibus, de teſtamentis, de priuilegiis, de Magiſtratuum imperio, quibus in Prouincias profecturis lege Curiata opus fuit[b], niſi ex Senatuſconſulto Prouinciam haberent, tunc enim lege Cornelia habebant Imperium. Sed quid ad Sortem Prouinciarum adoptio conferebat? multùm quidem illa, ob legem Pappiam Poppæam, quæ ab hac ſortitione, atque etiam Reip. adminiſtratione Cælibes, & qui ſine liberis, aut remouebantur, aut in ſecundis conſiſtebant. Penè obmiſeram Principis adoptionem in templo quandoq; factã, cui Pontifices adfuiſſe, locus ipſe ſatis teſtatur[c]. Plinius de Traiano, *itaque tua non in cubiculo, ſed in templo: non ante Genialem thorum, ſed ante puluinar Iouis Opt. max. adoptio peracta eſt.*

[a] li. 15. Annal.

[b] Cic. lib. 1. epiſt. 9. in fin.

[c] In panegyric.

QVIBVS MODIS PECVNIA Sacris liberaretur, & ipsa Sacra interirent. Partitio. Deductio. Testamentum per æs & libram. Coëmptio. Manumissio Sacrorum causa. Sacrorum detestatio.

CAP. VI.

PONTIFICES non solùm pecuniam sacris coniungi voluerunt, sed ferias Ceremoniásque ei adscribendas putauerunt. Quod cùm graue esset & odiosum, iuuenta tandem ratio, ab ipso Scæuolâ Pontifice maximo & Iurisconsulto peritissimo, qua pecunia Sacrorum molestia liberaretur, & sacra etiam ipsa interirent. Iure igitur M. Tullius[a] ait, *An quibus verbis sacrorum alienatio fiat, docere honestum est, vt est: quibus ipsa sacra retineri, defendique possint non honestum est?* Cum itaque heres vel legatarius, vel qui plurimum cepisset sacris adstringeretur: Tres inuenti sunt modi quibus liberatio quæreretur. Partitio scilicet, testamentum per æs & libram & coëmptio. Partitionem voco pecuniæ diuisionem à testatore factam testamento inter heredes legatariúmque, secundùm tabulas testamenti. Ab hac Coheredes Particulones dicti sunt, quod partes illis inuicem factæ[b]. Ad partitionem tamen decursum est, vt legatariis consule-

[a] li. de Orator. perfect.

[b] Non. Marcel.

rètur, ne tantumdem caperent, quantum omnes heredes, sacríſque hoc modo obligarentur[a]. Quod vt faciliùs fieret, teſtator deducebat aliquid in teſtamẽto, id eſt, detrahebat aliquid ex legato, atque hæc Deductio dicebatur, qua legatarium liberaret. Quod ſi nihil deduxiſſet ex partitionis capite cẽtum nummi debebantur. Franciſcus Balduinus vir ſummo ingenio ſummáque doctrina, in ſuis ad Scæuolã Commentariis, quæ eſſet illa deductio ignorari credidit, cum tamen à M. Tullio explicetur. Nec intellexit quomodo legatarius partiarius ſacris liberaretur, ſi minùs caperet quàm omnes heredes. Putat ille legatarium pro parte acquirere, pro parte repudiare legatum potuiſſe, quod iuri ciuili contrarium omnimodò eſt[b], quod Scæuola Optimè ſciebat. Deductio quidẽ à teſtatore fiebat: Partitio ipſo Iure, cùm legatarius cùm herede hereditatem partiebatur. Partitionis Imago quædam eſt in libris noſtris[c]. Inter legatarium & heredem interponebantur ſtipulationes, quæ vocabantur emptæ & venditæ hereditatis, heréſque onera hereditaria ſuſtinebat. Quod ius poſteà correctum Pegaſiano Senatuſconſulto variiſque legibus quæ Iuri antiquo derogarunt.

[a] Cic. 2. de legib.

[b] l. legatarius 38. D. de leg. 1. l. 4 D. de leg. 2.

[c] §. ſed quia Inſt. de fideicommiſ. hered.

Alius modus fuit perimendorum ſacrorum, vt per æs & libram heredes teſtamenti legatariis ſoluerent. Quod genus teſtamentorum fiebat Comitiis Curiatis pro Collegio Pontificum[d]. In teſtamento per æs & libram duæ res agebantur, familiæ mancipatio & nuncupatio teſtamenti. Nuncupabatur teſtamentum hoc modo: Tabulas teſtamenti teſtator

[d] Agel. li 15. cap. 27.

[a] Vlpian li. Regul. tit. de testamentis

tenens ita dicebat[a]. *Hæc vti in his tabulis cerisue scripta sunt, ita do, lego, ita testor, ita vos. Quirites testimonium perhibitote.* Hæc nuncupatio & testatio vocabatur. Ad familiæ mancipationem adhibebantur quinque testes cùm libripende, & familiæ emptore: Libripēs antestatus dicebatur. Atque hæc mancipatio imaginaria quædam venditio erat, quæ ita perficiebatur, vt qui heres futurus esset testatoris, hereditatē emeret, verbis quibusdam sollemnibus & pretij nomine nummū vnum domino daret, qui appellabatur famiiæ emptor. Deinde disponebat testator, quid post mortem suam fieri vellet[b]. Dicebat enim familię emptori *huic volo dari fundum illum.*

[b] Theophil. de testam. ord.

Veteri tamen more adhibebantur Coëmptionales senes qui bona testatoris emerent, heredicq; quem testator elegisset, restituerent hereditatem. *Maiores nostri*, inquit M. Tullius[c], *sacra interire noluerunt: Senes ad coëmptiones faciendas interimendorum sacrorū causa reperti sunt.* Plautus noster[d]. *Coëmptionalem senem, vendam ego, quem venalem habeo.* Illi homines erant de trinio otiosi qui omnes auctiones sectabantur, quibus interessent, vt quæ venalia proscribebantur pretio modico conducti licitarentur, quo emptoribus calorem adderent, réspque pluris veniret. Cum de finibus sociorum populi Rom. iudicium esset. Scaptius senex vaniſſimus agrum de quo agebatur dixit iure belli publicum populi Rom. factum. Consules testātes ingens flagitium fieri[e], *Scaptióne*, inquiunt, *seni coëmptionali* (malè in vulgatis plerísque concionali) *assignaturos putarent finissimos populos?* Hæc quidem

[c] Orat. pro Muren.

[d] In Bacchidib.

[e] Liuius li. 3

attulimus ad faciliorem Ciceronis intellectum[a]. *Heredes*, inquit, *per æs & libram soluant*. Nam Coëmptionales senes, vt familię emptores certis conditionibus emebant hereditatem, vt scilicet pecuniam heredi legatariisque soluerent, quam testator illos habere volebat. Quo pacto pecunia ex stipulatu debebatur, nec legatarij solùm sed & filij qui emancipatione sui heredes esse desinebant, nec in familia testatoris erant, sacrorum onere subleuabantur. Hæc sunt quæ à M. Tullio enarrantur, quibus Pontificum ius eludebatur callida Iuris Ciuilis interpretatione. Quod Adrianus Turnebus[b] vir memoria nostra doctissimus sibi parùm compertum esse fassus est, aliisque quærendum reliquit. Si iuueni quod ab illo quæritatum, partem non denegabo, sit κοινὸς Ερμῆς, Imò si quid ex illius fundo totum illi bona fide concedo.

[a] Cic 2. de legib.

[b] lib.1.aduersf cap.18.

Erat aliud genus coëmptionis quo domestica sacra occiderent. Nam mulier materfamilias viro, loco filiæ erat: atque vt omnia quæ mulieris fuerant, fiebant viri, dotis nomine, & mortua illa ad virum pertinebant[c]: Sic bona viri illo mortuo, vxoris erat, sed illa sacris obligabatur. Quia cùm filiæ loco esset viro, & in manum, id est, potestatem conueniisset, sui heredis personam ferebat[d]. Quare cũ heredum causa in sacris iustissima esset, meritò sacra viri mulierem sequebantur. Nec tamen vir sacris mulieris fuit obligatus, licet inuicẽ sibi succederent. Quoniam coëmptione sollemni vir sibi bona mulieris acquirebat. Certis enim sollemnitatibus nuptiæ fiebant[e], & sese inuicem in coëmendo interrogabant. Quæ quidem

[c] Boëtius in Topic.

[d] Vlpian. li. Reg tit. qui hered. inst. possint.

[e] Seruius 1. Georgic.

interrogatio ſtipulatio non erat : ſed coëmptio & pretij imaginaria ſolutio , quæ faciebat emptionem, vt vir bona mulieris, non pro herede, ſed pro empto-
a Cuiac. 9. obſeru. cap. 37. re poſſideret[a].

Hos Iuuenio ſacrorum perimendorum modos, inter quos non recipio Manumiſſionem ſacrorum cauſa, vt nec ſacrorum Deteſtationem. Pace id Manium viri poſt annos mille in his literis eruditiſſimi adfirmare auſim, qui quidem aliud ſentit ex Feſti
b Feſtus in verb. puri probi. Pompeij[b] verbis, à cuius mente multùm mihi diſſentire videtur. *Puri*, inquit Feſtus, *probi, profani, ſui auri dicitur, in manumiſſione Sacrorum cauſa. Ex quibus puri ſignificat, quod in uſu ſpurco non fuerit: Probi, quod rectè excoctum purgatúmque ſit: Profani, quod ſacrum non ſit, ſed omni religione ſolutum. Sui, quod non ſit alienum.* Quomodo hæc verba ad ſacrorum peremptionem trahi poſſint, nulla ratione aſſequi poſſum. Manumiſſio ſacrorum cauſa, ait vir ille maximus, vnus erat ex modis quibus liberabatur heres ſacris familiæ. At verò heres quidem emancipatione è Sacris paternis exibat & illis ſoluebatur: manumiſſione vix poteſt intelligi. Quamuis enim manumiſſio tam ad ſeruos
c l. 2. D. de offic. proconſul. l. 5. D. ad S. C. Tertyl. quàm ad liberos referatur[c], propriè tamen manumiſſio ſeruorum, quæ in liberis frequentiùs emancipatio. Nec facilè percipio quod addit, vt qui ſacris liberaretur, auri, probi, puri, ſui aliquid inferret arcæ Pontificum. Nullum enim emancipationis pretium cõſtitutum eſt. In ſeruis viceſima danda manumiſſi, quod introductum eſt lege, nouo exemplo ad Su-
d Liuius li. 7 trium in Caſtris tributim lata à Cn. Manlio Cõſule[d].

Quod quidem huic loco nullomodo conuenire potest. Quid est ergo Manumissio sacrorum causa? Quidquid sit nõ est sacrorum perpetuorum peremptio. Assentior equidem Balduino [a], Cuius ingenij monumenta sæculis probantur, vt qui rem suam manumittebat sacrorum causa, Illam de suo dominio ita dimittebat, vt religiosè profiteretur rẽ esse suam, quæ sacra fieret. In hac antiquitatis indagatione, quæ pura & proba rarò ad posteros manat, coniecturis opus est, quæ plerúmque magis ingeniorum vim quàm rei veritatem declarant. Quantum igitur coniectura auguror, manumittere sacrorum verbum est, quod significat aliquid è potestate sua dimittere: & Manumissio Pontificum iure idem sonat, quod traditio, aut in iure cessio. Nec enim dubium est, cùm rem abs se alienare quispiam vellet, sacrorum causa, quin aliqua alienationis sollemnitas interueniret, cessionis vel traditionis loco, quæ iure ciuili in aliis introducta fuit [b]. Sacræ res sunt, quæ ritè per Põtifices consecratæ, veluti ædes sacræ & donaria quæ ad Deorum ministerium dicata sunt [c]. Cum ergò rei mobilis dominus, coram Pontifice illius proprietatem à se abdicabat, sacrámque faciebat, hæc Manumissio erat sacrorum causa. Quam seruis frustrà alij tribuunt, pro quibus auri puri decem dominos soluisse confingunt ex lege Manlia, de vicesima eorum, qui manumittebantur. Frustrà enim sacrorum mentio fieret, cum serui sacra non haberent. Itaque quæ diis dicabantur, aut res soli erant, in quibus ædes, terra, ara consecrabantur: aut mobiles, quæ dona, &

[a] cap. 28. ad leg. 12. tab.

[b] Vlpian. li. Regul. tit. de domin. Boët. in Topic.

[c] §. sacræ. inst. de rer diuis.

locus in quo reponerentur, donarium dicebatur[a]. Iam vt ad Festi verba hæc accommodemus: Si quis Diis offerret auri aliquid, quod consecraretur & in donario reponeretur: illud esse debuit puri, probi, profani, sui. Quod quidem aurum factum ἄσημον intelligendum est, quo commodè vti possimus, vnde illud Satyrici.

Dicite Pontifices in sacro quid facit aurum?

Atque illud à Pecuniata signata differt, quæ auro nõ continetur[b]. Nam auro argentóue facto, vasa argentea veniunt, vt paropsides, tabulæ, trullæ, pelues, & his similia[c]. Quare aurum à Festo pro signata pecunia, quæ arcæ Pontificum solueretur nullomodò accipi potest. Quî enim aurum illud, si pro pecunia, in vsu spurco non fuerit, sacrum non fuerit & omni religione solutum? Vellem hoc docuissent nos apertiùs illi, quorum scripta auro puro puto lucidiora, charioráque mihi semper fuerunt.

Quod verò in re mobili Manumissio, in rebus soli, sacrorum Detestatio dicebatur. Detestatio vetus Põtificum verbum est, quam perdoctè Grucchius[d] definit consecrationem omnem, quam publicè Comitiis Curiatis fieri oportebat. Nam detestari sacra, est populo denuntiare, quod quisque consecrari cupit. Vt detestatio in Iure est denuntiatio facta cùm testatione[e]. Lex tribunitia Papyria & Carboniana, vetabat iniussu plebis, ædes, terram, aram consecrare[f]. Quicúmque ergo in Concione testatus non fuerat, se consecraturum: iniussu plebis, sacrum nihil facere poterat. Quare Licinia virgo Vestalis, cùm aram, & ædiculam,

a Seruius 3. Georgic. & 12. Æneid.

Pers. Satyr 2.

b l. cùm aurum & l. Q. Mucius D. de Aur. & arg. leg.

c l & §. argento. D. eod.

d lib 3. de Comit. cap. 2.

e l. 40. D. de verb. sig.

f Cicer. pro dom. su. & 3. de legib.

& ædiculam, & puluinar sub saxo dedicasset. P. Scæuola Pontifex max. respondit *quod in loco publico Licinia licinij filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non videri esse.* Nunc de noua perimendorum sacrorum causa videamus. Dij heredes institui possunt, quos Senatusconsulto & constitutione Principum instituere concessum est[a]. Quæro an illi Dij testatoris sacris sint adstricti? Et sacra quidem illa huiusmodi institutione occidisse certum est: Vt si debitor creditorem instituerit heredem, debiti petitio confusione extingueretur[b]. In his multa sunt de medio iure ciuili, quæ Pontificio duxi coniungenda, à quo ciuilis ipsa scientia originem tradit.

[a] Vlpian. li. reg. tit. Qui hered. Instit. poss.

[b] l. 5. C. de hered. act. l. 1. §. si debitor. D. ad leg. Falcid.

DE ENVPTIONE. QVÆ NOtio Pontificum in causis matrimonij.

CAP. VII.

INTER perimēdorum sacrorum modos, vt conuentionem in manum, sic recipio enuptionem. Adrianus Turnebus[c] quo auspice vtar, rectè definit enubere, extra ordinem genus, aut gentem nubere. Enubere enim è Patribus propriè dicebatur quæ plebeio nupsisset. Canuleius Tribunus pleb. cùm rogationem de connubio patrum & plebis promulgaret[d]. *Si hoc polluit,* inquit, *nobilitatem istam vestram, quam plerique oriundi*

[c] lib. 30. aduers. cap. 25

[d] Liuius li. 4

ex Albanis & Sabinis, non genere nec sanguine, sed per cooptationem patres habetis, aut ab Regibus lecti, aut post reges exactos, iussu populi finceram seruare priuatis consiliis non poteratis, nec ducendo ex plebe, neque vestras filias sororésque enubere sinendo è patribus. Consul contrà cùm Senatum aduersus Tribunumpleb. concitaret, hac vna ratione maximè nitebatur. *Quas quantásque res Canuleïum aggressum? Colluuionem gentium perturbationémque auspiciorum priuatorum publicorúmque adferre. Quam enim aliam vim promiscua connubia habere, nisi vt ferarum propè ritu, vulgentur concubitus plebis patrúmque? Vt qui natus sit, ignoret cuius sanguinis, quorum Sacrorum sit, dimidius patrum sit dimidius plebis.* Quare Virginia Patritia nupta plebeio Lucio Volumnio Consuli, quod è patribus enupsisset, sacris quæ in Sacello pudicitiæ fiebant, prohibita est[a].

a Liuius li. 10.

Hispala Fecenia libertina cùm Bacchicæ coniurationis originem Consuli aperuisset, quam ab Ebutio, cùm quo consueuerat, illa acceperat, magna præmia indicij tulit. Senatusconsultum námque factum est[b], *vti Consul. cùm Tribunis pleb. ageret, vt ad plebem primo quoque tempore ferrent, vt P. Ebutio emerita stipendia essent, ne inuitus militaret, néue Censor ei equum publicum assignaret. Vtique Feceniæ Hispalæ dactio, diminutio gentis enuptio, Tutoris optio item esset, quasi, ei vir testamento dedisset. Vtique ei ingenuo nubere liceret: neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæue esset:* Ea omnia lata ad plebem. De cæterorum indicum impunitate præmiisque Consulibus permissum est. Ebutio præterea & Hispalæ centena millia æris, vt singulis

b Liuius li. 39.

Quæstores vrbani ex ærario darẽt, senatus decreuit. Cætera lege firmari oportuit, quia priuilegia contra leges irrogabantur. Clara sunt quæ Ebutio concessa sunt: Sed quæ Hispalæ, obscura certè, & ex Apollinis tripode requirenda. Quid enim rogationem promulgauit Tribunus pleb. vt Hispalæ datio, diminutio esset? Dationis & diminutionis verbum, sine alterius partis orationis adminiculo, intelligi non potest. Sunt enim ex eorum natura quæ græci dicunt πρός τι, & iungunt sibi illa propter quæ intelliguntur. Dationis enim verbum generale est. Nam dicitur dotis datio, legum datio, datio in adoptionem, in fidem, in solutum. Vt diminutio est capitis, dotis, corporis, legatorum, patrimonij, quæ omnia speciali lege non indigebant. Adrianus Turnebus[a] horum verborum sensum esse putat, vt Senatusconsulto decretum sit Hispalæ ius dandi & diminuendi, quod est de suo peculio largiendi & diminuendarũ fortunarum, quod non videtur fuisse permissum libertinis, viuo patrono. Itaque quamquam eius patronus fato concesserat: vel quia Senatus id ignorabat, vel quia mulierem omni iure conditionéque, conditionis libertinæ liberatam volebat, dationem & diminutionem ei tribuit.

[a] lib 30. aduers. cap. 25.

Vidi ego Liuij Codicem magni Cuiacij, qui hoc loco manu sua adnotauit *datio, diminutio, potestas alienandi.* Intelligo quàm scrupulosus & difficilis sit hic locus, in quo labor ingenij arrogantiæ tribui potest, quæ molestissima est: Cùm tamen in has angustias inciderim, ex illis tanquam è saxosis cotibus enaui-

gare conabor. Hiſpala primùm munificentia P. Ebutium amatorem ſuſtinebat, quæ eò proceſſerat, Liuio teſte, conſuetudine capta, vt poſt patroni mortem, quia in nullius manu erat, Tutore à Tribunis & prætore petito, cùm teſtamentum faceret, vnum Ebutium inſtituerit heredem. Veteri Iure fœminæ poſt duodecimum annum ætatis, teſtamenta facere poſſunt tutore authore, donec in tutela ſunt[a]. Quod ſi mulier teſtamentum feciſſet, quæ ſe capite nunquam minuiſſet: Non videbatur ex edicto Prætoris ſecundùm tabulas poſſeſſio dari[b]. Capite autem minui dicebatur, quæ viri conueniſſet in manum. Quæ igitur nunquam ſe capite minuiſſet, id eſt, quæ in manum viri minimè conueniſſet, ſi non Tutoris authoritate teſtamentum fecerat, nihil agebat. Tutoris enim authoritas neceſſaria fuit ad teſtamenti factionem, aut ſi mulier lege aut iudicio ageret, ſi ſe obligaret, ſi ciuile negotium gereret[c]. Quare cum doti Valeriam, pecuniam ſuam omnem dixiſſe argueret mariti patronus: Reſpondit M. Tullius[d] *nihil iſtorum explicari poſſe, niſi oſtenderet illam in Tutela Flacci non fuiſſe. Si fuit*, inquit, *quæcumque ſine hoc authore dicta dos eſt, nulla eſt.* Ex iis certum eſt quod cum Senatuſconſulto tutoris optio, Hiſpalæ data eſt, fruſtrà liberam illi bonorum ſuorum facultatem tributam viri doctiſſimi putauerunt. Si enim poteſtas alienandi permiſſa eſt, cur poſteà Tutoris optio data & authoritas imaginaria adiecta? Vt igitur Senatuſconſulti mentem aſſequi poſſimus, puto ego Liuij lectionem diſtinguendam, vt eſt in Codice veteri, Claudij Pu-

a Vlpian. lib. Regul. tit. de teſtam.

b Cicer. in Topic. & lib. Boët.

c Vlpian. lib. Regul. tit. de tutorib.

d Cicer. in orat. pro Flacco.

teani Clarissimi Senatoris in Parisiensi Curia, omni genere laudis & doctrinæ commendandi. Codex ille primus Mediolani typis excussus ad fidem manuscripti anno 1480. quem mihi P. Puteanus filius virtutis & eruditionis paternæ heres dignissimus nuper communicauit, sic interpunctam lectionem habet, *vtique Feceniæ Hispalæ datio, diminutio gentis, enuptio.* Enuptionis verbum per se plenum est: Patritia enim enubere dicebatur, quæ plebeio nupsisset. Rectè igitur dictio illa *Gentis* ad dationem & diminutionem refertur.

Iam quid sit dare gentem, aut gentem diminuere quærendum est. Dare gentem dicimus vt dare ciuitatem, dare connubium. Libertini patrem habuisse non putabantur, cum Seruilis cognatio nulla esset, gens nulla, nulla sacra. Nec verò serui solùm sed etiã libertini ab iis oriundi gentem non habuerunt: verùm ij soli quorum parentes nemini seruierunt. Hispalæ ergò data gens, id est, ius gentilitatis concessum, quasi ab ingenuis esset oriunda, maioréque nunquam seruitutem seruiuissent, aut capite minuti essent, patrémque & auum illa cire posset. Si Vindicio seruo, indicij præmium libertas, & Ciuitas data[a]: Hispalæ Libertinæ ingenuitas concedi potuit iure singulari; vt desineret esse libertina. Quod igitur sub principibus aureorum annulorũ ius & natalium restitutio dicebatur[b], Stante Rep. gentis datio erat. Cuius diminutio fuit gentis mutatio, quæ diminutio capitis minima appellatur. Hæc fiebat aut adoptione, aut in manum conuentione[c]. Gens adoptione

[a] Liuius li. 2

[b] l. 2. D. de natalib. rest.

[c] Vlpian. lib. Regul. tit. de tutel.

amittebatur, si plebeius Patricium adoptasset: hic enim è Patritiis exibat. Ex quo minuere gentem est
a Cicer. pro dom. sua. de gentis dignitate aliquid detrahere[a]. Vt cùm gentem Patritiam populus Rom. Hispalæ dedisset, permisit illi vt plebeio se in adoptionē dare posset quod
b ad Reg. Vlpian. tit. de adopt. singulare ius aliud fuit. Docet magnus Cuiacius[b], fœminas sui iuris legibus Rom. non arrogari, ea fretus ratione, quod nullam cùm fœminis Comitiorum communionem fuisse credat. Hispalæ exemplum hanc opinionem euertit, cui repugnat textus Vlpiani, quem notis suis vir doctissimus illustrauit. Nam fœminæ quidem non adrogant (emendauit Cuiacius non arrogantur) quia liberos in potestate non habent. Ratio legis perspicua, quæ minus apta esset, si legeretur cùm Cuiacio, non arrogantur. Nec enim fœminæ non arrogarentur, quia liberos in potestate non habent, alioqui omnes qui arrogarentur, liberos deberent in potestate habere, quod dici non potest. Vt nulla lege vetitum, quin fœminæ possent arrogari: Etenim quod illæ sub principibus
c l. nam & fœminæ. D. de adopt. rescripto arrogabantur[c], non probat stante Repub. ad Curiatis Comitiis fieri non potuisse. Sic Liuia coniux Augusti de gente Claudia, in Liuiam primum, mox in Iuliam adoptionibus transiuit[d]. Capitis diminutio quæ conuentione in manum contingebat, Sacra quidem mulieris perimebat, sed nihil derogabat genti, nisi enuptio secuta esset.
d Tacit. li. 6. Annal.

Diuisio populi Romani ita à Romulo facta est,
e Dionys li. 2. vt ingenui Patritij essent aut plebeij[e], quorum diuersa gens esset. Qui ex duobus ingenuis ortus erat

gentem habebat. Ingenui enim non dicebantur priſcis temporibus libertinorum filij, qui libertini ipſi vocabantur[a]. Sed ex his procreati ingenuorum ſibi nomen vendicabant. Libertini verò plebis iura ſimul cùm Ciuitatis adeptione impetrabant. At patritia iura, niſi lege nominatim ad populum lata, nemo potuit adipiſci. Libertini tamen Patritij, Patronorum gentiles dicebantur. Quorum nomen aſſumebant. Inſcriptio Vetus hoc probat.

[a] Sueton. in Claud. cap. 24.

LARIBVS
PRO. SALVTE. ET. INCOLV
MITATE. DOMVS
Q. SERTORII
COMPITALIB. LVDOS
ET. EPVLVM. VICINEIS
IVN. DONACE. DO
MESTICA. EIIVS. ET
Q. SERTORIVS. HERMES
Q. SERTORIVS. CEPHALO
Q. SERTORIVS. ANTEROS
LIBERTEI

106. 13.

Hi vt inter Patritios numerarentur, lege Curiata opus fuit, quæ verè gentem daret. Gens illa minuebatur enuptione, quæ propriè patritiarum fuit. Nam ſi plebeia patritio, aut libertina ingenuo nuptiis iuncta eſſet, gentem illæ non minuebant, ſed augebant. Si verò patritia plebeio, enupſiſſe dicebatur, hoc eſt, genti derogaſſe. Hanc enuptionem Patritiarum ſo-

lùm fuisse, ideóque Hispalam lege curiata Patritiam factam & gentem habuisse, ex Liuio facilè est comprobare. Nam apud authores alios vix inuenire est enuptionis verbum. An antiquitatis incuria, vel librariorum errore incertum est: hoc certum tamen in multis locis reponendum esse, vt in oratione D. Marci[a], qua cauetur, vt si Senatoris filia, libertino nupsisset, nec nuptiæ essent, lego audacter *enupsisset*. Tacitus[b] dicit denubere. *Tot luctibus*, inquit, *mœsta ciuitate, pars mœroris fuit, quod Iulia Drusi filia, quondam Neronis vxor, denupsit in domum Rubellij Blandi, cuius auum Tiburtem, equitem Rom. plerique meminerant.* Sic Pithagoræ Neronem denupsisse idem author scripsit[c], turpitudinem rei, antiquo verbo denotante. Gentis igitur datio, enuptione probatur, nec enim Hispala enupsisset, si libertina & plebeia remansisset.

a l. oratione D. de ritu nupt.

b lib. 6. Annal.

c lib. 15. Annal.

Quæri tamen potest, quid Curiata lex Hispalæ necessaria fuit ad enuptionem, cum Canuleia olim promulgata esset, de connubio patrum & plebis? Nihil tam naturale, dicebat Vlpianus, quàm eo genere quidque dissoluere quo colligatum est. Patritia facta fuit Hispala lege Curiata: Eadem lege è Patritiis exire illi permitti debuit. Priuilegia enim strictè accipienda sunt: & nisi nominatim enuptio concessa esset, in manum plebeij conuenire Hispala non potuisset.

Tutoris optio restat lege XII. Tab. & iure Ciuili non recepta, quibus Tutor incertus testamento dari non potest[d]. Hispalæ tutor legitimus ex lege Attilia à Tri-

d tot. tit. D. de testament. tut.

à Tribunorum plebis maiore parte ex Prætore datus erat, qui, vt dicebat. Verres, pupillæ certissima præda[a]. Illa iam quasi testamẽtarium & à seipsa electum habet beneficio plebis. Hac optione data, mulier in tutela sua erat, vel tutor ille potestate mulieris continebatur. Quod in Seruio Sulpitio M. Tullius meritò ridebat[b]. *Nam cùm multa*, inquit, *præclarè legibus essent constituta, à Iurisconsultorum ingeniis pleráque corrupta & deprauata sunt. Mulieres omnes propter infirmitatem consilij, in tutorum potestate esse voluerunt: Hi inuenerunt genera Tutorum, qui potestate mulierum continerentur.* Quæ proculdubio de optione testamento relicta intelligi debent. Verba Liuij sequentia *vtique ingenuo ei nubere liceret, neu quid ei qui eam duxisset, ob id fraudi ignominiæue esset*, superflua videri possent, cùm datio gentis & enuptio illud complectatur. Sed in legibus ferendis expressa aut repetita nihil nocere obseruant iuris authores: quæ omissa vel non scripta difficultatem mouere possent. Quamquam hæc vltima verba ad caput aliquod legis possint referri: In omnibus enim legibus proëmium fuit, caput & sanctio, quæ multam repetitionem continebant.

[a] Cic. 6. act. in Verrem.

[b] Cicer. pro Muren.

Ad nuptias transeamus quæ diuini & humani iuris communicationem habent, si secundum sacras leges fuissent contractæ[c]. Nam sacræ nuptiæ ἱεροὶ γάμοι[d] sacris ceremoniis confirmatæ, confarreatione fiebant aut coëmptione & in manum conuentione, qua mulier transibat in mariti sacra. Quæ enim vsu dicebatur vxor, in ea nihil maritus præter corporis habuit vsuram, parúmque illa à cõcubina differebat,

[c] l. 1. D. de rit. nupt.

[d] Dionys. lib. 2.

cùm nullam haberet cùm viro sacrorum aut bonorum societatem[a]. Confarreatio autem & coëmptio, quæ per æs & libram fiebat, alius fuit perimendorum sacrorum modus.

[a] l.144. D. de verb.sig.

Iam verò quæ notio Pontificum in causis matrimonij fuerit, paucis euoluamus. Titulus est Digestorum *de Ritu nuptiarũ*, qui sanctimoniam illarum, ceremoniámque declarat. Ritus enim sacrorum verbum est, qui Pontificum hac in re firmat notionem. Illi, licet per ludibrium, in nuptiis Augusti & Liuiæ consulti[b], an concepto nec dum edito partu Liuia Neronis vxor ritè nuberet, responderunt si quidem dubitaretur, ex quo concepisset, opus esse nuptias differri: Si constaret, nihil impedimento esse, quin statim fierent. Quasi nulla turbatio sanguinis esset, vt nec in ea muliere, quæ intra legitimum tempus partum ediderat, quæ statim poterat nouis se nuptiis collocare[c]. A Principe tandem impetrari solebat, vt intra legitimum tempus nubere liceret[d]: quod credo, si ex quo concepisset mulier, compertum esset. Quæ propriè Pontificum notio fuit, vt de partu legitimo, in quibusdam matrimonij causis. Quare D. Pius rescripsit[e] Pontificibus, eum qui centesimo & octogesimo secundo die natus esset, iusto tempore videri natum. Rescribere princeps dicitur ad epistolas, per quas Prætores aut ij qui Iurisdictioni præerant, illum de re aliqua dubia consulebant[f]. Quod Pontifices fecerunt, qui sine principe maximo Pontifice, non poterant de re vlla dubia iudicare. Principis ergo rescriptum Pontificum arguit hac

[b] Tacit.li.1. Annal. Dio.lib.48.

[c] l.liberorũ. §.& si cùm seq. D. de his qui not. infam.

[d] l.solet.D. eod.

[e] l.3.§.fin. D. de su. & legit.

[f] l.Diuus D. de Restit in integ.

in re notionem, vt scilicet iudicarent ij, an qui hoc tempore natus esset, id est, initio septimi mensis, perfectus & legitimus partus haberetur, vt sacrorũ esset capax. Cùm enim mater ab eo tempore esset manumissa, dubitarunt Pontifices an partus in seruitute conceptus esset, quæ nulla habebat sacra. Quod Iustinianus posteà definiuit[a]: *Sufficit*, inquit, *liberam fuisse matrem, eo tempore quo nascitur, licet ancilla conceperit.* Nam in patre tempus vnum conceptionis considerabatur: In matre vetus prudentia editionis tempus spectabat[b]: Cætera hereditatis quæstio ad Prætoris iurisdictionem pertinebat. Sic L. Papyrius Prætor secundo herede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedit, cùm mater partum se tredecim mensium tulisse affirmasset[c].

[a] §. sed & si. Inst. de ingenu.

[b] l. fin. D. de sent. pass.

[c] Plin. lib. 7. cap. 5.

Cæterùm licet nuptiarum vota, sanctitas, ritus, sacra, religionem demonstrent, culpáque inter viros & fœminas graui nomine læsarum religionum ab Augusto sit appellata[d]: Cognitio Pontificum in nuptiarum controuersiis, non vltra progressa est, quàm ad ea quæ religione ceremoniisque terminantur, ita quæ sunt nefariæ nuptiæ ex Pontificio iure dignoscitur, quarum crimen legibus ciuilibus vindicatur[e]. Et quoniam adfinitatis ratione à quarundum nuptiis abstinendum est, vt si quæ per adoptionem filia esse cœperit, patris adoptiui connubio iungi non potest[f], vt nec iis qui in familia eius sunt, propterea non cognationis solum, sed adfinitatis etiam Pontifices iura tenuerunt. Quod Modestinus Iurisconsultus innuit[g]. *Non facile*, inquit, *quòd ad nostrum ius attinet*

[d] Tacit. 3. Annal.

[e] Ascon. 3. Verrem.

[f] l. qui in adoptionẽ. D. de adop.

[g] l. 4. D. de grad. affini.

cum de cognatione quæritur, ſeptimum gradum, quis excedit. Noſtrum ius dixit & rectè, aliud ius eſſe demonſtrãs, quod eſt Pontificium. Quod Paulus apertiùs explicare videtur[a]. *Iuriſconſultus*, inquit, *cognationum gradus & adfinium noſſe debet, quia legibus hereditates & tutelæ, ad proximum quemque agnatum redire cõſueuerunt. Quomodò ergò gradus adfinitatis vel cognationis numerentur, hoc noſtra intereſt ſcire, propter bonorum ſcilicet poſſeſſionem, vel tutelæ dationem.* Omnis ergo Iuriſconſultorum cognitio de gradibus adfinitatis & cognationis, in eo conſiſtit, vt ad hereditates & tutelas referatur.

[a] l. Iuriſcõſ. D. eod.

Quas autem fas fuerit duci, quas nefas matrimonio copulare, Pontificum notio fuit. Licet Senatus aliquando hanc ſibi cognitionem arrogarit[b], cùm nuptias inter patruos fratrúmque filias permiſit, poſt Claudij cùm Agripina connubium, de quo nihil ad Pontifices reiecit. Quod fœdæ adulationi & temporum infelicitati tribuendum magis eſt, quàm Senatus authoritati, quæ tũ nulla. Præterea vt inceſti perſecutio ad iudices, ita illius procuratio ad Pontifices pertinebat[c]. Silani exemplum, hoc nos monet, qui inceſti accuſatus, ipſo Claudij cùm Agripina nuptiarum die, cùm mortem ſibi conſciuiſſet, Caluina ſoror Italia pulſa eſt: Addidit Princeps ſacra ex lege Tulli regis apud lucum Dianæ per Pontifices danda: irridentibus cunctis, quod pœnæ procurationéſque inceſti, id temporis exquirerentur à Claudio, qui ſuam ipſe culpam tali piaculo luëre debuiſſet.

[b] Tacit. 12. Annal.

[c] Tacit. eod. lib.

DE IVRISDICTIONE PONTIficum in testamentorum executione.

CAP. VIII.

DIXIMVS de testamento per æs & libram & quid illud conferret ad Sacrorum peremptionem. Alia præterea de testamentis notio Pontificum fuit, qui sua authoritate compellebant hæredem, ad obsequium supremæ voluntatis. Hoc Papinianus [a] apertè docet. *Cùm defuncto*, inquit, *monumentum conditionis implendæ gratia, bonæ fidei possessor feciſſet, cui postea hereditas auferretur, impensas ille aut doli exceptione retinebat, aut negotiorũ gestorum actione repetebat. Quamuis enim stricto iure, nulla tenerentur actione heredes, ad monumentum faciendum, tamen principali vel Pontificali authoritate cogebantur, defuncti adimplere voluntatem.* Quod ad cætera omnia quæ monumentorum religionem tangunt, aut pias causas, ex mente legis traduci potest. Vt si testator scripsisset testamento.

[a] l. hereditas. §. 1. D. de petit. hered.

HI. HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT CINERIBVS. SERVIANT. MEIS
NAM. CVRATORES. SVBSTITVAM QVI. VESCANTVR
EX. HORVM. HORTORVM. REDITV NATALI. MEO
ET. PRÆBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM HOS. NEQVE. DIVIDI
NEQVE. ALIENARI. VOLO

636. 12.

Pontifices ad legati præſtationem compellent heredem, vt in aliis ad pias cauſas legatis præcipua illorum authoritas fuit. Vt ſi Deus aliquis ex parte inſtitutus heres eſſet: vel ſi cui Deo legatum eſſet relictum, Si Sacræ ædi., Si Sacerdotibus veluti ſodalibus Auguſtalibus, aliiſue Deorum miniſtris: Pontificum iudicio omnia ad effectum producebantur. His de rebus innumeræ ſunt Inſcriptiones veterum ex quibus duas tantùm ſelegi, cum aliæ ab ipſo fonte hauriri poſſint. Vna eſt Salerni prope Neapolim

94. II. T. TETTIENVS. FELIX. AVGVSTALIS
SCRIBA. LIBRAR. ÆDIL. CVRVL
VIATOR. ÆDIL. PLEBIS. ACCENSVS
CONSVLI. H-S. L. M. N. LEGAVIT
AD. EXORNANDAM. ÆDEM. POMONIS
EX. QVA. SVMMA. FACTVM. EST. FASTIGIVM
INAVRATVM. PODIVM. PAVIMENTA. MARM. OPVS
TECTORIVM

Altera eſt Strongyli.

KAPVT. EX. TESTAMENTO. M. MEGONII M. F. COR. LEONIS

HOC. AMPLIVS. R. P. PETILINORVM. DARI. VO 215.2.
LO. H-S. X. N. ITEM VINEAM. CHALCIDIANAM
CVM. PARTEM. FVNDI. POMPEIANI. EA. VTI
OPTIMA. MAXIMAQVE. SVNT. FINIBVS. SVIS. QVA
MEA. FVERVNT. VOLO. AVTEM. EX. VSVRIS. SE
MISSIBVS. H-S. X. N. COMPARARI AVGVSTALIVM
LOCI. N. AD. INSTRVMENTVM. TRICLINIORVM
DVVM QVOD. EIS. ME. VIBO. TRADIDI. CAN
DELABRA. ET. LVCERNAS. BILYCHNEIS ARBI
TRIO. AVGVSTALIVM. QVO. FACILIVS. STRATI.
IVS. PVB. OBIRE POSSINT. QVOD. IPSVM. AD. VTI
LITATEM. REIP. N. PERTINERE. EXISTIMAVI
FACILIVS. SVBITVRIS. ONVS. AVGVSTALITATIS
DVM. HOC. COMMODVM ANTE. OCVLOS. HABENT
CÆTERVM. AVTEM. TEMPORVM. VSVRAS. SEMISSES
H-S. X. N. AD. INSTRVMENTVM. AVGVSTALIVM
ARBITRIO. IPSORVM ESSE. VOLO. QVO. FACI
LIVS. MVNVS. MEVM. PERPETVVM. CONSERVARE
POSSINT. NEQVE. IN. ALIOS. VSVS. VSVRAS. QVAS
ITA. A. REP. ACCEPERINT TRANSFERRI. VOLO
QVAM. SI. NECESSE. FVERIT. IN. PASTINATIONEM
VINEAMQVE. QVÆ. Q. CVM. PARTE. FVNDI. POM
PEIANI. SIC. VT. SVPRA DIXI. HOC. AMPLIVS. AV
GVSTALIBVS. LOCI. ICCIRCO. DARI. VOLO. QVÆ
EST. AMINEA. VT. SI. COGITATIONI. MEÆ. QVA
PROSPEXISSENT VTILITATIBVS. NOSTRIS. CRE
DO. CONSENSERITIS. VINVM. VSIBVS. VESTRIS

DVMTAXAT. DVM. PVBLICE. EPVLAS. EXERCE BITIS. HABERE POSSITIS. HOC. AVTEM. NOMI NE. RELEVATI. IMPENDIS. FACILIVS PROSPE CTVRI. HI. QVI. AD. MVNVS. AVGVSTALITATIS COMPELLENTVR LOCATIO. VINEÆ. PARTIS. FVN DI. POMPEIANI. EAM. COLERE. POTERINT HÆC. ITA. VT. CAVI. FIERI. PRÆSTARIQVE. VOLO HOC. AMPLIVS. AB HEREDIBVS. MEIS. VOLO PRÆSTARI. REIP. PETILINORVM. ET. A. REP PETILINORVM. CORPORI. AVGVSTALIVM. EX PRÆDIS. CÆTERIS. MEIS PALVM. DICARE. OM NIBVS. ANNIS. SVFFICIENS. PEDATVRAE. VINEÆ QVAM. AVGVSTALIBVS. LEGAVI. A. VOBIS. AV TEM. AVGVSTALES. PETO HANC. VOLVNTATEM MEAM. RATAM. HABEATIS. ET. VT. PERPETVAM FIRMAM. OBSERVETIS. CVRAE. VESTRAE. MANDE TIS. QVO. FACILIVS NOTA. SIT. CORPORI. VE STRO. HÆC. ERGA. VOS. VOLVNTAS TVLI. L. KA PVT. QVOD. AD. VESTRVM. HONOREM. PERTINET

Non mei eſt operis inſcriptiones omnes interpretari, quæ opus integrum deſiderant. Si quid tamen eſt in iis, quod ad noſtrum inſtitutum faciat, non prætermittam. Vt ſi quod mendum, lubens tollam, quale eſt quod in hac inſcriptione notatur, in qua *Palum dicare omnibus annis, ſufficiens*, nullum ſenſum habet. Legendum cenſeo *Palum ridicámue*. Robuſtum enim vineæ pedamentum, ridica: Sed palus è pertica diuturnior, vtrumque pedandæ vineæ idoneum[a]. Ridenda quidem hæc ſunt: Sed ridendo dicere verum, quid vetat?

[a] Varro. li. 1 de re ruſt. cap. 8.

TRANS-

TRANSLATIO RELIQVIARVM

sine Pontificum permissu fieri non potuit. Quod ex iusta causa Præsides in Prouinciis concesserunt. Arbitria funeris. Reficere monumentum sine authoritate Pontificum non licebat.

CAP. IX.

QVÆ ad monumenta pertinent, & Pontificum in iis Iurisdictionem, locus monet, vt ea huic capiti inseramus. Eruam illa primùm ex prudentum responsis. *Ossa,* inquit Vlpianus [a], *quæ ab alio illata sunt, an liceat domino loci effodere vel eruere, sine decreto Pontificum seu iussu Principis, quæstionis est. Et ait Labeo expectandum esse permissum Pontificalem, seu iussionem Principis, alioqui iniuriarum fore actionem, aduersus eum qui ciecerit. Sed non perpetuæ sepulturæ tradita corpora posse transferri, edicto D. Seueri continetur* [b], *quo mandatur ne corpora detinerentur aut vexarentur, aut prohiberentur per territoria Oppidorum transferri.* D. tamen Marcus rescripsit, nullam pœnam meruisse eos, qui corpus in itinere defuncti per vicos aut Oppida transuexerunt: quamuis talia fieri sine permissu eorum, quibus permittendi ius est, non debeant. Prima legis virtus est permittere, quæ hãc potestatem Magistratui concedit & Principi. Sic dicimus permissum Imperatoris, permissum Prætoris [c]. Atque hic permittit bonorum possessionẽ, quæ

[a] l. ossa. D. de religios.

[b] l. 3. §. non perpetuæ. D. de sepulchr. violat.

[c] l. 4. §. 1. D. de in ius voc. l. cùm legati. D. quib. ex caus. in possess. eatur.

est mixti imperij, illud enim in danda bonorum pos-
[a] l. 1. D. de Iurisdict. sessione consistit, & iurisdictio est[a]; Permissus igitur Pontificum iurisdictionis est, quam tamen euertere videtur Prætoris edictum de sepulchro violato: interdictum prohibitorium de mortuo inferendo, de sepulchro ædificando vel reficiendo. Arbitratur vir eleganti iuris ciuilis doctrina perpolitus, non ordinem certum his rebus adhibitum, sed Promiscuam facultatem Pontificibus & Prætoribus concessam, quod rationem aliquam habet. Nam ex Papiniano superiore capite didicemus, Pontificali authoritate compelli heredem, ad obsequium supremæ voluntatis, cum de monumenti sumptibus ageretur, qui tamen Prætoris hac de re iudicium videtur comprobare. Hunc Vlpianus sequitur, qui familiæ erciscundæ dat actionem, vt monumentum fiat, quod testa-
[b] l. qui alienam. §. libertos. D. de neg gest. tor fieri iussit[b]. Si quid veniæ coniecturæ dandum est, hãc à vero non alienam putarem, & si verè aberramus, bonum factum, si quis mihi erranti comiter monstrat viam. In sepulchri violati actione, si pœna peteretur, cessabat Pontificum iurisdictio. Nam pœnæ erogatio Iurisdictionis non est, sed legis. At Pontifices religionis sunt iudices: legis Senatus. Sed quid de pœna à testatore imposita, quæ in veteribus monumentis plerúmque scripta est? Romæ

765. 5. HOC. MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE. NOSTRO EXIAT QVI. EXTERVM. INDVCERE. VOLVERIT POENÆ NOMINE. INFERET. ARCÆ. PONTIFICVM H. S. L. M. N

Ex hoc testamento pœnæ petitio nascitur, pro qua apud Prætorem experiri Pontifices debent, nec enim possunt sibi ipsis iudicium dicere. Iam verò reliquiarum translationem prosequamur, quæ permissu Pontificum fieri debuit. Transferre reliquias dixit Varrò funus commouere [a]. In inscriptionibus traiectæ leguntur, quæ trans mare adueherentur. Romæ

[a] Apud Nonium. in verb. patritum.

RELIQVIAE. TRAIECTAE. III. NON. FEBR 578. r.
EX. PERMISSV. COLLEGII. PONTIFICVM
PIACVLO. FACTO.

De iussu vel indulgentia principis

D. M
M. VLPIO. AVG. LIB
HERMIAE 594. r.
PROC. AVRARIARVM
CVIVS. RELIQVIAE. EX
INDVLGENTIA. AVG. N
ROMAN. LATAE. SVNT

Solebat enim reliquiarum translatio, à principe peteretur, libello dato impetrari: Cuius exemplum ex veteri lapide habeo, quod hoc loco omittere nec debeo nec possum.

EXEMPLVM. LIBELLI. DATI

207.1. CVM. ANTE. HOS. DIES. CONIVGEM. ET. FILIVM AMISERIM. ET PRESSVS. NECESSITATE. CORPORA. EORVM. FICTILI. SARCOPHAGO COMMENDAVERIM. DONIQVIES. LOCVS. QVEM. EMERAM AEDIFICARETVR. VIA. FLAMINIA. INTER. MILIAR. II. ET. III. EVNTIBVS. AB VRBE. PARTE LÆVA. CVSTODIA. MONVMENTI. FLA. THVMELES. A MESOLO. M. SELI. ORCILI. ROGO. DOMINE. PERMITTAS. MIHI. IN EODEM. LOCO. IN. MARMOREO. SARCOPHAGO. QVEM. MIHI. MODO COMPARAVI. EA. CORPORA. COLLIGERE. VT QVANDONE. EGO. ESSE DESIER. PARITER. CVM EIS. PONAR

FERETRVM. FIERI. PLACET. IVBENTIVS. CELSVS. PROMAGISTER SVBSCRIPSI. III. NON. NOVEMB ANTIO. POLLIONE. ET. OPIMIANO COS. ORDINARIS. SEVERO. ET. SABINIANO. COS

Lolliæ Paullinæ cineres reportari, ſepulchrúmque
[a] Tacit. 14. Annal. inſtrui permiſit Nero: Quod vt Pontifex max. fecit[a], vt cæteri ab illo principes, vt Plinij epiſtolæ teſtantur. PLINIVS TRAIANO.[b] *Petentibus quibuſdam vt reliquias ſuorum, aut propter iniuriam vetuſtatis, aut propter fluminum incurſum, aliáque his ſimilia quæcúmque, ſecundum exemplum Proconſulum transferre permitterem: quia ſciebam in vrbe noſtra ex eiuſmodi cauſis Collegium Pontificum adiri ſolere: te domine, max. Pontificem conſulendum putaui, quid obſeruare me velis.* TRAIANVS. PLINIO.

[b] lib. 10.

Durum est iniungere necessitatem Prouincialibus Pontificum adeundorum, si reliquias suorum, propter aliquas iustas causas, transferre ex loco in alium locum velint. Sequenda igitur tibi exempla sunt eorum, qui isti prouinciæ præfuerunt, & ex causa cuique permittendum aut negandum. Quæ faciunt ad verborum interpretationem quæ in lege habentur, *sine permissu eorum quibus permittendi ius est.* Quæ quidem de Proconsulibus aut Præsidibus Prouinciarum in suis Prouinciis accipi debent. Quod à Paulo Iurisconsulto[a] animaduersum, *ob incursum,* inquit, *fluminis vel metum, non perpetuæ sepulturæ tradita corpora sollemnibus sacrificiis reddita, per noctem in alium locum transferri possunt.* Quod intellige, cùm permissu eorum, quibus permittendi ius est. Et quod Paulus dicit *sollemnibus sacrificiis*, in inscriptionibus est *Piaculo facto.*

[a] lib. 1. sent. tit. de sepulchr.

De Sedati Rhetoris corporis translatione Burdigalam, elegans Ausonij[b] epigramma.

[b] De professorib. 20.

Quamuis externa tamen à regione reducit
Te patria, & ciuem morte obita repetit
Cúmque vagantem operam diuisæ impenderis vrbi
Arbitrium de te sumit origo suum.

Postrema poëtæ verba, sic in suis lectionibus doctissimus Scaliger intelligit, quasi in reliquiarum translatione arbitri capiendi fuerint, vt ex permissu Pontificum ossa exportarentur. Sed huiusmodi arbitros antiquitas ignorauit, & loquitur Ausonius de arbitriis funeris quæ sunt, honoraria, impensæ, pretium, ordinatio funeris. M. Tullium authorem sequor[c]. *Videte,* inquit, *prætextatos inimicos, nondum morte com-*

[c] Cicer. pro dom. sua.

plorata arbitria petentes funeris. Quod igitur ſcribit Auſonius arbitrium ſumit origo ſuum, oſtendit Sedatum rhetorem impẽſa publica elatum & ſepultum: vt in inſcriptionibus paſſim videre eſt multos, quibus impenſa funeris & locus ſepulturæ, publicè decretus eſt. Tacitus vocat mortis arbitrium [a], quod tamen variam habet ſignificationem. Nam arbitrium quandoque pro electo genere mortis accipitur. Aliquando pro eo quod ad funeris pompam pertinet, vel eo quod quis poſt mortem ſuam fieri velit. Ex conſtitutione Diuorum fratrum [b], Præſides liberam mortis facultatem concedendi ius habuerunt, qui antea ſi datum illis eſſet ius gladij, non poterant vitam aliter adimere quàm gladio, non fuſtibus, non ſecuri. Hoc principi primùm competebat, vt arbitria mortis multis permiſit Nero, quorum vitam quomodocúmque finiri iuſſit. At idem monſtrum iſtud hominis, inter tot impuriſſimæ vitæ portenta Plautio Laterano Conſuli deſignato [c], non complecti liberos, non illud breue mortis arbitrium conceſſit: Sed raptus ille in locum pœnis ſeruilibus ſepoſitum, manu Tribuni trucidatur. Aliam vim habet hoc verbum arbitrium apud ipſum Tacitum [d]. *L. Vetus*, inquit, *ſocrúſque eius Sextia & Pollucia necem ſubiere: ferro, eodem in cubiculo, abſcindentes venas. Accuſati poſt ſepulturam, decretúmque vt more maiorum punirentur, & Nero interceſſit mortẽ ſine arbitrio permittens.* Qui accuſati fuerunt poſt L. Veteris ſepulturã, ex ſequentibus Taciti verbis conſtat eos eſſe qui illis veteri aliqua neceſſitate iũcti eſſent. Fruſtra etenim mortuis Nero

[a] Tacit. 15. Annal.

[b] l. aut damnum §. 1. D. de pœn.

[c] Tacit. lib. 15 Annal.

[d] Tacit lib. 16. Annal.

mortem permisisset, & post sepulturam, arbitrium. Quid verò sit mortem sine arbitrio permittere, à multis dubitatum qui receptam Taciti lectionem reiecerunt. P. Faber vir ille præstantissimus, quo, in omnibus rebus literariis quæ in controuersiam veniunt, arbitro alioquin vterer, emendabat: *mortem suo arbitrio*. Hunc æmulatus Lipsius legit, *mortem sine arbitrio*, & adfirmat eam Taciti scripturam esse. Ego vero constanter pernego tueórque vulgatam, *mortem* enim *sine arbitrio permisit Nero*: Id est, sine honorarijs, sine ordinatione, sine pompa funeris, sine testamẽto. Tacitum aduoco lectionis suæ adsertorem. Ille idem[a]. *Damnati, publicatis bonis sepultura prohibebantur. Eorum qui de se statuebant, humabantur corpora, manebant testamenta, pretium festinandi.* Manebant ergò testamenta, id est, arbitria. Nam arbitrium pro testamento in iure vsurpari nemo aliquantum eruditus ignorat[b]. Quod pro funeris pompa Horatius vsurpauit[c].

[a] lib. 6. Annal.

[b] l. 3. & 5. C. Theod. de testam.

[c] lib. 4. Carmin. od. 7.

Cum semel occideris, & de te splendida Minos
Fecerit arbitria.

Quod malè interpres intellexit: Cùm de te Minos splendidè indicauerit. Nam splendide dicere legimus: iudicare splendidè, nec latinum est, nec vsitatum.

Sed capitis huius reliquias colligamus: quas sine decreto Pontificum Romæ, priuati transferre non solebant. Faceſſit tamẽ hac in re negotium Tacitus[d]. *Obiit*, inquit, *L. Antonius. Hunc admodum adolescentulum sororis nepotem sepositi Augustus in ciuitatem*

[d] lib. 4. Annal.

Maſsilienſem, vbi ſpecie ſtudiorum nomen exilij tegeretur. Habitus tamen ſupremus honor, oſsáque tumulo Octauiorum inlata per decretum Senatus. Quod quidem vt credi debet, non euertit Pontificum permiſſum, ſed meminit ſolùm Tacitus Senatuſconſulti, quod in honorem L. Antonij factum eſſet. Permiſſus autem Pontificum honori non datur, ſed funeri aut neceſſitati: Senatúſque ita ſemper Pontificum conſuluit dignitati, vt reliquias mortui ſine illorum permiſſu aut monitu non cenſuerit transferendas vel eruendas. Vt cum M. Oppium populus Rom. in campo Martio ſepeliſſet, plebíſque ſtudium indignè Senatus ferret: Oſſa Oppij, Pontificum monitu, tanquam in loco ſacro non rite poſita, inde remota ſunt [a].

[a] Dio li. 48

De iure etiam Pontificum fuit, vt monumentum reficere non liceret, ſine illorum decreto. Vetus lapis Romæ.

§. 8. 4.

T. ÆLIVS. SENTINIANVS. PETIT. A. PONTIFICES. VT. SIBI. PERMITTERENT REFICERE. N. MONVMENTVM IVRIS. SVI

Corruptum tamen & lapſum reficere licebat, corporibus non contactis [b]. Qua ratione motus Germanicus cùm tumulum varianis nuper legionibus conſtructum, & veterem aram Druſo ſitam, diſiectam inueniſſet: reſtituit aram, tumulum iterare haud viſum [c]. Tumulum enim ſine decreto Pontificum vel iuſſu Tyberij principis & Pontificis max. non licebat

[b] l. ſepulchri D. de ſepulchr. violat.

[c] Tacit. li. 2. Annal.

bat reficere, cui minus grata extructio, prima tumuli fuerat[a]. Monumentum ergo facere, vnicuique liberum fuit: reficere sine Pontificum permissu, fas non fuit. Nec potuit salua maiestate Tiberij, Germanicus suo arbitratu tumulum disiectum instaurare, ne contempta principis authoritas videretur. Quare Vlpianus[b] rectè. *Si in eo monumento quod imperfectum esse dicitur, Reliquiæ hominis conditæ sunt: nihil impedit quo minus id perficiatur. Sed si Religiosus locus iam factus sit; Pontifices explorare debent, quatenus salua religione desiderio reficiendi operis, medendum sit.*

[a] Tacit. 1. Annal.

[b] l. fin. D. de mort. infet.

PROVOCATIO A PONTIFICE max. ad populum. Pontifices à Tribunis plebis criminati, quod malè iudicassent. De Vestalibus denuo iudicatum à selecto iudice. L. Cassio.

CAP. X.

MVLTA sunt præterea quæ de Pontificum notione tractari possent. Vt quo ritu funesta desinat esse familia: qua religione monumẽta: quo ritu res sacræ fiant. Quæ omnia amplius explicabimus in libris sequentibus de sacris & iure Manium. De prouocatione breuiter hic quædam sunt attingenda. Nam quoties à Pontifice max. mulcta alicui dicta est, toties prouocatum

ad populum reperio, illúmque suffragia Tributis Comitiis dedisse. De capitis iudiciis dubitatum. Lex Valeria de prouocatione in omnibus capitis iudiciis locum habuit[a]. Lex Porcia, à P. Læca lata, prouocationem firmauit, vt ex veteris nummi imagine notatur.

[a] Liuius li. 2. & l. 2. 5. exactis. D. de orig. iur.

An leges illæ in Vestalium iudiciis seruatæ sint, vt à Pontificum collegio damnatæ, prouocatione certare possent, & virgas à corpore amouere: ex iis quæ supra diximus colligi potest, quod de iure virgarum Pontificum fuerit iudicium. Nam & Vestales à Pontifice max. virgis ob negligentiam cæsas, & illarum stupratores virgis in Comitio necatos, certi & explorati iuris est. De prouocatione, vt apertè aliquid tradere possumus altius repetenda esset iudiciorum ratio, quam paucis explicare conabor.

Duæ igitur libertatis vindices leges illæ Valeria & Porcia, aliis legibus Sempronia & Aurelia sunt antiquatæ. Primis Reip. temporibus cùm de capite ciuis ageretur, apud populum causa tractabatur qui suffragiis suis reum damnabat vel absoluebat. At post

constitutas quæstiones perpetuas quæ nihil aliud sunt quàm forma quædã lege præscripta iudicij perpetuò de re aliqua exercendi, noua semper lege opus non fuit. Quare quæstiones perpetuæ primùm quatuor introductæ; repetundarum, ambitus, maiestatis, peculatus[a]. Si noua alia crimina emergerent, noua lege opus erat, vt de illis quæreretur. Quod minus frequentari cœpit post Sullæ tempora, à quo numerus Prætorum & quęstionum publicarum auctus est. Iudicium primùm populi lege lata constituebatur, quæ si acciperetur à populo condamnatus erat reus: sin reiiceretur, absolutus[b]. Vt in causa Milonis Pompeius legem promulgauit de vi quæ nominatim eædem in via Appia factam comprehendit[c]. Suffragio populi creatus Domitius Ænobarbus quæsitor, sortitio iudicum facta, qui Milonem condemnarunt. Quoties igitur lege aliqua iudicium constitutum, id est, pœna constituta, & quæstio perpetua facta, quod est, vt in re simili noua lege opus non esset, quem iudices dati damnassent: ille ad prouocationis auxiliũ non recurrebat, quod pœna lege à populo lata esset imposita. Sic igitur cùm lege Regia virginum Vestalium, quæ incestum commisissent, pœna esset constituta, & iudices dati Pontifices, quorum apud frequens Collegium, Vestalium causa perageretur, ius prouocationis cessauit, cum regia lex à populo esset approbata. Quare in Capitalibus causis lege agere dicebantur lictores, qui in damnatos animaduertebant. Atque hæc fuit ratio iudiciorum post leges Semproniam & Aureliam. Breuiter de pœna prouo-

[a] l. 2. de Orig. iur. Ciceron. in Brut.

[b] Gruech. li. 1. de Comit. cap. 4.

[c] Ascon. in orat pro Milon.

catio non erat [a]. Simul atque enim victus erat qui eius maleficij, cuius pœna erat statuta, statim ea debebatur. At mulctæ prouocatio erat, nec ante debebatur, quàm prouocator victus esset: Nec aliter, quàm si is dixisset, cui dicere liceret.

a l. 244. D. de verb. sig.

Nonnunquam nulla decreta noua & ad tempus quæstione, ad populum Magistratu in sacrorum quæstione dies alicui dicta: vt Cn. Domitius Tribunuspleb. diem dixit M. Scauro ad populum, quod diceret ab eo sacra multa populi Rom. diminuta esse. Nam si sacra populi Rom. violata esse dicerentur, tũ extra ordinem primo quoque tempore puniendum crimen erat, & Tributis Comitiis res peragenda. Singulare est illud M. Scauri exemplum [b], cui Domitius iratus, quòd eum in Augurum Collegium non cooptauerat, diem dixit apud populum & mulctam irrogauit, quod eius opera sacra multa populi Rom. diminuta esse diceret. Crimini enim dabat sacra publica populi Rom. Deũm Penatium quæ Lauini fierent, opera eius minùs recte castéque fieri, quo crimine absolutus est Scaurus quidem, sed ita vt à tribus. Tribubus damnaretur, & à cæteris absolueretur, & in eis pauca puncta inter damnationem & absolutionẽ interessent. Hic Scaurus fuit pater M. Scauri, qui repetundarum accusatus est L. Domitio Ænobarbo & Appio Claudio Pulchro Coss. anno ab vrbe condita DCC. Quod autem populus de sacris illis minus ritè factis iudicarit nec ad Pontifices reiecta causa sit religionis iudices, maximè cum Scaurus Augur esset, Pontificum videtur officere authoritati.

b Ascon. in Orat. pro Scaur.

Sed M. Scaurum & principem Senatus fuisse & Consulē cùm Metello Virtato anno DCXXXIX. Fasti Cōsulares probant. Quare cum ratione Magistratus accusaretur, dies ad populum dici potuit. Nam Consules & Prætores cùm magistratu abirent, Lauinij Sacra Penatibus simul & Vestæ faciebant[a]. Quæ si minus ritè facta, populi iudicium fuit, vel vt veriùs est Tribuni inuidia hoc populo tribuit, quod ad Pontifices pertinebat.

[a] Seruius in sched.

Tribunorum enim potestas tanta fuit vt à Vestalium absolutione prouocare ad populum possent, cùm illæ nō possent. Sextus Peduceus Tribunus pleb. criminatus est L. Metellum Pontificem max. totúmque collegium Pontificum, malè iudicasse de incestu Vestalium, quod vnam modo Æmiliam damnauerant, & absoluerāt duas, Marciam & Liciniam[b]. Populus L. Cassium creauit, qui de eisdem virginibus quæreret. Atque ille & vtrásque eas & complures alias nimia etiam (vt existimatio est) asperitate vsus, damnauit. Nummis Gentis Cassiæ hoc iudicium nobilitat.

[b] Ascon. in orat. pro Milon.

In hoc nummo ædes Veſtæ impreſſa cùm ſella curuli ſignatæque literæ A. & C. cùm Ciſta in qua coniiciebantur. Licet ante legem Caſſiam tabellariam Virgines fuerint damnatæ, à L. Caſſio. Nam Tabellaria lex lata eſt à L. Caſſio longino C. Mario ſextùm & L. Valerio Flacco Coss. anno ab vrbe condita DCLIIII. De Virginibus Caſſius iudicauit anno DCXXXIX. Accuſatæ porrò Veſtales ſi nocentes abſoluerentur, illud prodigij loco ſemper habitum fuit. Sic Lentulum dixiſſe refert M. Tullius [a], fatalem eſſe annum ad interitum vrbis atque imperij, qui eſſet decimus annus poſt Virginum abſolutionem, poſt Capitolij autem incenſionem viceſimus. Quorum verborum interpretatio ab ipſo Cicerone petenda eſt, qui alibi exprobrat Catilinæ [b]. *Cùm ita vixiſti, vt non eſſet locus tam ſanctus, quo non aduentus tuus, etiam cum culpa nulla ſubeſſet, crimen adferret.* Notat Aſconius Fabiam Veſtalem cauſam inceſti dixiſſe, cùm ei Catilina obiiceretur, & abſolutam, quia ſoror erat Terentiæ Ciceronis. Prudenter itaque Tullius, *etiamſi*, inquit, *nulla culpa ſubeſſet.* Nam & ſuis pepercit & nihilo ſecius inimico ſummi opprobrij turpitudinem obiecit. Nam quod Fabia abſoluta eſt, iure illud inter prodigia numerauit.

a 3. Catilin.

b In orat. de tog. candid. & ib. Aſcō.

PONTIFICES COGI POTERANT à Tribunis plebis. Illi Magistratui subiecti & Censoriæ notæ obnoxij. Vestalis maxima cùm rege Sacrorum legibus soluta.

CAP. XI.

PONTIFICES à Tribunis pleb. cogi poterant, vt sacris interessent, vel peragerẽt illa quibus erant præfecti, si denuntiatio præcessisset. Quod M. Tullius [a] obiecit primùm P. Clodio. *Pontifex*, inquit, *non adfuit. Non te pudet*, ait ille, *cùm apud Pontifices res agatur Pontificem dicere, non Collegium Pontificum adfuisse? præsertim cùm Tribunus pleb. vel denuntiare potueris, vel cogere?* Pontifices tamen ex Dionysij historia [b] à iudiciis, & mulcta sunt immunes, nec tenentur, Senatui vel populo reddere rationem. Εἰσί τε ἀνυπεύθυνοι πάσης δίκης τε καὶ ζημίας ὅτε βουλῇ λόγον ἀποδιδόντες, ὅτε δήμῳ. Magistratus qui finito imperio rationem reposcuntur administrati & gesti honoris ὑπεύθυνοι dicebantur: Cuius contrarium ἀνύπευθυνος καὶ ἀνυπεύθυνος quales Pontifices Dionysius asserit, qui Tribunorum illos populíque subtrahit potestati. In quo certè lapsum illum: hic Ciceronis de Clodio locus apertè demonstrat. Sed cùm rarò id accideret, illud græcus scriptor, nunquam accidisse putauit. Tantùm ergò à Dionysio dissentio, quantùm M. Tullio tribuere æquum est, aliísque quorum

[a] pro dom. su.

[b] lib. 2.

authoritate adducor, vt credam Pontifices ipsos vt magistratus ciuésque cæteros Censoriæ notioni obnoxios fuisse. Censorum in eos potestatem Decij Imperatoris oratio ad Valerianum seniorem satis probat. Hic enim cum Senatusconsulto Censor creatus esset. *Fœlicem te,* inquit Imperator[a], *Valeriane Senatus sententia, totius orbis Rom. suscipe Censuram, tu de iudicibus, de præfectis eminentissimis iudicabis. Excepto præfecto Vrbis Romæ, exceptis Consulibus ordinarijs & Sacrorum Rege ac maxima virgine Vestalium, si tamen incorrupta permaneat, de omnibus sententiam feres.* Animaduersionem tamen Censoriam neque iudicium, neque rem iudicatam maiores vnquam vocauerunt[b]. Et cùm grauissimum iudicium sanctissimi magistratus M. Tullius[c] appellat, intelligit notionem, quæ postea cùm ipsa Republica occidit. Illam Augustus aliqua ex parte restituit: Domitianus perpetuam sibi adscripsit[d]. Huius nummus est.

a Trebel. Pol. in Valerian. patre.

b Cic. pro A. Cluentio.

c Cic pro Sextio.

d Sueton in Augusto. cap. 37. Dio lib. 53 & 54.

Decius Senatui reddidit, à quo Censor Valerianus factus est, cuius amplior potestas fuit, quàm cæterorum post Domitianum. Nam Censores ab eo in habendo

bendo solum populi censu fuerunt occupati ad hũc vsque Valerianum, cui veteris Censuræ authoritas nouo more delata est. Quæ cùm nulla esset in Vestalem max. & Sacrorum Regem, qui soluti legibus erant: Pontifices & reliqui Sacerdotes illi fuerũt subiecti, qui exceptione non continentur. Illorum igitur mores vt magistratuum potuerunt à Censoribus notari penes quos disciplinæ Romanæ regimen fuit. Quare cùm Claudius Flamen Dialis, quod perperam exta dederat Flaminio abire iussus est[a]: Et Sulpitio inter Sacrificãdum apex prolapsus Sacerdotium abstulit; dubitari potest: vtrum illud populi iudicio vel Censoria seueritate factum Pontificiúmue decreto. Quod tamen Pontificibus tribuo, qui Ceremoniarum & Sacrorum iudices erant & vindices.

[a] Liuius li. 26. Valer. Max. lib. 1. cap. 1.

FISCVS PONTIFICVM, ARCA, Ærarium. Curator ærarij IIII. VIR *ab ærario. Arcarius Pontificalis.*

CAP. XII.

COLLEGIA omnia pecunias communes habuisse Caius Iurisconsultus tradit[b], quas diuidere & partiri inter se, dum dissoluerentur quę illicita essent, principum constitutionibus permissum. At Pontifices nõ pecunias solùm sed Arcas habuerunt, Aerarium, Fiscum, ho-

[b] l. 3. D. de colleg. & corp. illic.

rúmque Quatuoruiros & curatores. Fiſcum ab ærario veteres ita ſeparárunt, vt fiſcus eſſet ratio priuati patrimonij principis[a]: Ærarium publicum populi Rom. Putant alij fiſcum pro pecunia publica vſurpari, vt pro cenſu priuato ærarium[b]: atque à fiſco confiſcare, in fiſcum cogere δημεύειν. Arcam à fiſco ſeparare mihi religio eſt. Fiſcum enim Pontificum eam propriè pecuniam fuiſſe cómperio, quæ pœnæ nomine arcæ Pontificum inferebatur. Vetus Lapis.

[a] Plin. in panegyric.

[b] Aſconius 2. in Verrē.

903. 6.

AVIDIA. MAXIMA
DOMVM. ÆTERN. V. S. P
SI. QVIS. ALIVD. CORPVS
SVPERPOS. DET. FISCO. P
CCC. M. N

Quare cùm D. Hadrianus[c] reſcripto ſtatuit pœnam quadraginta aureorum, in eos qui in ciuitate ſepulchrum faciunt, quam fiſco inferri iuſſit: Illius lex non de principis, ſed de Pontificum fiſco intelligenda eſt. De arca inſcriptiones permultæ. Romæ.

[c] l 3. D de ſepulch. viol.

765. 5.

HOC. MONVMENTVM. NE. DE. NOMINE. NOSTRO EXIAT QVI. EXTERNVM. INDVCERE. VOLVERIT POENÆ NOMINE. INFERAT. ARCÆ. PONTIFICVM H-S. L. M. N

Item Romæ.

SI. QVIS. HOC
ARMARIVM. VENDERE. VOLVERIT. INFE
RET. ARCAE. PONTIFICVM. L. S. L. M. N

383. 4.

Qua pœna non ſolum venditor ſed & emptor tenebatur ex lege dicta fundo. Romæ

SI. QVIS. HOC. SEPVLCHRVM. VEL. MONVMENTVM 672.1.
CVM. ÆDIFICIO. VNIVERSO. POST. OBITVM
MEVM. VENDERE. VEL. DONARE. VOLVERIT
VEL. CORPVS. ALIENVM. INVEHERE. VELLIT
DABIT. POENÆ. NOMINE. ARC. PONTIF. L-S. C. N
ET. EI. CVI. DONATVM. VEL. VENDITVM. FVERIT
EADEM. POENA. TENEBITVR

Pro fiſco Pontificum illorum Collegium in veteribus monumentis quandoque inſcribitur.

QVI. EIVS. MONVMENTI
PARTEM. ALIENARE. TENTAVERIT. DARE. DAM 946.6.
NAS. ESTO ÆRARIO. POPVLI. ROMANI. S-L. XV. M. N
ET. COLLEGIO. PONTIFICVM. S-L. XV. M. N. ET. EM
PTOR. ET. VENDITOR

Hic emptor & venditor eadem pœna obligantur. Ærarium autem Pontificum certas poſſeſſionum ſacrarum pecunias propriè continebat, quæ ex illorum prædiis & redditibus cogebantur. Qui curam habebant huius pecuniæ curatores Ærarij Pontificum dicebantur. Qui adſeruabant Quatuor viri ad Ærarium Pontificum. Nam Curatores erant rerum ad Pontifices pertinẽtium procuratores, qui ſacra prædia locarent, pecuniam tractarent, conquirerent, rationémque conficerent accepti & expenſi. Mediolani.

Q. INGENVS. MAXIMIANVS
306. 7. SCRIB. PVBLICVS. PONTIF
ET. CVRATOR. AERARI.

At Quatuoruiri ad Ærarium vel ab Ærario pecunias illas adſeruabant, quas Pontificibus maxime erogarent. Nemauſi.

470. 6. Q. SOLONIO. Q. F. VOL
SEVERINO
EX. V. DECVRIIS. EQVO
PVBLICO. Φ. LVPERCO
IIII. VIR. AB. AERAR
PONTIFIC.

At verò qui arcæ Pontificum hoc eſt, pecuniæ priuatæ & fortuitæ præfecti erant, Arcarij vocabantur. Nam pro Cenſu priuato arcã & Saccellos dicebant[a]. Hanc vocem Symmacho[b] fœliciter reſtituit Iuretus meus. *Rufus*, inquit ille, *Pontificalis arcarius proſequitur apud te mandata Collegij, cui præ cæteris retinendi Vaganenſis ſaltus cura legata eſt.* Malè in vulgatis legebatur archorius. Titulus eſt Theodoſiani Codicis de ſuſceptoribus, præpoſitis & arcariis, quem Iuſtinianus, in decimum ſuum tranſtulit. Illic Arcarij dicuntur, qui his, quæ in arcam præfectorum Prætorio inferuntur, ſuſcipiendis præpoſiti ſunt[c]. Arcarius Pontificum ὑποδεκτὴς χρυσοῦ[d]. Malè in Gloſſario vetere Arcarius ἐπικάπημα, quod Volcanius emendat μηχθοποιὸς. Ego vero ὁ ἐπὶ τῶν κτημάτων, ab ærario, ſic enim

a Aſcon. 2. in Verrem.
b li. 1. epiſt. 62.
c Cuiacius.
d Gloſſ. vet.

loquuntur Græci ὁ ὑπὸ τὴ μνήμης, ὁ ὑπὸ τῶν ἀπορρήτων, à memoria, à secretis. Ex dictione κτῆμα fecit imperitus librarius χθύημα, scripsítque ϑη pro ὑπὸ, cúmque extrema syllaba κτημάτων deleta esset, finxit ille suum βηχθύημα. Propiùs ad veram scripturam coniectura mea accedit, quam Volcanij μηχθυοποιὸς. Arcarius enim in hac significatione nunquam à latinis authoribus vsurpatur. In Glossario mille errores huiusmodi serpunt, quibus vir vnus perpolitus & anxiè diligens vix mederi potest. In illo legitur acceptuaria λιβανωτὲς pro acerra Thuraria, vt Scaliger restituit, Atanulus pro Atanuuius, adfinis ὄμβρος τοῦς γένος, pro, γαμβρὸς τοῦς γήμοις. Alberius Δελφὲς pro Δρεπτὸς, infinitáque alia quæ coniecturam meam in literarum adiectione, aut mutatione multum iuuant.

DE MINISTRIS PONTIFICVM ET Sacrorum. Triumuiri Epulones. Saliæ Virgines. Camilli scribæ. Publicus, Pontificum. A libris Pontificalibus. Lictor. Apparitor. Calator.

CAP. XIII.

MINISTRI Pontificum nobiliores fuerunt Triumuiri Epulonum, Virgines Saliæ, & Camilli. De Triumuiris M. Tullius[a]. *Pontifices veteres propter Sacrificiorum multitudinem Tresuiros* [a] li. 3. de orator.

Epulones esse voluerunt, cùm essent ipsi à Numa, vt etiam illud ludorum Epulare sacrificium facerent, instituti. Horum Sacerdotium amplissimum non fuisse superiore libro docuimus: maximæ tamen dignationis vetus inscriptio testatur.

439. 8. L. MVNATIVS. L. F. L. N. L. PRON
PLANCVS. COS. ACENS. IMP. ITER. VII. VIR
EPVL. TRIVMP. EX. RÆTIS. ÆDEM. SATVRNI
FECIT. DE. MANVBIS. AGROS. DIVISIT. IN. ITALIA
BENEVENTI. IN. GALLIA. COLONIAS. DEDVXIT
LVGDVNVM. ET. RAVRICAM

Is est L. Munacius Plancus ad quem Ciceronis epistolæ lib. 11. scriptæ sunt, in quibus Imperator & Consul designatus appellatur, quod Fuluius Vrsinus obseruauit. Sacerdotij autem Septemuiratus insigne est in nummo vetere.

Virgines Saliæ[a] in Regia Sacrificium faciebant cùm Pontifice paludatæ. Camilli pueri erant ingenui patrimi & matrimi, qui Sacerdotibus publicis ad sacri-

[a] Festus in verb. Salias virg.

ficia præministrabãt. Ab antiquis enim omnes pueri Camilli appellati, qui in sacris nomen retinuerunt [a]. Sic Mercurius Deorum minister Camillus dictus est, vt Statius Tullianus ait libro secundo de vocabulis rerum: & Camillam Metabus filiam vocauit, quæ Dianæ ministrabat. Pacuuius in Medea. *Cælitum Camilla expectata aduenis. ιεεία* [b]. Camilli inuestes, hoc est, impuberes ἀφῳεγι apud Etruscos in Curetum magnorum Deorum ministeriis vocabantur Κάδωλοι [c]. Vnius imaginem, qui Flamini Diali præministrat, habemus in nummo vetere.

[a] Seru. 11. Æneid.

[b] Gloss. vet.

[c] Dionys. li. 2.

Vulgares alij Pontificum ministri & sacrorum & iudiciorum obsequio præsto fuerunt, ordinis vt plurimum libertini [d], Inter hos præcipui videtur Scribæ, quorum ingens numerus Romę per decurias diuisus est. [e] Hi nomen sortiti sunt à Magistratibus & Sacerdotibus, queis ministerium exibebãt. Vt Scriba Prætorius, Ædilitius, Quæstorius, Naualis, qui in naue apparebat (inter aliud genus scribarum minimæ dignitatis, quod periculis quoque eius ministerium esset obiectum [f].) Scriba Pontificalis. Quorum omnũ

[d] Tacit. 13. Annal.

[e] Sueton. in Claud. cap. 1

[f] Festus in verb Naualis scrita.

ordinem non honeſtum ſcripſit Carolus Sigonius [a]. Et certè cum libertini eſſent ij (quibus honores non patuerunt) in doctiſſimi viri ſententiam pedibus deſcenderem ni me M. Tullius retineret. Ille enim [b], *Scribarum ordo eſt honeſtus, quis negat? Eſt verò honeſtus, quod eorum hominum fidei, tabulæ publicæ periculáque Magiſtratuum committantur.* Idem ille [c]. *Scribæ qui nobiſcum in rationibus monumentíſque publicis verſantur, non obſcurum de meis in Remp. beneficiis, iudicium decretúmque eſſe voluerunt.* Obſcuri & non honeſti ordinis, turpe fuiſſet Conſulari viro iudicium, quo cùm M. Tullius in cauſa ſua vtitur, non minimam probat Scribarum dignitatem fuiſſe. Quæ quidem magna primùm in ſcribis Pontificum fuit. Nullus enim ad faſtos & commentarios illorum admittebatur, niſi Patricius: Et Scriba tandem ex minoribus Pontificibus ſeligebatur [d].

[a] li. 2. de antiq. iur. Ciu. Ro. cap. 14.

[b] orat. 8. in Verr.

[c] pro dom. ſua.

[d] Capitolin. in Opil. Macrin.

De Scriba publico Pontificum ſuperiori capite inſcriptionem retulimus, in qua ille idem eſt Curator ærarij, qui & publicus Pontificum, vt plurimùm dicebatur, ſcribæ nomine non adiecto. Romæ.

306 4.

HERMETAE. CAESENNIANO
PVBLICO. PONTIFICVM

Scribas proprio nomine antiqui & librarios & poëtas vocabant [e]. At nunc dicuntur quidem Scribæ Librarij, qui rationes publicas ſcribũt in tabulis. Quos tamen ſeparo ab iis, qui à libris Pontificalibus nominantur. Hi enim libros tantùm tranſcribebant, vbi opus eſſet, vel compingebant. Hanc differentiam à M. Tullio

[e] Feſtus in verb. ſcribas.

M. Tullio accipio, qui librarios à Scribis distinguit[a]. *Deinde*, inquit, *ornat Apparitoribus, Scribis, Libraris.* Vetus Lapis. [a] In Rullū.

306.6.

TI. CLAVDIVS
NATALIS
A. LIBRIS
PONTIFICAL

Scriba Pontificum ἱερογραμματεύς. A libris Pontificalibus βιβλιογεγράφος, lapis alius.

LIVIVS. THEONA. AB
EPISTOLIS. GRÆC. SCRIBA
A. LIB. PONTIFICALIBVS

De Lictoribus Seneca pater[b]. *Non sine causa*, inquit, *Sacerdoti lictor apparet.* His tamen publici tantum Sacerdotes vtebantur cùm Vestalibus, vt Pontifices, Augures, Quindecimuiri, Flamines. Nam quod Liuiæ cum Augusti Sacerdos Senatusconsulto constituta est, decretum vt lictore in sacrificio vti posset[c] ῥαβδούχῳ χρῆσθαι ἐν ταῖς ἱερουργίαις, nihil ad veterem sacrorum rationem facit, quæ vt cætera, adulatione, mutata est & deprauata. Lictor Pontificum in antiquis inscriptionibus est apparitor. Fragmentum marmoris in via Appia. [b] lib. 2. controuers. [c] Dio lib. 56

APPARITORI
PONTIFICVM
PARMVLARIO

1087.6.

Iidem Pontificum Calatores dicti[d], καλβιβαται ἱερέων, [d] Gloss. vet.

qui & Comitia Calabant, & à Pontificibus ſacra facturis præmittebantur, vt ſicubi viderent artifices adſidentes, opus ſuum prohiberent, ne Deorum Ceremonias attaminarent [a].

[a] Seru. in Æhed.

DECVRIA CVRIATIA, QVÆ SACRIS apparebat. Præcones. Tibicines. Ludij. Petreia. Popæ. Victimarij. Incinarius, Iecorus. Aruſpex Pontificis. Fictores Pontificum. Diſcipuli Fictorum. Nomenclator Tenſarum. Iugaris.

CAP. XIIII.

EVNT & alij Pontificum miniſtri & Sacrorum, ἱερόδουλοι vt Decuria Curiatia quæ ſacris publicis apparebat, in qua lictores, apparitores, Calatores, decuriabantur & deſcribebantur. Decuria δεκανία, φρατεία, vt denum hominum claſſes, antiqui Decurias appellarunt. Curiata autem Decuria à Curialibus dicta, qui Curiarum ſerui, quo nomine poſteriores Romani omnes ſeruos Curiones appellarunt, quos antiquitas Calatores [b]. Martialis, *epigrammata* ait *Curione non egent & contenta ſunt ſua, id eſt, mala lingua.* Vbi Curionem pro præcone aut Calatore vſurpauit [c]. De hac Decuria fortean loquitur Tacitus [d], cùm de fraudibus libertorum ageretur. Nam qui pro libertis diſſerebant, hinc plerúmque tribus Decurias miniſteria magiſtratibus & Sa-

[b] Columel. lib. 1. cap. 9. Scalig. in Feſt. in verb. Curiones.

[c] Martial. 2. epig. in epiſt.

[d] lib. 13. Annal.

cerdotibus memorabant. Lipſij in hunc locum Commentarij Curione non egent : Ille. *Iudicúmne Decurias an Scribarum ? Puto Scribarum*, inquit, *qui ordo latè fuſus Romæ, non inhoneſtus. Libertini enim ordinem eum pretio certo emebant.* Illi quidem emebant Scribarum Decuriam, non Iudicum. De his enim Tacitus hic non loquitur, ſed de Magiſtratuum miniſtris, quales Scribæ & lictores, de quibus lectio Taciti intelligi debet. Vetus lapis.

L. ANTONIO 356. 5.
EPITYNCHANO
LICTORI. DEC. CVRIA
TIÆ. QVAE. SACRIS
PVBLICIS. APPARET

Item Romæ in Capitolio.

PAMPHILVS. LICTOR. CVRIA 632. 1.
ACRIS. PVBLICIS. PR. QVIRITIVM. VIATOR. QVI
COS. ET. PR. APPARET. DECVRIO. CONLEGI
FABRVM. FERRARIVM

Iidem ij Præcones ἱεροκήρυκες[a], qui fauere linguis dum ſacra fierent imperabant. κατακηρύττουσι δ' ἡσυχίαν. Decurionem Pontificum in antiquis inſcriptionibus inuenio. Mediolani. [a] Iul. Pollux.

D. M
479. 8. C. VALERI
PETRONIANI
DECVR. PONTIF. SACERD
IVVEN. MED. CAVSIDIC

Ille Decuriæ Curiatiæ præerat. Nam Decuriones & Centuriones à numero cui præerant, dicebantur *.

*Nou. Marcel.

Tibicines & publicis & priuatis sacris omnibus adhibebantur pulsantes eburneas septem fidium lyras & quæ vocantur Barbita, quod Domitiani nummis demonstratur.

Figura est ex Columna Traiani exquisitissima in qua Camilli Tibicinésque & Sacrificantes designantur.

Tibicines ad ſacra priuata aduocauit Epidicus Plauti
me iußit ſenex.
Conducere aliquem fidicinem ſibi huc domum
Dum rem diuinam faceret, Cantaret ſibi.
De his qui ſacris publicis inſeruiebant. Vetus lapis.

IMP. CÆS
M. AVRELIO. ΦANTONINO
PIO Φ FELICI Φ AVG
TIBICINES. Φ. ROMANI
QVI. SACRIS
PVBLICIS Φ. PRÆSTO Φ SVNT

2691.

Tibicinum enim opera ita visa est ad religionē pertinere, vt cum Tybur omnes illi abiissent, eius rei
a Liu.lib.9. discęptatio tenuerit Senatum [a], & Senatusconsulto his restitutum in æde ius vescendi, à quo prohibiti erant à Censoribus. Hinc prouerbium ἀλλοτοῦ βίον ζῆν, de his qui alieno viuunt & immunes degunt [b].
b Suidas.

His proximi sunt ludij, qui in sacris certaminibus, ludis, & sollemni pompa ad Tibicinis modos saltabant [c], vtrique ita necessarij sacris, vt si ludius constitisset, aut Tibicen repente conticuisset, ludi minus rite facti putarentur, errata expiarentur, & mentes Deorum immortalium ludorum instauratione placarentur [d].
c Liuius li. 27.
d Cic. de Aruspic. resp.

Ludionum loco in Municipiis & Coloniis Petreïa [e] fuit, quæ pompam præcederet, imitaretúrque anum ebriam. Tales hodie in multis Galliæ pagis visuntur, cum memoria tutelaris Diui celebratur, quæ his ineptiis maximè contaminatur.
e Festus in verb. Petreïa.

Popæ & Victimarij sacrorum ministri præcipui fuerunt. Popæ hostias mactabant, victimarius illas apparabat, & cultrum, aquam, ignem & molam. Popas Plautus Lanios vocat [f]. *Accersi*, inquit, *hostias, victimas, lanios, vt ego huic sacrificem summo Ioui.* Huius nomē in Glossario vetere diuersè accipitur. Nam Popa & Popax θύτης, πλακοῦς, ἢ πόπανον. Πόπανα Suidæ sunt πλακόεντα, πλατέα ἢ λέπτα ἢ ψευδοφερῆ. Placentæ latæ tenues & orbiculares. Victimarius μαχθύτης μαχοπόμος. Cultrarius Suetonio [g], quem Caligula succinctus Poparum habitu elato altè malleo miserè
f In Pseudol.
g In Caligul. cap.32.

mactauit. Vtriuſque figura expreſſa nobis à Gulielmo Cholio, quæ Suetonij illuſtrat locum.

In hac Popa malleum tenet, victimarius victimam ſubmiſſus apparat. Feſto ille Iecunanus, alij legunt Incumanus vel iecinorus. Fortè legendum Incinarius. Charisio [a] incinarium eſt muliebre miniſterium, quo mulieres capillum inungitarent: & qui ea miniſtrabat quo capillus ornaretur à Cinere Cinerarius appellatus [b]. In ſacris incinarius, qui Cineres aræ admouebat, Pontifice ſacra facturo, quod victimarij

[a] lib. 1.

[b] Varro. lib. 4. de ling. lat.

officium fuit. Illud ex veteri Senatusconsulto probatur, quo libri Numæ cremati sunt, igne à victimariis facto. Vnicuique liberum est Festi lectionẽ tueri, vel aliter restituere. Iecunanus enim vel Incumanus aut iecinorus verba sunt ab imperitis excogitata. In lexico vetere latin. græco, Iecorus legitur qui ἀϛυνόμος. Emendabat amicus meus pro Iecorus Ephorus sed in lexico sub literam I non cadit E. Lectionem latinam retineo, græcam restituo paucis literis immutatis vel conuersis ϑυσινόμος. Iecorus ab iecore inspiciendo Aruspex dictus est, qui verè legem sacrificiis dabat, & Pontifici adhibebatur sacra facienti, vocabatúrque Aruspex Pontificis. Inscriptio Romæ.

3045. CN. IVLI. CN. FILI
DOMATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

Vt cùm Aruspex, ait Varro, *præcipit, vt suo quisque ritu sacrificium faciat* [a]. Is præconis munere fungi quodammodo videtur. De Fictoribus Pontificum illorúmque discipulis, inscriptio vna reperitur quæ illos enumerat inter sacrorum ministros.

[a] lib. 6. de ling. lat.

TA STA

T. STATILIVS. CALOCÆRVS. NOMENCL
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE. SCANAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPVLO. FI
CTORVM PONTIFICVM 270.6.

Hi sacrorum ministri ingenio nobis fingendi sunt, vtemúrque Artifice Seruio[a], qui docet in sacris aliquando simulata pro veris accipi. Vnde cùm de Animalibus quæ difficile inueniuntur, sacrificandum est, de pane vel cera fiebant, & pro veris accipiebantur. Sic dixit Poeta sacrorum peritissimus *lactices simulatos fontis auerni*[b]. Quæ simulatio tenuioris fortunæ hominibus concessa est. Illi enim cùm nullum animal sacrificare possent, Taurum è farina fingebant[c]. Et Tauri verbenæq;[d] in Commentario Sacrorum, significant ficta farrinacea, à quo fictores Pontificum dicti, qui de pane vel cera simulatas hostias faciebant.

[a] 2. Æneid.
[b] 4. Æneid.
[c] Suid. in verb. ζύμη. ἐζόμους.
[d] Festus in verb. Tauri.

De Nomenclatore Tensarum Iugari Inscriptio Romæ.

SOLI. INVICTO
SACRVM
T. POMPONIVS
REPENTINVS
NOMENCLATOR
TENSAR. IVGARIS 35.12.

Hic in ludis & pompa Pontifici maximo adfuit,

officium fuit. Illud ex veteri Senatusconsulto probatur, quo libri Numæ cremati sunt, igne à victimariis facto. Vnicuique liberum est Festi lectionẽ tueri, vel aliter restituere. Iecunanus enim vel Incumanus aut iecinorus verba sunt ab imperitis excogitata. In lexico vetere latin. græco, Iecorus legitur qui ἀϛυνόμος. Emendabat amicus meus pro Iecorus Ephorus sed in lexico sub literam I non cadit E. Lectionem latinam retineo, græcam restituo paucis literis immutatis vel conuersis ϑυσινόμως. Iecorus ab iecore inspiciendo Aruspex dictus est, qui verè legem sacrificiis dabat, & Pontifici adhibebatur sacra facienti, vocabatúrque Aruspex Pontificis. Inscriptio Romæ.

CN. IVLI. CN. FILI
DOMATI. PRISCI
EX. EQVO. PVBLIC
ADIVTORIS
HARVSPICVM
IMPERATORIS
PONTIFICIS
ALBANI

1504.5.

Vt cùm Aruspex, ait Varro, *præcipit, vt suo quisque ritu sacrificium faciat* [a]. Is præconis munere fungi quodammodo videtur. De Fictoribus Pontificum illorúmque discipulis, inscriptio vna reperitur quæ illos enumerat inter sacrorum ministros.

[a] lib. 6. de ling. lat.

T. STA

T. STATILIVS. CALOCÆRVS. NOMENCL 270.6.
CVM. STATILIO. DIONYSIO. TRIB. XVI. FLAVIAE
ET. STATILIO. MYRONE. DISSIGNATORE. SCANAR
FILIIS. ET. STATILIO. DIONYSIO. DISCIPVLO. FI
CTORVM PONTIFICVM

Hi ſacrorum miniſtri ingenio nobis fingendi ſunt, vtemúrque Artifice Seruio[a], qui docet in ſacris aliquando ſimulata pro veris accipi. Vnde cùm de Animalibus quæ difficile inueniuntur, ſacrificandum eſt, de pane vel cera fiebant, & pro veris accipiebantur. Sic dixit Poeta ſacrorum peritiſſimus *latices ſimulatos fontis auerni*[b]. Quæ ſimulatio tenuioris fortunæ hominibus conceſſa eſt. Illi enim cùm nullum animal ſacrificare poſſent, Taurum è farina fingebant[c]. Et Tauri verbenæq;[d] in Commentario Sacrorum, ſignificant ficta farrinacea, à quo fictores Pontificum dicti, qui de pane vel cera ſimulatas hoſtias faciebant.

[a] 12. Æneid.
[b] 4. Æneid.
[c] Suid. in verb. ζύμη πλάσμος.
[d] Feſtus in verb. Tauri.

De Nomenclatore Tenſarum Iugari Inſcriptio Romæ.

SOLI. INVICTO 35.12.
SACRVM
T. POMPONIVS
REPENTINVS
NOMENCLATOR
TENSAR. IVGARIS

Hic in ludis & pompa Pontifici maximo adfuit,

cuius erant ludi & Tenſæ. Huius enim opera Pontifex vtebatur, dum Tenſarum ordinem diſponeret, quæ variæ erant, Iugarióſque, id eſt, aurigas iuberet prodire in pompam & ſingulorum Deorum Tenſas ſuo nomine citaret. In Gloſſario vetere ζυγηλάτης. De aliis ludorum miniſteriis fuſius Onuphrius, ad quem dum curarum remiſſionúmque tempora diuido, lectorem lubens remitto.

IACOBI

GVTHERII DE

VETERI IVRE PONTIFICIO VRBIS ROMÆ,

LIBER TERTIVS. QVI DE LOCIS ET TEMPORIBVS.

Ad amplissimum virum ANTONIVM SEGVERIVM.

LOCI CONSECRATI AVT profani. Profanum, sacrum, Sanctum, religiosum.

CAP. I.

LOCVS & tempus me ad opus Pontificium reuocabant. Nam forensis militiæ vacatio, ante statas sollemnésque inducias concessa erat nobis, ob aëris intemperiem grauiorem, quæ Solis obscuratione pluuiísque frequentibus, sub ortum Caniculæ contracta est: & benignè excepti hospitio ab amicis, secessimus ab vrbe in quietiorem & salubriorem locum, cuius

ſolitudo mihi Prouincia fuit. Villula ſyluis vndíque circundata, planitie in occaſum excurrente, fonticulis leniter ſtrepentibus irrigatur. Hortorum indiligentia artem omnem diuite natura ſuperabat: quorum ambulationes arboribus fructuoſis opacæ atque amœnæ, oculorum aciem viæ longitudine hebetarent. Rupes altiſſimæ in circuitu, in quibus multa ex parte leuiter acclinis aditus ad vmbroſiores locos deducebat, vbi auium garruli cautus καταβίωσιν, mæſtitiámque minuebant. His oblectamentis (Antoni Præſes ampliſſimè,) temporum triſtitiam condiebam: & multa mihi εἰς ἀποθέωσιν cogitanti, locus opportunus, priſca religione ſacer, Pontifices meos ſubiiciebat oculis, quorum ſtudio tantùm tribuo, quantùm vacat à publico officio & munere. Quare ne otio abuterer, quo ſemper maximè indigeo, contuli me ad ſacra meorum Pontificum loca, in quibus figere pedem aut referre arduum eſt. Locus enim lubricus & via eſt laboribus periculíſque obnoxia, de qua decedere nullomodo poſſum. Pergam igitur, quo cœpi hoc iter, cùm rectè collocata & res ſuo loco poſita eſſe videatur.

a In partitionib.

In locis, inquit Tullius [a], & illa fortuita, conſecrati ſint an profani. Profanum αἰτίεον & quidquid vſibus hominum dominióque ſubiicitur. Alia à nobis adfertur locorum diuiſio, vt illa ſint ſacra, aut ſancta aut religioſa. Quod inter decreta Pontificum maximè quærebatur. Sacrum, ait Trebatius, libro primo de religionibus [b], quidquid eſt quod Deorum habetur: Sanctum interdum idem quod ſacrum, idémque

b Macrob. 3 ſat. cap 3.

quod religiosum: Interdum aliud, hoc est nec sacrum nec religiosum est, vt sanctæ leges, quæ non debeant pœne sanctione corrumpi. Sanctiones tamen sacrabantur[a], aut genere ipso aut obtestatione, aut consecratione legis, aut pœnç, cũ caput eius, qui contra fecit, cõsecratur, quæ propterea Sacrosanctæ dictæ sũt. Apertiùs Martianus & Vlpianus[b], hæc interpretati sunt veterum authoritatem sequuti. Sacrum autẽ dicebat Ælius Gallus[c], illud est quod quoquo modo atque instituto Ciuitatis cõsecratũ dicatúmque Diis. Sed & sacrum generale nomen est, quod & sanctum & religiosum quandóque complectitur[d]. Nam sancire proprie, est sanctum aliquid, id est, sacrum facere, fuso sanguine hostiæ, & dictum sanctum quidam putauerunt, quasi sanguine consecratum[e]. Quo in genere sunt muri & portæ ciuitatum quæ quodammodò diuini iuris sunt[f]. At leges sanctæ dicuntur quidem non sacræ, quæ sanctione solùm confirmatæ sunt. Sacratæ autem quibus sancitum erat, vt si quis aduersus eas fecisset, sacer alicui Deorum esset, cùm familia pecuniáque[g]. Sacrum itaque omne religiosum est: nec tamen omne religiosum sacrũ[h], vt ædes & templa religiosa & sacra. Sepulchra vero quæ religiosa habentur, sacra non sunt. Rectè Seruius Sulpitius[i] religionem esse dictam tradidit, quæ propter sanctitatem aliquam, remota & sepositа à nobis sit. Religiosum igitur, quod sacrum & sanctum est, ex locis & rebus ipsis dignoscitur: Vt sunt templa quædã, ædes, ædiculæ, aræ, fana, delubra, Sacella, Tesca, Luci, puluinar, imagines, simulachra, signa, statuæ,

a Cic pro Corn. Balb.
b l. 6. cùm seq. D. de rer. diuis.
c Festus in verb. sacer mons.
d Seru. 3. Æneid.
e Seru. 12. Æneid.
f l. 1. D. de rer. diuis.
g Festus in verb. sacratæ leges.
h l. 9. § proprie. D. de rer. diuis.
i Macrob. 3. saturn. cap. 3.

Sacraria, Dietæ, Dianium, Mineruium, Cellæ, lapides ſacri, auſpicati, Rami coronati, Donaria, Clupei, Cæteráque omnia quæ diis per Pontifices ritè ſunt conſecrata.

TEMPLA TRIBVS MODIS DICTA.

Illa quadrata: quædam templa ſancta non erant, vt nec omnes ædes ſacræ erant Templa.
Ædes rotundæ quibus Diis:
Ædicula.

CAP. II.

TEMPLA tribus modis dicebantur: Ab natura, ab Auſpicio, ab ſimilitudine[a]. Natura, in cælo: Auſpicium, in terra: ſimilitudo ſub terra eſt. Quod ita accuratè Varro perſequitur, vt nihil noſtra arte opus ſit, ad eorum explicationem. Hac ratione dixit Feſtus[b] veteres Diis ſuperis in ædificiis terra exaltatis, ſacra feciſſe: Diis terreſtribus, in terra: Diis inferis, in effoſſa terra. Tria ergo ſunt in ſacris loca, per quæ piationē faciebant[c]: Scrobiculo facta inferis: Terreſtribus ſupra terram ſacrificabant: Cœleſtibus extructis focis: vnde etiam nominata ſunt altaria, quod ſacrificantes manus in altum porrigebant. Ab eo æquitas tripartita eſſe dicitur, vna, quæ ad ſuperos Deos: Altera ad Manes: Tertia ad homines pertinet[d]. Prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia religio vocabatur.

[a] Varro. li. 6 de ling. lat.
[b] In verb. Altaria.
[c] Lactant. 4. Thebaid.
[d] Cicer. in Topic.

Redeo ad Varronem, qui Templi partes quatuor constituit, Sinistram ab Oriente, dextram ab Occasu, anticam ad meridiem, posticam ad Septentrionem. Antiqua templa vt plurimùm quadrata erant, quod nummi veteres testantur, & aperte Vitruuius demonstrat[a], à quo Varroni magna lux effulget. *Ædes*, inquit ille, *Deorum immortalium, ad regiones quas spectare debent, sic erant constituendæ, vti Signum quod erit in Cella collocatum, spectet ad Vespertinam cœli regionem, vt qui adierint ad Aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cœli Orientis, & Simulachrum quod erit in æde, quia aras Deorum necesse est ad Orientem spectare.* Quadratura templorũ τετραγωνία dicitur. Templum autem omne circumseptum esse debebat, ne plusquam vnum introitum haberet. Vnde etiam obseruatum vt ampliùs vno exitu, in hoc esse, nõ oporteret, cum ibi auspicans esset cubiturus[b]. Atque vt templa sacra erant, non tamen omnia erant sancta. Nam Curia Hostilia templum fuit & sancta nõ fuit[c]. Quod ita interpretor, Curiam quidem Hostiliam, vt Pompeiam, Iuliam, & Rostra templa fuisse per Augures constituta. Nam cum illæ Curiæ loca profana essent, templa facta sunt, vt in his Senatusconsulta more maiorum facta, iusta fieri possent. Nec tamen ea loca sancta fuerunt: quoniam templa postquam per Augures effata erant, & à Pontificibus consecrata, vt sancta fierent, in his sacra edicebantur[d]. Quare si nulla sacra edicerentur, sed effata essent loca: Templa quidem sacra dicebantur, sed non sancta, vt in iis auspicatò & publicè res administrarentur, & Senatus

[a] li. 4. cap. 5.

[b] Seru. 4. Æneid.

[c] Varro, li. 6 de ling. lat. Liuius li. 8.

[d] Seru. in sched.

haberi posset. In vrbe Roma pleræq; ædes sacræ sunt templa, eadémque sancta: nec tamen omnes ædes sacræ templa sunt. Ac ne ædes quidem Vestæ templum est[a]. Nam vt templa fierent, Pontificum atque Augurum ministerium requirebatur. Augures locum constituebant: Pontifices consecrabant[b]. Ædes Vestæ à Pontificibus consecrata est, illámque à Numa non inauguratam tradunt, ne Senatus ibi haberi posset, & ipsa necessitate vir introieret locum. Cæterum ædes vt templa quadratæ erant, paucis exceptis. Nam rotundæ tribus Diis fiebant, Vestæ, Dianæ, Herculi vel Mercurio[c]. Sed & Pantheon Ioui vltori ab Agrippa forma conuexa fastigiatum[d] Ἡμισφαιρικὸν. Et Marti Vltori ædes facta ab Augusto[e], post Philippense bellum, rotunda fuit ex ipsius Augusti nummis. Quidam autem templum dicunt non solùm quod potest claudi, verùm etiam quod palis, hastis, aut aliqua tali re, & lineis aut lauris septum est[f]. Quæ fortè extemporalia templa fuere, & quę minora templa dicuntur[g].

Prudentes Etruscæ disciplinæ, apud conditores Etruscarum vrbium, non putabant vrbes iustas fuisse, in quibus tria templa non essent[h], Iouis, Iunonis, & Mineruæ. Romæ verò ea templorum multitudo fuit, ædiúmque sacrarum, vt summam populi in Deos pietatem testarentur, quæ hodie vero Deo à veris Pontificibus etiamnum exhibetur.

Porro templa ab Auguribus effari solita supra diximus, & hoc loco repetimus, vt M. Tullij locum corruptissimum coniectura saltem aliqua iuuemus.

Ille

a Var lib. 4. Plau. quæst. Agel. li. 14. cap. 7.

b Seru. 9. Æneid.

c Seruius 9. Æneid. Liuius lib. 10.

d Plin. li. 36. cap. 15.

e Dio lib. 53.

f Seruius 4. AEneid.

g Fest. in verb. minora templa.

h Seruius in fched.

Ille Attico[a]. *Scripseram iam,* inquit, *ecce tibi orat Lepidus, vt veniam (opinor Augures nihil habere) ad templum afflandum: eatur* MIACKOROY. *Videbimus te igitur.* Vulgata lectio sic concepta. Emendant viri docti, *orat lepidus vt veniam (opinor Augures nihil habere) ad templum effandum, Saturni ἀκαύνδῳ.* Vix vllus Ciceronis mentem hac emẽdatione assequi possit. Ego certè non capio. Nam cum M. Tullius Iuris Augurum peritissimus esset, sciebat, templum nullum constitui, quod non ab Auguribus effaretur. Cum ergò à M. Lepido Pontifice max. Augur aduocabatur: nihil ad templi constitutionem hoc pertinuisse certum est. Nec enim in re huiusmodi dixisset Tullius se opinari Augures nihil habere: Nec video Lepidi Põtificatu Saturno ἀκαύνδῳ Romæ ædem excitatam. Perdifficilis informatio & cogitatio veri sensus, qui latet in Antiquitatis latebra aliqua, consuetudine, vel imagine. Cum cæteris nos fortè hallucinabimur & aberrabimus à vero, sed minimum quidem, vt opinor, à Ciceronis lectione. Lego igitur, *Orat Lepidus vt veniam, opinor Augures nihil habere ad templum afflatum.* Si effatur μαεῦν, videbimus te igitur. Nostræ lectionis hanc rationem affero, quod apud Romanos prodigij loco habitum semper est, si templa de cœlo tacta essent. Quod ex Decreto Pontificum, Sibyllinis libris, Aruspicum responso, vel Senatusconsulto procurari solebat[b]. Nam vt fulmen Comitiorum vitium erat, ita pollutum credebatur quidquid tetigisset. Afflare autem fulminis verbum est[c], & tria fuere fulminum genera, quod afflat, quod incendit, quod findit[d].

[a] lib. 3. epist. 10.

[b] Liuius li. 27. & 32. Agel. li. 4. ca. 5.

[c] Lactant. 2. Thebaid.

[d] Serv. 2. Æneid.

Templum ergo afflatum vocat Tullius fulmine tactum : quod procurari debuit, piaculari sacro. Piacula vero varia pro fulminis procuratione, à Pontificibus aut Aruspicibus decreta vel tradita. Hi vt credibile est responderunt effandum templum, postquã purum factum esset. Nos hodie polluta templa reconciliari dicimus[a]. Effari Augurale verbum est[b], Ab Auguribus enim loca sacra inaugurabantur. Hinc effata, sunt Augurum preces. Scripsit, vt suspicor, M. Tullius, Augures nihil habere ad templum afflatum. Nam illud ad Pontifices vel Aruspices pertinebat. Sed si ex responso Aruspicum effatur, μιαῆν, hoc est, pollutum vel μιαχθὴν[c] purum factum καθαρὸν, igitur se visurum Atticum, cum à Lepido Pontifice maximo aduocaretur, quò inaugurationi interesset. Pro effatur librarius edidit eatur, & pro voce μιαῆν vel μιαχθὴν substituit μιασθέσθω. Sic lectionis huius à multis tactæ, prodigium censeo procurandum. Viderint literati, an vt boni Aruspicis mea responsa firmari debeant, vel reijci, cùm antiquis Sacrorum verbis, quæ ab vltimis & obliteratis temporibus repetita sunt, & vix sacerdotibus suis intellecta. Consecratis lubens vtor, quibus Pontificum amplitudo magis illuxerit.

Rursum nos ad sacras ædes transeamus. Ædes aut aras inchoare ex sacrorum disciplina dicebatur. Inchoare Seruius[d] interpretatur perficere, & agnoscit Sacrorũ verbum. Cohum tamen apud veteres mundum significat[e], à quo inchoare. Sic Tranquillus libello suo plenissimo, ædem inchoatam disseruit.

a cap. proposuisti. extr. de consecrand. Eccl.

b Seru. 3. & 6. Æneid.

c Helychius.

d 6. Æneid.

e Diomedes grammat. lib. 1.

Ædium ſacrarum valuæ ac limina vt templorum ex ære factitata [a], atque in illis lychnuchi penſiles, aut arborum modo mala ferentium lucentes. Sacræ autem ædes triplici differentia conſiderantur, Dorico genere, Ionico, & Corinthio. De his & illarum quinque ſpeciebus copiosè Vitruuius [b], qui omnem lapidem feliciter mouit.

[a] Plin. li. 34. cap. 3.

[b] li. 1. ca. 2. & lib. 3. ca. 2.

Ædiculæ ſunt ædes minuſculæ incuſtoditæ [c], quas qui tentauerint, ampliùs quàm fures, minùs quàm ſacrilegi merentur. Ædiculæ Romæ plurimæ, inter quas vnam in Caſtris Prætoriis inuenio. Lapis vetus ex antiquis Figliuis, vbi olim Caſtra Prætoria.

[c] l. ſacrilegi. 9. D. ad leg. Iul. pecul.

EX. ÆDICVLA. AVGVSTORVM
OPVS. DOL. EX. FIG. C. PANISEI
HERMETIANI. ET. VRBICI

183. 12.

Ocriculi in Vmbria, ædicula alia.

PRO. SALVTE. ITVS. AC
REDITVS. D. N. SANCTIS
SIMI . . . . .
TI. AVG. ÆDICVLAM
CONCILII. DEORVM
PROT. DIVINITATE. RIS
AVG. N. EX. VISV. DEAI
VALENTIÆ
S. P. F. C

8. 32.

Prioris inſcriptionis notæ ſignificãt. Opus doliatum ex Figulina Panſei. Fictilibus doliis ædicula in Præ-

toriis castris facta, nõ æternitatis destinatione, sed tẽporaria mora[a], vt ipsa Castra. Posterior verò sic emẽdari debet PROT. DIVINI. LATERIS. Id est Protector Augusti. Vt Gruterus animaduertit ὑπεραστιστής. S. P. F. C vulgares notæ, *sua pecunia faciendũ curauit*. Hęc ædicula, vt aliæ omnes priuatæ, nec sacræ nec sanctæ erant, sed religiosæ. Quod enim priuati suę religionis causa dedicant Diis, id Pontifices Romani nõ existimauerunt sacrum[b]. Aut si qua sacra priuata susceptа sunt, quæ ex instituto Pontificum, statо die aut certo loco sunt facienda, ea quidem sacra appellantur tanquam sacrificium. Sed locus ille vbi sacra illa priuata fiunt, vix videtur sacer esse, vt Gallus Ælius tradit.

[a] Vitru. li. 5. cap. 5.

[b] Festus in verb. sacer. mons.

TEMPLORVM SPECIES, DELVbra, Fana, Sacella, Cella, Tesca.

CAP. III.

EMPLVM Deorum Sesimonium est[c], cuius species multę. Delubrum dixerunt, quod vno tecto plura numina complecteretur[d], vt Capitolium in quo est Minerua, Iupiter, Iuno. Alij vt Cincius Delubrum vocant locum ante templum, vbi aqua currit, à diluendo nuncupatum. Quidam Delubrum appellant simulachrum, à libro, hoc est, raso ligno factum, quod Græci ξόανον. Sed Delubrum frequentiùs pro templo. Cuius variæ quoque

[c] Vitruuius lib. 7. in proëm.

[d] Seru. 2. Æneid.

ſpecies fuere: In quibus vna eſt iuxta Varronem [a], eo modo, conſtituta, vt præter ædem, area ſit adſumpta Deûm cauſa, id eſt ſpatia relinquantur, iuxta aras miniſterij cauſa, ad ſacrificia peragenda. Talia Romæ fuere plurima, vt Delubrum Apollinis, Iouis Statoris, Iunonis Soſpitæ, Mineruæ. Licet Delubrum pro ipſo ſimulachro quandoque accipiatur. Eſt enim Delubrum καθίδρυμα, ξόανον, ἀνάθημα, ἄγαλμα, εἴδωλον [b]. Vt cum Smyrnæi Delubrum Homeri in Oppido dedicauerunt, nihil aliud quàm ſtatuam poſuerunt [c]. Quod autem ἀνάθημα Deorum donum dixerunt Delubrum: Ex eo manauit, quod cum homines pericula ſua diluerent, ponebant vel ſcutum, vel pilum, vel quid aliud, voto ſuſcepto [d].

[a] Seru. 4. Æneid.

[b] Gloſſ. vet: Iul. Pollux. Feſtus in verb. delubrum.

[c] Cicer. pro Arch. poët.

[d] Cornel. Frõt. de differents. voc.

Fanum propriè dictum quod fando conſecraretur [e]: aut ab eo quod Pontifices in faciando fati ſunt finem. Vt profanum, quod ante Fanum eſt, id eſt, fano iunctum [f]. Turnebo [g] Fanum eſt templi area, quæ multum à templo differt, vt poſtea oſtẽdemus. Fanum locus eſt templo effatus, iam conſecratus [h]. Apertè hoc Liuius, *In ea pugna*, inquit, *Iouis Statoris ædem votam, vt Romulus ante vouerat: Sed Fanum tantum, id eſt, locus templo effatus, iam ſacratus fuerat.* Primis temporibus Fanum Romæ nullũ: Cum adoleſceret vrbs religionibus dedita, & paupertatis onera leuaret votis, Fana fuere plurima [i], quæ omnia deuictis Gallis, quod ea hoſtes poſſediſſent, reſtituta, terminata, expiatáque. Propriè tamen Fanum eſt locus ſacer ſine ædificio ἱερὸν, vt ex M. Tullio [k] colligimus. *Fanum*, inquit, *fieri volo, neque hoc mihi erui*

[e] Feſtus in verb. Fanũ.

[f] Var. lib. 5. de ling. lat.

[g] lib. 3. aduerſ. cap. 9.

[h] Liuius li. 10.

[i] Liuius li. 5.

[k] Ad Attic. lib. 12. ep. 35.

potest, sepulchri similitudinem effugere, non tam propter pœnam legis studeo, quàm propter ἀποθέωσιν, quod poteram, si in villa facerem. In agro vbicúmque fecero, mihi videor assequi posse, vt posteritas habeat religionem. Sistere Fana est locum futurorum Fanorum constituere [a]. Sic etiam ædem adsignare Veteres dicebant. Antiquus lapis.

[a] Festus in verb. sistere fana.

t. 6.

L. VESTORIVS. ZELOTVS
POST. ABSIGNATIONEM. ÆDIS
FORTVNÆ
SIGNVM. PANTHEVM
SVA. PECVNIA. D. D

Exaugurare Fana [b], est euocatis Diis & cæteris religionibus locum liberare, peculiaríque Deo templum constituere. Vt cum in monte Tarpeïo Iouis templum ædificatum est. Fanum Dominarum albæ Iuliæ legitur.

[b] Liuius li. 1

90. 4.

MESTRIVS. MARIINVS
PICTOR. CONSTITVIT
PRO. SALVTE. SVA. ET
SVORVM
FANVM. DOMINAR

Dominas hic pro Deabus dictas nemo ambiget. Sic vota soluere Ioui Domino poëta dixit. Dominæ autem sunt Parcæ quæ vitę dominari credebantur, quibus pro salute sua & suorum Pictor Fanum constituit. A Fano Hanula [c] quasi Fanula, parua Delubra

[c] Festus in verb. delub.

dicit Festus. Cui verò Fani cura commissa erat, is magister Fani vocabatur. Capuæ

Q. PETICIO. M. F. FAL.
MAG. FANI. DIANÆ 315. 1.

Sacellum est locus paruus Deo sacratus cùm ara, ex Trebatij libro de religionibus secundo [a]. Addit Festus [b], sine tecto, & hac ratione nihil à Fano differret.

[a] Agel. li. 6. cap. 12.
[b] In verb. sacellum.

Cella pars est templi in qua Deus vel Dea concludebatur. Gloss. vetus Cellis ἀποθέσεις. Reposuit Vulcanius ἀποθέσεσιν perdoctè. Ἀποθέσεις enim repositorium est quod σκίλλη vocatur à Dione [c]. ἡ τε γὰρ σκίλλη τῶ Ρωμύλου, ἐξ ἱερουργίας τινὸς, ἣν οἱ Ποντίφικες, ἐν αὐτῇ ἐπετοίησεσαν, ἐκαύθη. Cella Romuli cum in ea Pontifices sacra fecissent, incendio absumpta est. Illa à Vitruuio [d]. Casa Romuli nominantur, quæ in arce sacrorum, hoc est, in Capitolio, stramentis tecta fuit. In eadem Arce Cella fuit. Iouis, in qua Africanus imaginem positam habuit [e], vnique illi, instar Atrij Capitolium fuit. Cellam vulgò nos capellam diceremus, quæ quidem duobus Diis vna dicari non potuit. Quare cum Marcellus bello Gallico cum ad Clastidium, ædem Honori & Virtuti vouisset: dedicatio eius à Pontificibus impedita [f] est, qui negabant vnam cellam, ampliùs quàm vni Deo ritè dedicari: quia si de cœlo tacta, aut si prodigij aliquid in ea factum esset, difficilis procuratio foret, quod vtri Deo diuina res fieret, sciri non posset. Neque enim duobus, nisi certiis Diis rite vna hostia fieri. Cellæ autem in templis

[c] lib. 48.
[d] li. 2. cap. 1.
[e] Val. Max. lib. 8. ca. 14.
[f] Liuius lib. 27.

multæ, vnde Vitruuio [a], interiores Cellarum, Angulares Cellarum, à quo Peripteron ædes est, cuius Cella vno tantum columnarum ordine cingitur [b]. Dipteron, quæ duplitibus, Pseudodipteron in quo sublato Dipteri generis interiore columnarum ordine, relinquitur ambulationis circa Cellam laxamentum. Et Monopteron ædes est rotunda, quæ Cella caret, pro muro columnis obsepta.

[a] lib. 7. in præfat.

[b] Philãder. In Vitru. li. 3. cap. 1.

Tesca erant loca sancta, agrestia alicuius Dei [c]: Quales sunt Heremi, in locis vt plurimùm præruptis & asperis constructæ. Tesca Verrius dixit loca Augurio designata [d]. Sed sancta loca vndique capta docent Pontificij libri, in quibus scriptum est, *Templúmque, sedémque, Tescúmque.* Varro verba refert, quibus templa illa conciperentur, asperitatis sanè & obscuritatis plenissima [e]. Tentarunt doctissimi viri illa explicare, atque ex ipsis Festo mederi, quod vix assequutus est Scaliger peritus artifex, cui ingenij vis hoc vni maximum contulit munus, vt Musarum deserta templa vbique aut restituerit aut adornarit. Post hũc virum quid mortalis ego, vt ait Accius, in deserta & Tesca me adportem loca? Septus tamen Varronis locus vndique & vestitus vepribus sentes habet, quæ à tangentibus quamprimùm sentiuntur. Ex antiquitatis obseruatione notarunt periti [f], non modò in vrbe verum etiam in agris Augures templa finire potuisse ad auspicandum. Erant enim templa Auguribus, regiones aut agri certo carmine ab illis lituo finiti & notati consecratique, vnde in omnes cœli partes ad Augurium captandum, liber erat adspectus [g]. Partes enim

[c] Varro li. 6 de ling. lat.

[d] Festus in verb. Tesca

[e] Turneb. li. 22. aduers. cap. 25.

[f] Grucchius li. 1. de Comit. cap. 4.

[g] Cic. 3. de legib.

enim definitæ Auguribus tradebantur, & in templo faciendo arbores finem continebant, intra eas regiones, quà oculi conſpicerent. Templum verò Augurum non verbis ijſdem vſquequaque concipitur, id eſt, aliter in vrbe, in agris aliter conſtituebatur. Vtrũque Varro docere voluit, ſed mutilam lectionem & corruptam Librarius dedit, qui formulam qua in vrbe templa definiuntur, obmiſit, ſolámque ſcripſit qua Augures in agris vtebantur. Verborum itaque affinitate deceptus repetitam lectionem putauit & amputauit. Quod ex Varronis verbis perſpicuũ eſt. Hic enim *Concipitur verbis nõ ijſdem vſquequaque.* Hoc eſt, in vrbe aliter, aliter in agris templa ab Auguribus concipiuntur. In vrbe enim Auguria captabantur: In agris Auſpicia. Ideóque Varro. *Templum*, inquit, *eſt locus Augurij vel Auſpicij.* In arce hoc eſt in vrbe, Auguria: in agris, id eſt, in Teſcis Auſpicia captabantur. Cum igitur ſcripſit Varro, *in arce item, teſtáque meta ſunto*, ingens lacuna perſpicitur. Nam dictio *item* diſiunctiua eſt. Tradiderat Formulam captandi in arce Augurij, id eſt, in vrbe; Arx enim eſt Auguratulum [a], vbi Augures publicè auſpicabantur, illúdque in vrbe, & patriis ſedibus, in quibus ſolum Augurium agere licebat [b], & Pomœrij ambitu Auguria, (Quæ Varro [c] vrbana auſpicia vocat) finiebãtur. Hæc formula captandi in arce Augurij excidit nobis, librarij imperitia. Vna reſtat qua in agris templum, id eſt, locus Auſpicij definiebatur. Illa his verbis concepta eſt, in vulgatis Varronis exemplaribus. *Item teſtáque meta ſunto, quoad ego eas relinquam, nũcupauero.*

a Feſtus in verb. Auguraculum.
b Seruius 3. Æneid.
c lib. 4. de ling. lat.

Emendat Scaliger. *In arce autẽ ſic. Teſca dumecta ſunto, quoad ego caſtè lingua nuncupauero, olla veter arbor quiſquis es quam me ſentio dixiſſe, templum tectúmque eſto in ſiniſtrum &c.* Turnebus aliter. Antonius Auguſtinus vir magnus ſupráque mortalium naturam, quem ita veneror, vt illius nomini ſemper aſſurgam, monuit tantùm mendoſum locum, nec reſtituit. Illud tentare arduum eſt, audere periculoſum, deſperare inuidioſum. Nos ergo non verbis iiſdem Varronis in loci huius reſtitutione, vſquequaque vtemur, Augurum more: Sed quibuſdam paululùm immutatis aut additis: Cætera omnia integra reddere conabimur. Sic igitur lectionem reſtituo. *In agris item: Teſcáque meta ſunto; quoad ego eas regiones linquam, quas nuncupauero. Olla vero arbor quidquid eſt, quòd me ſentio dixiſſe templum teſcúmque: ferto in ſiniſtrum. Olla vero arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe, templum Teſcúmque: ferto in dextrum &c.*

Lectionis huius rationem reddo, ne operam luſiſſe videar. De Augurio & Auſpicio, Arce & Agro iam planum eſt. *Teſcáque meta ſunto:* Pura lectio. Meta enim Augurale verbum. Sic mediam cœli metam dixit Virgilius[a]. Nam medium cœlum meta eſt αἱ α-βιβάζοντος circuli, qui medius eſt, inter ortum & occaſum. A medio autem cœlo finitur ortus, & Occaſus incipit ſyderum. Itaque cum Augures lituo cœli ſpatia deſignabant, eis ſua dabant nomina[b], vt prima pars Antica ad meridiem, poſterior ad Septentrionem poſtica: Siniſtra ab Oriente, dextra ab occaſu diceretur. Ab eo anteſiniſtra Cornix, Virgilio

[a] lib. 5. Æneid. & ib. Seru.

[b] Seru. Eclog. 9.

dicta indiuiſo verbo, quæ ab Antica, hoc eſt, à meridie, ad ſiniſtrum, id eſt orientem volarat. Cœlum autem, ait M. Tullius [a] in ſexdecim partes diuiſerunt Etruſci, facilè id quidem fuit, quatuor quas nos habemus duplicare. Teſca ergo in mediis quatuor partibus templi, meta fuerunt, & effata loca. Vt ex quatuor partibus, inquit Vitruuius [b] ad altitudinem educũt medio metas. Atque hoc modo Teſca ſunt meta conſtituta, in agro vbi Auguria captabantur, qui effatus locus dicebatur. Cætera perſequamur: *quoad ego eas regiones linquam, quas nuncupauero.* Ex coniectura ſic reſtituo; ne locus ad auſpicandum effatus perpetua religione teneretur, ſed ſanctus tantùm eſſet, quoad auſpicandi cauſa, in eo Augures morarentur. Regiones autẽ lituo dirigere, primum Auguris miniſterium fuit, poſt effatum locum [c]. Quare addit Varro. *Olla vero arbor, quidquid eſt, quod me ſentio dixiſſe.* Nam regiones mente deſcribebant Augures, arboribúſque terminabant [d], ſignúmque cõtra quod longiſſimè conſpectum oculi ferebant, animo finiebant. Qui falli facile poterant, ideóque dicebant, *quidquid eſt quod me ſentio dixiſſe*, id eſt ſiue arbor ſit, ſiue Dumetum vel aliud quid arbori non abſimile; ne aliud pro alio nominando, auſpicia vitiarent. *Templum teſcúmque ferto in ſiniſtrum.* Ferre & efferre ſacrorum verba ſunt, & ex antiquis inſcriptionibus liquet. Sic ferre ſacra dictum [e], ferre preces, hinc ferre in ſiniſtrum, & ferre in dextrum Orientem Occidẽtémque ex Augurali diſciplina deſignat. Augures enim ſpectare Orientem ſolebant, dum auſpicabantur [f],

[a] lib. 2. de diuinat.

[b] li. 2. cap. 1.

[c] Cic. 1. de diuinat.

[d] Varro hic

[e] Seru. 8. Æneid.

[f] Dionyſ. li. 2.

quod est ferebant in sinistrum, vnde Sinistra Romanis meliora. M. Tullius[a]. *Quæ autem est inter Augures conueniens & coniuncta constantia? Ad nostri Augurij consuetudinem dixit Ennius.*

a lib. 2. de diuinat.

Cum tonuit læuum bene tempestate serena

Virgilius dixit[b], *intonuit læuum.* In his multa latent obscuritate temporum inuoluta, in quibus alij desudare possunt. Ego verò ita hunc locum ornare concupiui, vt nihil asperitatis haberet, nihil offensionis. Quod si qui aliter senserint, nihil pugno: & qui laborem meum reprehenderint, laudo, si doceant certiora.

b 2. Æneid.

LVCI, DIANIVM, MINERuium, Dietæ.

CAP. IIII.

AD LVCOS nunc iam accedamus, qui alia luce non indigent. Illi duo & triginta in vrbe fuerunt. Inter quos Manlij Capitolini euersa domus duobus lucis conuestita est[c]. Luci verò nunquam sine religione fuerunt, in quibus plærisque Fana affabrè facta, proceris & vastis arboribus consita, religionem illam testabantur. Lucorum in inscriptionibus agnoscimus Sacerdotes. Perusiæ.

c Cic. pro dom. sua.

C. BETVO. C. F
SACERDOTI. III. LVCORVM. PR
VMBRIAE

375. 4.

Dianium est lucus Dianæ consecratus. Cato Censorin secundo originum [a]. *Lucum Dianium in Nemore Aricino, Egerius Lebeus Tusculanus dedicauit Dictator latinus.* Apud Festum legitur Dianus, emendauit doctissimus Scaliger Dianium. Inscriptio Romæ.

[a] Priscian. lib. 4.

C. IVLIANVS
CÆLIVS. ANT
F
. . . . . .
DIANVM. D. D

40. 4.

Æsculapium, Mineruium pari loquendi consuetudine dictum est [b]. De Dieta Apollinis ambigebã, nummam inter loca religiosa illam reponerem. In libris nostris plurima est de Dietis mentio, quæ inter priuata ædificia numerantur [c]. Est enim Dieta ædificium vel membrum domus cœnationem & cubiculum continens, quæ in hortis, amœnitatis & voluptatis causa vt plurimùm instructa fuit. Talis erat Romæ Dieta Mammeæ in regione palatij [d]. Hypocaustæ Dietæ meminit Vlpianus [e], quæ habet fornaculam Caminatámve structuram & concamerationes in quibus ignis accenditur, vnde calefiat: Vaporarium Tullius vocat [f], ex quo ignis erũpit. Huic rei serui præpositi fornacarij [g] dicebantur, Dietariorum

[b] Varro. li. 4. de ling. lat. Vitru. li. 7. in præfat.
[c] l. acquisitum §. sed: si Ædiũ D. de vsufruct. l. Senatus. §. Marcellus. D. de leg. 1.
[d] P. Victor de regionib. vib.
[e] l. lignis. §. lignis. D. de leg. 3.
[f] li. 3. ad Q. fratr. ep. 1.
[g] cõtinetur D. de Inst. & instru. leg.

vicarij, qui & zetarij [a]. Dietarios eosdem putat vir doctissimus, ac Directarios, de quibus Vlpianus [b]. Sed repugnat nominis etymon, & Directarij vocabantur ij qui in aliena cœnacula se dirigunt furandi animo, διρεπτηρ ποιῆται. Nos longiùs à Diæta Apollinis aberramus, à qua Iurisconsulti nostri aliquantulum diuerterunt. De hac elegans inscriptio Romæ.

[a] Paulus li. 5 sent. tit. 7.
[b] l. 1. saccularij. D. de extraord. criminib.

GESTATIO
CIRCINI. EXTERIOR
A. DIETA. APOLLINIS
AD. DIETAM. EANDEM
IN. CIRCVITV. P. ∞. CC
LXXVII. EFF. VIII. M. P. II. ET. P. CC
XLVII. P. M. XII. ET. P. XVIIII
CESTATIO. INTERIOR. ADIETA
EAND. INCIRCVITV. P. ∞. FFF. V
P. E. LX. M. P. XIII

cap. 8.

In hoc viridario gestari placet, & fortè gestatio nostra solida erit, succolantibus libris, qui vltro ambulationem & gestationem prębent [c]. Prætereo quæ Iurisconsulti nostri de his scripta reliquerunt, qui gestandi ius inter personales seruitutes constituerunt, De quo latè Seneca [d]. Hoc vnum dicam gestationem fuisse locum ipsum & gestationis spatium, gestabantur enim vel mero pede ambulabant per Circinum siue circuitum gestationis, ac dimenso primùm per pedes exteriore vel interiore gestationis spatio, quoties circumeundum, illud sibi esset, vel exercita-

[c] l. plenum. §. 1. D. de vsu. & habit. l. æquissimum. D. de vsufruct.
[d] epist. 15. & 55.

tioni suæ præfinitos passus exigerent, facilè computabant. Quod amicissimus Rigaltius monuit, mihi magnus Apollo, qui hanc inscriptionem planam & facilem sic faciebat, & interpretabatur. *Gestatio Circini exterior, à Dieta Apollinis, ad Dietam eandem in circuitu pedum mille ducentorum septuaginta septem efficit octies millia passuum duo & pedes decem & ducentos. Efficit quadragies septies passuum millia duodecim & pedes nouemdecim. Gestatio interior à Dieta eadem, in circuitu pedum mille efficit quinquies passus, mille & sexagies millia passuum tredecim.* Nempe vt Grammatici tradunt, pedum quinque mensura, passus est; ex eoque fit vt spatium pedum mille ducentorum, septuaginta septem octies exactum, efficiat præterpropter millia passuum duo & pedes ducentos decem. Gestatio exterior est circuitus vel ambitus gestationis exterior, & contrà. Mihi certe profuit iactatio animi, dum Dietam Apollinis considerabam, quæ hic accipi potest pro cubiculo vel cœnaculo, cui nomen inditum fuerat Apollini. Quomodo legimus Lucullum à Cicerone, necopinantem circumuentum, seruis edixisse vt in Apolline cœnam pararent. Mallim tamen Apollinis Dietam religionem aliquam habere, & pro Larario illam accipere, cui locum suum hoc ipso libro destinamus.

FINES TEMPLARES. TERMINI Sacrificales, Lapides ſacri. Coronati Rami. Lapis auſpicatus. Lapis diuus ſacer, pertuſus ſcriptus. Taurobolata Petra.

CAP. V.

[a] Aggen. vrbic.

LOCA Sacra quammaximè apud antiquos in confinio conſtituebantur[a]. Ab eo fines templares & terminos ſacrificales, authores limitum nuncuparunt, qui in quadrifinio poſiti, poſſeſſionibus finem faciebāt[b]. Hic autem fuit defigendorum terminorum ritus[c], vt cum illos diſponerent, ipſos quidem lapides, in ſolidam terram conuocarent, proximè ea loca, quibus foſſa facta defixuri erant, quos vnguento velaminibúſque & Coronis decorabant. In foſſis illis quibus poſituri terminos erant, ſacrificio facto, hoſtiáque immaculata cæſa, facibus ardentibus in foſſa cooperti ſanguinem inſtillabant, eóque fruges & Thura iactabant, fauóſque & vinum, atque alia quibus conſuetudo erat, terminis ſacrum fieri, in foſſa adiiciebant. Conſumptíſque omnibus dapibus, ígne ſuper calentes reliquias, lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant. Plurimis tamen in locis, Termini Sacrificales, nō in cōfinio poſiti[d], ſed vbi illos potiùs ſacrificij opportunitas poni ſuaderet. Hos terminos nō ſtatim vt finitimos obſeruabant, etiamſi non

[b] Dolabella
[c] Siculus Flaccus.

[d] Frontin. 2.

non longè à finibus positi essent. Frequenter enim viæ finiunt, iuxta quas arbores solent esse latiores, sub quas defigere terminos sacrificij causa possessores consueuerunt. Ex his facile iam videre est, quid sint lapides sacri aùt velati, quid arbores coronatæ, quid rami, quibus authorum veterum loci innumeri possent illustrari. *Negant*, inquit Apuleius[a], *se vidisse qui fuerint, vllum saltem in finibus eius, aut lapidem vnctum, aut ramum coronatum. Quod vtrumque viatoribus moram obijcere solebat, vt ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata, vel colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus vel Cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus*[b]. Hæc omnia fuere Numinum templa: priscóque ritu, simplicia rura alicui Deo præcellentem arborem dicabant[c], quæ pro Deorum immortalium templo haberetur. Quod ridens Arnobius[d] exclamabat. *Venerabar nuper veteranis in arboribus tænias, si quando conspexeram lubricatum lapidem ex Oliui vnguine ordinatum. Tanquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam, nihil sentiente detrunco.* Rectè Arnobius ordinatum lapidem scripsit: In cuius lectione nihil immutandum fuit ab eruditis viris, qui malunt sordidatum lapidem, quàm ordinatum. Acutè quidem: sed ex Flacco videmus super calentes reliquias lapides conlocatos, credo ordinatos illos & ordinarios: vt ordinarria structura dicitur, quæ media est inter eam, quæ fit ex quadrato lapide, & quæ ex informi cæmento[e].

[a] Apolog. 1.

[b] Apul. 1. Florid.

[c] Plin. li. 12. cap. 1.

[d] lib. 1.

[e] Vitru. li. 2. cap. 8.

Tænias interpretatur vir & græcis & latinis literis

pereruditus, in quibus ſpolia ſuſpenſa & Diis conſecrata: Cum ſint illæ Coronæ arborum conſecratarum, quæ Apuleio coronati rami. Hoc docuit Ennius in Alexandro. *Volans de cœlo cum Corona & tæniis*[a]. Illæ quidem erant ornamentum laneum capitis honorati, vt tænioſus κεκαλυμμένος[b]. Quod ab eodem Arnobio latiùs exponitur[c], Ille enim, *Quid lanarum vellera* (quæ ſunt tæniæ) *quibus arbores colligatis & circumuoluitis ſtipem? Quid compti violaceis coronis & redimiti arboris ramuli? Quid Coronæ? quid violæ? quid volucra mollium velamenta lanarum?* Inde Lucretio[d], velatus lapis de quo Tibullus[e] poeta.

a Feſtus in verb. Tæniæ.
b Gloſſ. vet.
c lib. 5.
d lib. 5.
e li. 1. eleg 1.

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris
Seu vetus in Triuio florea ſerta lapis.

Hic verò lapis inſcriptus erat quadratis vncialibus, qui Γ notatum habebant, à quo Gammatus dicebatur. Quod de iis lapidibus accipiendum eſt, qui prominentiores agrorum limites terminabant, in quibus & aliæ literæ inſcriptæ vt K. ex auctoribus limitum didicimus. Authores enim diuiſionum ſanxerunt[f], vt quæcumque loca ſacra, ſepulchra, delubra quæq; publicè eſſent, eiuſdem conditionis eſſent, cuius ante fuiſſent: Adiectúmque iis vt limites ijdem Decumani & K aperti populo eſſent, Statuerúntque Decumanos & K maximos patentiores eſſe. Inde ſcriptus lapis dictus Antiſtio Labeoni[g], quem ita vocari ait in agro Menullino vbi rem diuinam faciebant.

f Hygenus.
g Feſtus in verb. ſcriptum lapidem.

Lapides ij qui in fundamentis templorum iaciebantur, ſacri & auſpicati, non vna tantùm litera,

ſed inſcriptione fuerunt deſignati. Fragmentum Romæ.

LAPIS. AVS P. S. Q. CÆCILIO. METELLO
PONT. MAX. SOLLEMNI. CVM 39. 5.
PRECATIONE. PAL. POP. ROM. CONIECTVS
IN. FVNDAMENTA. PORTICVS. MINER . .
AVENTINENS. AB. LATER. COLL . . .
VIC. ARMILVSTR. D . . . . . .
IN. NVNC. D. AVGVR. AVSPI . . . . .
TEMPL. CONSECRA . . . . . .
M. CASCELL. ÆD. CVR . . . . . .

De Coronatis arboribus & lapidibus vnctis, extat Concilij Africani decretum [a], quo iterum placuit ab Imperatoribus peti, vt reliquiæ Idololatriæ, non ſolùm in ſimulachris, ſed in quibuſdam locis, vel lucis vel arboribus omninò deberentur. Hoc Arcadio & Honorio Imperat. habitum fuit. Quod ad Karoli Magni tempora durauit, qui ſuperſtionem ſuis legibus ſuſtulit, quam Galliarum Regis ſemper oppreſſerunt. Ille [b]: *Item de arboribus, vel petris, vel fontibus vbi aliqui ſtulti luminaria vel alias obſeruationes, faciunt, omnino mandamus, vt iſte peſsimus vſus, & Deo execrabilis, vbicumque inuenitur, tollatur & deſtruatur* [c]. Deinde. *Si in alicuius presbyteri parochia, infideles, aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, aut ſaxa venerantur, ſi hoc eruere neglexerit, ſacrilegij reum ſe eſſe cognoſcat.*

[a] Concil. Afric. ca. 51.

[b] Capitul. li. 1. §. 64.

[c] cap. lib. 7. §. 236.

Qui verò ſint Diui lapides apud Lampridium [d] nō ita vulgatum. Scribit ille. *Lapides qui Diui dicuntur ex proprio templo Dianæ Laodiceæ, ex adyto ſuo in quod id*

[d] In Elagabal.

Oreſtes poſuerat, auferre voluit. Turnebus[a], putat Lapides Diuos, eſſe ſimulachra deorum, veteréſque inde per Iouem lapidem iuraſſe. Quod longè à vero eſt. Optimè Caſaubonus noſter de famoſo ſimulachro ab Oreſte & Iphigenia è Taurica ablato, ex Pauſania interpretatur. Suſpicor ex verbis authoris *ex proprio templo & ex adyto ſuo* mutilam lectionem, quam ex ipſo Pauſanialubens expleo[b]. *Lapides qui diui dicuntur ex proprio templo Dianæ lyceæ: illam Laodiceæ, ex adyto ſuo in quod Oreſtes poſuerat, auferre voluit.* Pauſanias enim lapidem narrat, qui ante ædem Dianæ Lyceæ iacebat & ſacer vocabatur: illúmque dicebant eſſe, ſuper quo Troëzeniorũ nouemuiri Oreſtem à matris cæde purgauerunt. Τὸν δὲ ἐμπρησθὲν τῷ ναῷ, λίθον καλούμενον δὲ ἱερόν, ἐφ' ᾧ ποτὲ αἵδρες Τροιζηνίων ἔννεα Ορέστην ἐκάθηραν ὑπὲρ τοῦ φόνου τῆς μητρός. Docet idem author[c] Laodicenſes Dianæ ſimulachrum Braurone auectum impetraſſe à Seleuco, & ſignum Deæ illud eſſe, quod olim è Taurica Oreſtes & Iphigenia ſuſtulerunt. Simulachrum priſci operis, Praxitelis fuit illius, qui marmore felix & clarus celebratur[d]. Hoc ſignum à Diuo lapide diuerſum eſt: licet lapides olim rudes pro ſimulachris colerentur, illíque quadrati Deorum nominibus & cultu inſignes eſſent. Qualis fuit qui Romam deportatus Peſſinunte, quem matrem Deûm incolæ eſſe dicebant. Cui non abſimilis fuit lapis Dianæ Paphiæ. Hic enim non effigie humana, ſed continuus orbis latiore initio, tenuem in ambitum metæ modo exſurgebat[e], Albæ Pyramidi omnino ſimilis. Τὸ δὲ ἄγαλμα

[a] lib. 30. adueſſ. cap. 16.

[b] In Corinthiacis.

[c] In Laconicis.

[d] Pauſan. in Atticis.

[e] Tacit. 2. hiſtor.

οὐκ ἂν εἰκάσαις ἄλλῳ τῷ ἢ πυραμίδι λίθῳ [a]. Cuius formam ex antiquis duobus numiſmatibus Græcis & gemma, Retulit Anton. Auguſtinus [b], ingenij artibus Praxitelis opere nobilior præſtantiórque.

[a] Maximus Tyrius ſermon. 38.

[b] Dialog. 5. numiſ. vet.

De quibus Dianæ Laodiceæ ſignum affabrè factum pro informi ſaxo, quale fuit Paphiæ, fruſtra acciperetur: vt nec ſignum illud nobiliſſimum lapis ſacer vocari vllo modo poſſet. Facit Liuius [c] ad hanc rem. *Prodigia*, inquit, *nuntiata quod in Cruſtumino Sangualis auis ſacrum lapidem, quem vocant roſtro cæcidiſſet.* Quis fuerit ſacer iſte lapis, ex iis quæ paulo ante eodem libro ſcripſit, ſciri poteſt. *Lapidem*, ait, *in agro Cruſtumino in lacum Martis de cælo cecidiſſe prodigium nuntiatur.* Non dubium eſt, quin lapis iſte lacu extractus, vt ſacer ab incolis aſſeruatus, venerationem habuerit & religionem. Vnde duplicatum prodigium ab eo

[c] li. 29. & 41.

quod Sangualem auem, Augures Romani magnæ quæstioni habuerunt[a].

[a] Plin. li. 10. cap. 7.

Sacrum saxum à sacro lapide diuersum est. Illud enim erat ædes in saxo excauata[b], quam Apuleius vocauit Speluncam frondibus inumbratam[c].

[b] Cicer. pro dom. sua.

[c] Apulc. 1. Florid.

Lapis pertusus à P. Victore in septima Rom. vrbis regione ponitur: Apud Sext. Rufum male scriptum lacus pertusus, mallem locus pertusus. Pertusum illum lapidem ita perpolio, vt credam eum esse qui in loco attacto, cum fulgur conderetur, positus fuit. Nefas enim erat locum illum totum integi:[d] Sed semper foramine aperto cœlum patebat.

[d] Festus in verb. Scribonianum.

Petra Taurobolata in veteri lapide Romæ nuper reperta est, cuius Iac. Sirmondus, mihi pro sua humanitate copiam fecit: ea hæc est.

ÆMILIA
SERAPIAS
TAVROBOLIVM. FECIT
PETRAM. TAVROBOLATAM
POSVIT
PER. SACERDOTE
VALERIO. PANCARPO
IDIB. MAIS. ANVLLINO. II
ET. FRONTONE. COS

Petra pro excauata rupe, vel loco manufacto accipitur, vt docet Aëlius Gallus[e], quod petræ positæ conuenire non potest, quæ ad rei gestæ memoriam cõstituta videtur. Taurobolio enim facto petra

[e] Apud Fest. in verb. petra.

hæc posita est, quæ nec Ara fuit, cùm illa ante Taurobolium factum fuisset erigenda. Petra igitur Taurobolata lapis est qui sacrificij monumentum ad memoriam posteritatis contineret. Et petram ponere dictum est, vt Templum ponere [a], pro exædificare, dedicare.

[a] Virgil. 6. Æneid.

Lapides quidem loquor qui cerebrum multis excutient: Illos ego ex antiquitatis ruderibus disiectis magno cùm labore & quasi ad Lapidicinas damnatus coaceruatos effodi. Scio enim scriptorum huius æui operibus idem fermè contingere quod ædificiis publicis: vt laudes modicæ, æternæ culpæ soleant permanere: Atque si vel in vnum impegerimus lapidem, maleuolorum obtrectationibus quasi de lapide empti dilaceramur. Præcones vndique prædicant nos, ineptè, imperitè, ridiculè, perperam authorum sensum capere. Ego verò (Antoni Præses clarissime.)

Nihil moror Lacones imi subsellij viros
Quibus verba sunt sine penu [b].

[b] Plautus in captiu.

Lapides, fateor, non quæsiui, quibus tempestas ignísque non noceat, vel qui contra inuidiam aut maleuolentiam incorrupti permaneant. Leuiore maceria circumseptum est multorum dierum opus. Quod tamen dirui non patiar, nisi arcæ Pontificum aliquid inferatur, quo ius illorum magis innotescat. Alioqui Musarum interdicto tuísque auspiciis, quoquomodo potero, possessionem meam defendam.

TEMPLORVM AEDIFICANDORUM ratio diuersa. Adtributa, areæ Piscina, fores, aræ Tripodes, mensæ.

CAP. VI.

TEMPLORVM ædificandorum non vna eadémque ratio fuit, sed ex triplici natura Deorum petebatur, qui aut fortes sunt, aut delicati, aut medij [a]. Fortibus vt Marti, Herculi, Mineruæ, ædes Doricæ seuerioris structuræ constitutæ sunt. Delicatis vt Veneri, Proserpinæ, Floræ, Corinthio genere, propter teneritatem operis factæ sunt: Mediis vt Iunoni, Dianæ, Baccho, constructæ Ionicæ, nec florida structura nec seuera. Horum omnium adtributa sunt areæ quæ sacris domibus aut publicis locis destinatæ. Hæ vsui publico, foro, reliquísque locis communibus constitutæ sunt, vt area Callidij, area radicaria [b] & similes. Quæ sunt loca in vrbe sine ædificio, ait Florus Iurisconsultus [c]. Quo magis miror Alciatum illius commentatorem, qui aream in vrbe nisi per translationem appellari arbitratus est. Ab areis ara Deûm dicta [d]. Tarquinius Priscus aream ad ædem in Capitolio Iouis, primus vouit bello Sabino [e]. Discretæ autem fuerunt areæ ab ædibus sacris. De quarum opportuno loco Vitruuius [f]. *Ioui*, inquit, *Iunoni & Mineruæ, in excelsissimo loco, vnde mœnium maxima pars conspiciatur, areæ distribuantur:*

[a] Vitruuius lib. 1. cap. 2. Philander. lib. 4. cap. 3.

[b] P. Victor. in 6. & 12. vrb. reg.

[c] l. 211. D de verb. sig.

[d] Varro li. 4 de ling. lat.

[e] Liuius li. 1

[f] lib. 1. ca. 7.

buantur: Mercurio in foro aut etiam vti Isidi & Serapidi in emporio: Apollini Patríque Libero secundùm Theatrum: Marti extra vrbem sed ad campum: cæteríque Diis ad Sacrificiorum rationes sunt distribuendæ. Areæ ergo templorum partes non fuerunt, sed appendices & adtributa, Quæ propriè dotes templorum dici possunt. In his venales hostiæ proponebantur, cæteráque quæ ad sacrificia pertinebant. M. Tullius clarè[a]. *An cum in Æquimelium,* inquit, *misimus, qui afferret agnum, quem immolemus, is mihi agnus affertur, qui habet exta rebus accommodata, & ad eum agnum non casu sed duce Deo seruus educitur?* Æquimelium domum Sp. Melij in aream complanatam esse vulgatiùs est, quàm moneri quemquam oporteat: Cuius substructionem T. Quintius Flaminius & M. Claudius Censores locauerunt[b]. Substructionem voco structuram & fabricam, quæ ea fuit super Æquimelium vt tecto solum tegeretur ad arcendas emptoribus venditoribúsque cœli iniurias, quibus antea exponebantur[c]. De area illiúsque legibus, Lapis Romæ vetus, qui multam vetustate ipsa suauitatem habet.

[a] lib.2.de diuinat.

[b] Liuius li.4 & lib.38.

[c] Vitruuius lib.5. cap.3.

61. 3. HÆC. AREA. INTRA. HANC. DEFINITIONEM. CIP PORVM. CLAVSA. VERVBVS. ET. ARA. QVÆ. EST INFERIVS. DEDICATA. EST. EX. VOTO. SVSCEPTO QVOD. DIV. ERAT. NEGLECTVM. NEC. REDDITVM INCENDIORVM. ARCENDORVM. CAVSA. QVAN DO. VRBS. PER. NOVEM. DIES. ARSIT. NERONIA NIS. TEMPORIBVS. ET. HAC. LEGE. DEDICATA EST. NE. QVI. LICEAT. INTRA. HOS. TERMINOS ÆDIFICIVM. EXTRVERE. MANERE. NEGOTIARI ARBOREM. PONERE. ALIVDVE. QVID. SERERE ET. VT. PRÆTOR. CVI. HÆC. REGIO. SORTI. OBVE NERIT. LITATVRVM. SE. SCIAT. ALIVSVE. QVIS MAGISTRATVS. VOLCANALIBVS. X. KAL. SEPT. OM NIBVS. ANNIS. VITVLO. ROBIO. ET. VERRE

Alius est Narbonæ.

61. 5. Q. VIBIVS. Q. F. MAXIMVS
M. VARVS. L. CAPITO
PR. II. VIR. ARAM. VOLCANO
MACERIAQ. AREAM
SÆPIENDAM. PISCINAM
QVE. EX. D. D
DE. PECVNIA. PVBLICA
FACIENDA. COER
Q. VIRBIVS. Q. F. MAXIMVS
PROBAVIT

Secundam hanc inscriptionem priori adtexui, quod in ea, piscina areæ coniuncta est. Piscinam pro ἱερῷ

ἐφείῳ viuario in quo piſces adſeruantur, fruſtrà hic acciperemus. Eſt enim Piſcina δεξαμενὴ, ὑδάτων δοχεῖα[a] aquarum receptaculum, ad ſacrificiorũ vſum, quibus aqua viua, maximè neceſſaria[b]. Piſcinam vero hanc viuam aquã habuiſſe & perpetuam cauſam, exploratum eſt, quod Narbonæ cùm area conſtructa ſit: Quæ Ciuitas interno mari alluitur aquarúmque penuria in vrbe aquæductibus ſubleuatur.

[a] Heſychius. gloſſ. vet.

[b] Virgil. 2. Æneid.

Ab areis ad Atria tranſeamus, quæ ſunt genus ædificij ante ædem continens mediam aream, in quam collecta ex omni tecto pluuia deſcendebat[c]. Atria ſacra tria Romæ nobiliſſima. Vetuſtiſſimum fuit Atrium libertatis, fuit Mineruæ & Veſtæ celeberrimum[d].

[c] Feſtus in verb. Atriũ.

[d] P. Victor in 8. Reg.

Templorum autem interiora, picturis aris ſimulachris commendatur. De picturis M. Tullius[e]. *Pugna*, inquit, *erat Equeſtris Agathoclis regis in tabulis picta præclarè. His autem tabulis interiores templi partes veſtiebantur, nihil illa pictura nobilius.* Sic L. Scipio[f] tabulas victoriæ ſuæ Aſiaticæ in Capitolio poſuit: & T. Sempronius Gracchus, cum proſperè aduerſus Pœnos ad Beneuentum pugnaſſet, ſeruorum maximè opera, quos liberos eſſe iuſſit: Digna res viſa eſt, vt ſimulachrum huius diei pingi iuberet in æde libertatis[g], quam pater eius in Auentino ex mulctatitia pecunia, faciendam curauerat & dedicarat. Nec vero interiores templi partes ſolùm, ſed fores ipſæ & aditus picturis & verſibus exornati[h].

[e] Act. 4. in Verrem.

[f] Plin. li. 25. cap. 4.

[g] Liuius li. 24.

[h] Cicer. pro Arch. poët. Virg. 1. & 6. Æneid.

His reſeratis foribus occurrunt aræ & ſtatuæ. Illæ quidem ad orientem ſpectabãt, & ſemper inferiores

simulachris fuere[a]. Harum altitudines sic sunt explicatæ, vt Ioui omnibúsque cœlestibus excelsissimæ: Vestæ, Terræ, Maríque humiles in mediis ædibus cõstituerentur. Vni autem Deo in templo aræ variæ, & ad minimum tres extructæ: sempérque impari numero, superis, Inferis pari. Prima quidem ara in medio templi, simulachro inferior: Secunda pro foribus vbi victimæ immolarentur: tertia, quæ fortè Anclabris[b], mensa quæ in sacrificando Diis anclatur, quod est, hauritur, ministratúrque. A' qua Anclator ὑπηρέτης[c] minister. Quidam monebat tertiam hanc aram infimam dici, Ciceronis[d], fretus loco, qui ait. *Cum Sulla in agro Nolano immolaret ante Prætorium, ab infima ara subitò Anguis emersit.* Sed infima ara pro ima parte aræ accipi debet[e]. Prima ara Deûm superorum fuit, Altare ab altitudine dicta. Nam inferis Diis altaria nunquam: Aræ vero Diis superis, inferis & terrestribus consecratæ[f]. Quare rectè D. Augustinus[g]. *Cur fides*, inquit, *Dea credita est, & accepit ipsa templum & altare?* In altaribus ignis adoletur[h], atque, vt ait, Arnobius[i], *Thura iniiciuntur altaribus ante ipsa numinum signa*: In aris nihil adoletur, sed crematur & consumitur. Adolere enim est propriè, igne puro, thure & precibus Deos ad altaria placare. Vt in Paphiæ Veneris templo tradunt sanguinem aræ effundere vetitum, sed igne puro altaria adolere[l]. Quod proprium Sacerdotũ fuit, sacrificio ad aras peracto. Tum enim adolere focos dicebantur, hoc est votis & supplicationibus incenso thure numen auctius facere[m]. Altaris infra simulachrum formam habemus in nummis Domitiani.

[a] Vitruu. li. 4. cap. 8.

[b] Festus in verb. Anclabris & in verb. Escariæ.

[c] Gloss. vet.

[d] li. 1. de diuinat.

[e] Val. Max. lib. 1. cap. 6.

[f] Seruius eclog. 5. & 3 Æneid.

[g] lib. 4. de ciuit. ca. 10.

[h] Festus in verb. altaria.

[i] lib. 7.

[k] Seru. 1. Æneid.

[l] Tac. 2. hist.

[m] Lactant. 2. Thebaid.

Altaria tamen pro aris etiam vſurpantur. Sic Ariſteas[a] altare cum fumario narrat, quo incenſæ hoſtiæ fumus euaneſceret. Funarium illud qua ratione conſtructum fuerit minus mihi notum. Nam Aræ ſub Dio aut pro templi veſtibulo ædificatæ. Extra templum in nummis Auguſti ara ſignata eſt.

[a] li. ad Philocratem.

Et circa Aras immolabantur hoſtiæ, quarum ſanguine illæ tingerentur extáque cremarentur aræ ipſius focis. Atque vt hoſtiarum cruor dilui poſſet, ad aræ baſim frequentes fiſtulæ erant, quarum fluxu atque impetu continuo pauimentum lauaretur atque purgaretur. Aræ autem ſine ſacris ædibus extant pluri-

mæ, quæ à P. Victore referuntur. Ara & ſtatua in iiſdem Auguſti nummis viſitur.

a In Aſinar. Ad hos & ſacrificia fieri Plautus docet[a].

Siquidem, mihi ſtatuam & aram ſtatuis,
Atque vt Deo mihi immolas bouem.

Quin aræ huiuſmodi ſuos habuerunt ſacerdotes. Vetus lapis.

29. 11.

. . . . . .

M. ANTONIVS
EQ. R. DEC. M. APVL
SACERDOS. ARÆ
AVG. N

Signum Phetrium cùm ara ex iiſdem inſcriptionibus occurrit Romæ.

SIGN. GENIO
VESBINVS. AVG. L 215. 1.
PHETRIVM
AVGVSTRALIBVS
CVM. AR. GENI
MVNIC. CÆRIT
DONVM. DEDIT
DEDIC. IIII. ID. IVN
Q. MINNIO. HASTA
P. MANILIO. VOPISCO. COS

En Phetriũ Anguſtalibus, cùm ara Genio Municipij. Et Phetrium ſcriptum pro Phatrium φάτειον locus in quem conueniunt Curiales, Ὅπος ἐν ᾧ οἱ τῆς αὐτῆς φατείας συνήγοντο, Ex Euſtathio[a]: Cui verbo ρ literam poſtea additam tradit. Iulius Pollux φρήτειον ἐκάλουν, ἱερὸν ὁ συνήεσαν & φρατεία. [a] Iliad. β.

Fuerunt aræ priuatæ, quas quiſque in ſuo ſtatuebat, quales in antiquis inſcriptionibus produntur multæ, quæ aut funebres aut honorariæ. Quarum nullæ religionem ipſi loco adferebant, niſi eſſent conſecratæ: Conſecratio autem ex lege Papiria Comitijs Curiatis permittebatur[b]. Quod quidem poſterioribus temporibus exoleuit, quibus aræ adſtante ſacerdote dedicabantur. Lapis Romæ. [b] Cic. pro dom. ſua.

ARA. POSITA. ASTANTE. SACERDOTE. SEX 129. 6.
CREVSINA. SECVNDO. VT. VOLVERANT. MA
XIMVS. ET. MAXIMINVS. FILI. IMP. COMM
ODO. AVG. PIO. FELICE. IIII. ET. VICTORINO. II. COS.

Sed de Aris ea habeo dicere, non quæ templa veterum, quæ dudum vitium fecerunt, aliqua ex parte reſtituam; Sed vt ex rutis cæſis recipiam aliquid, quod ornandi cauſa aptè & loco poſitum videatur. Ara fuit Romæ in Capitolio [a], ab Auguſto poſita, cum ipſe Pithium Apollinem conſuluiſſet, quis poſt ſe eſſet regnaturus. Cui ille: Puer hebræus Diis beatior imperans iubet me hanc ædem relinquere. Auguſtus ab Oraculo reuerſus, in Capitolio erexit aram Romanis literis inſcriptam.

[a] Suidas in verb. Αὔγυστος.

HÆC. EST. ARA. PRIMOGENITI. DEI

Alia eſt inſcriptio quam ponendam curauerunt, Septimius & Antonius, Aurelio Septimio Romano militi.

17. 9. DEO. QVI. EST. MAXIMVS

Nota eſt quæ Athenis in Areopago ΑΓΝΩCΤΩ. ΘΕΩ [b]. Huic Deo vero & maximo qui mihi cognitus ex fide eſt, Pontifici facto in æternum, cuius templum ſumus, quod ſanctum eſt, meritos honores reddere ecquid poſſum? Ita mihi ſit volens propitiúsq; vt ex falſæ religionis ſpoliis illius gloriæ trophæum ſtatuere, atque ex falſis vera cernere cõcupiſco. Nam primus ſapientiæ gradus eſt falſa intelligere [c]: Secundus vera cognoſcere, quæ antiquitatis ignoratione nouis opinionum præſtigiis nimis heu! nimíſque lædunt̃ur. Nos vero hoc agamus, & de aris reliqua abſoluamus, quarum vicem retinuerunt tripodes Apollini ſacri, vt crudele Diocletiani factum demonſtrat.

[b] Act. 17.

[c] Lactant. lib. 1. Inſtit. cap. 23.

monſtrat[a], qui Nicomediæ cum Chriſtiani in natali domini conueniſſent, Ianuas eccleſiæ claudi iuſſit, & ignem circumcirca parari, tripodémque cùm thure pro foribus poni, ac præconem magna voce clamare, vt qui incendium vellent effugere, foras exirent & Ioui thus adolerent. Sed ſpretis ignibus, eo die omnes naſci meruerunt in cœlis quo Chriſtus in terris, pro generis humani ſalute. Salus quidem certè illa falſo in nummis Auguſti Triumuiris attributa, cùm Tripode, humi adſidente concordia, quæ ab iis Remp. euertentibus proſtrata penitus langueſcebat.

[a] Martyrolog. 25. dec.

Menſæ quoque in templis ſi dicatæ erant ararum vicem præſtabant. Et menſa Arulæq; , vt in Papyriano iure relatum eſt, eodem die quo ædes ipſa, dedicari ſolebant[b]. Vnde mēſa hoc ritu dicata in templo, aræ vſum & religionē obtinebat pluuinaris, de quo mox dicturi ſumus, cum de cæteris templorum ornamentis. Super menſam hanc vinum libabatur, vt ſuper aras victimæ libatio fiebat. De Aris Arnobius[c]. *Altaria*, inquit, *ſuper ipſa libamus, & venerabile viſcus Car-*

[b] Macrob. 3 ſat. cap. 11. Seru. 8. Æneid.

[c] lib. 7.

bonibus excitamus extinctis. Ita lego non vt vulgus *miscus* cuius loco Gelenius reposuit Cnissas, alij quærendum aliquid putauerunt, quod in ipso authore eadem pagina inuenitur. Ille enim: *ne malè transuoratum subsiderit viscus, succurrite.* Et paulò post, *si aliquod viscus, aris fuerit traditum, dissolutum in cinerem labitur.* Suetonius de Vitellio[a]: *Homo sordidæ gulæ ne in sacrificio quidem vnquam aut itinere vllo temperauit, quin inter altaria ibidem statim viscus & farra penè rapta foco manderet.* Viscus ego ἰζὸς ea pars est hostiæ, quo omento & adipe operiebatur, supráque aram cremabatur.

[a] In Vitel. cap. 13.

Mensas Sacras Dionysij tyranni impietate pudet onerare, hic argenteas de omnibus delubris iussit auferri, in quibus more veteris Græciæ scriptum erat BONORVM. DEORVM. Vti se eorum bonitate velle dicebat, ait Tullius[b], quos tandem vindices est expertus. Obruta vetustate (Antoni Præses amplissime) vt possum eruere conor. Neque enim eò quo peruenire cupio semitæ tritæ, multáque properantem me retinent & abducunt, quæ fortè currentes alios poterunt retinere aut incitare.

[b] Cicer. 3. de nat. deor.

DE ORNAMENTIS ET PARtibus templorum. Imaginibus & statuis.

CAP. VII.

ORNAMENTA templorum fuere plurima & eximia, inter quæ statuæ & imagines pri-

mum sibi locum possunt iure vendicare. Harũ enim causa templa ferè omnia statuta sunt, quorum consecrationem in librum sequentem reiecimus. De illa tamen hoc loco tractandum aliquod est: Atque vt arbores in confinio positę in vtróque agro facile serpunt: Sic res omnes quæ Pontificum iura continent, facilè in quouis loco radices agunt, & sępius effossæ, vberiores quandoque fructus ferunt. Imagines consecratæ fuerunt aut honorariæ aut priuatæ. Rectè Martianus Iurisconsultus[a] docet: *Non contrahere crimen maiestatis eum qui imagines Cæsaris vendidit, nondum consecratas.* In quo diutiùs non immorarer, ni vir cuius mihi recordatio & memoria amore literarũ semper iucunda erit, paulò imprudentiùs, prudentiores nostros esset insectatus. Scripsit Tacitus[b]. *Fanalio obiectum, quod venditis hortis Augusti statuam simul mancipasset. Quæ vbi Tiberio notuere, scripsit Consulibus non ideo decretum patri suo cœlum, vt in perniciem ciuium is honos verteretur. Nec contra religiones fieri, quod effigies eius, vt alia numinum simulachra, venditionibus hortorum & domuum accedãt. Rideamus & eò magis rideamus* (inquit vir ille alioquin non intemperans) *quod Iurisconsulti repertum etiam aliquod discrimen hac in re tradunt. Iure exagitat purpuratos illos stipites Tertullianus.* Itáne, inquam? Ecquis hoc expectasset ab homine politioris literaturæ? rideamus! Ego verò hominis imperitiam in aliis peritissimi in stomacho riderem, dum puerilitер lapsus est. Nam Imperatorum imagines vt Deorum, aut sacræ erant aut honorariæ aut priuatæ. Priuatæ domi affixæ, domus portio sunt[c], licèt plerún-

[a] l. 5. & 6. D. ad leg. Iul. maiest.

[b] lib. 1. Annal.

[c] l. 12. §. Papinianus D. de instr. & instrum. leg. l. 24. D. de verb. sig.

que ornatus ædium causa paratæ sint: atque tãquam pars ædium vendi poterant. Priuati enim iuris erant. Sacræ aut honorariæ, sine crimine maiestatis non poterant. Nam imagines & statuæ in honorem principum publicè positæ, publici iuris erant[a], extra priuatorum commercium. Sacræ enim diuinitatis creditæ sunt participes, & à nullo sine scelere tractari potuerunt. Nam cum proximum esset Sacrilegio, maiestatis crimen[b], qui statuas principis consecratas vendiderat, & lege Iulia maiestatis tenebatur, & sacrilegij & peculatus. Diui enim Imperatores ad fidẽ numinis consecrabantur. Diíque ipsa ἀποθεώσει credebantur[c]. Hæc mentem Tertulliani explicant, qui testis in Iurisconsultos aduocatur, cum esset ipse Iurisconsultissimus. Iam ergo quomodo illos agitarit, videamus, *Publicos*, ait Tertullianus[d], *æquè publico iure fœdatus. Si Capitolium, Si olitorum forum petitur, sub eadem voce Præconis, sub eadem annotatione quæstoris diuinitas addicta conducitur. Dij verò qui magis tributarij magis sancti: Imò qui magis sancti magis Tributarij. Maiestas quæstoria efficitur; circuit Cauponas Religio mendicans; exigitis mercedem pro solo templi, pro aditu sacri; non licet Deos nosse gratis, venales sunt.* Omitto quæ Franc. Zephyrus pluribus verbis ad huius loci explicationem attulit, qui inter manubias deos captiuos veniisse suboluit. Sed de conductione Tertullianus agit, non de venditione. Vtramque nos breuiter attingemus. Inter vectigalis deos & tributarios Tertullianus discrimen constituit. Nam vt Tributum à Ciue Rom. cõferebatur, Tributúmque Imperatori[e].

[a] l. 41. D. de acq. rer. dom.

[b] l. 1. D. ad leg. Iul. maiest. l. 5. D. ad leg. Iul. pecul.

[c] Herodian. lib. 4.

[d] In Apolog. cap. 13.

[e] Varro li. 4 de ling. lat.

Ita dij Tributarij dicti sunt quibus populus vltrò stipem inferret, & Venales, quod illorum fauor pretio aliquo pararetur. At vectigales dij populi Ro. non fuerũt, quos ab authore sic vocatos certum est, quod illorum Agri publicanis locarentur, ni lege censoria essent excepti[a]. Vectigalia locare nusquam licebat nisi Romæ[b]. Quæ à Ciuibus Romanis non exigebantur, nisi Portorij nomine, vel Decimarum, vel Scripturæ, vel Salis, vel Vicesimæ. Quare vectigales dij dicti vt vectigales agri, qui & ipsi plerique ex hostibus capti vectigalibus subijciebantur[c], vt illorũ statuæ & imagines ex hostibus captæ, nullam amplius religionem, nullam venerationem habebant, venaléſque iure haberi poterant vt profanæ. Nam cum loca essent capta ex hostibus, omnia desinebant religiosa vel sacra esse, meritóque in fiscum cogebantur[d].

[a] Cicer. 3. de nat. deor.
[b] Cic. 2. in Rul.
[c] Hygin. li. 2.
[d] l. 35. D. de relig. & sumpt fun. l. 4. D. de sepulchr. viol. l. 31. D. de iur. fisc.

Ambracia capta M. Fuluius in Senatu accusatus, quod templa tota vrbe spoliasset ornamentis, simulachra Deûm, Deos demùm ipsos conuulsos ex sedibus suis abstulisset, parietes postésque nudatos, & quos adorarent, ad quos precarentur & supplicarẽt, Ambracienſibus non superesse[e]. Cum hæc agerentur, C. Flaminius Consul Fuluij absentis causam excepit. *Ambraciam*, inquit, *oppugnatam, & captam & signa inde ornamentáque ablata & cætera facta quæ captis vrbibus soleãt, negaturum aut me pro M. Fuluio, aut ipsum M. Fuluium censeris? P. C. Qui ob has res gestas triumphũ à vobis postulaturus sit. Ambraciam captam signáque quæ allata criminantur & cætera spolia huius vrbis ante currum laturus, & fixurus in postibus suis.* Q. Fabius qui:

[e] Liuius li. 38.

Tarentum recepit, cùm à quæstore rogaretur, quid de Diis Tarentinorum fieri placeret. Linquamus, ait, Tarentinis Deos suos iratos[a]. Herculis tamen statuam Romam trãsportauit, qui omnia signa eodem iure potuisset. M. Marcellus humanior, qui Syracusis captis, signa picta, quibus interiores templi partes vestiebantur, cum victoria sua profana feciſſet, tamen religione impeditus non attigit[b]. In potestate igitur Imperatorum fuit vrbibus captis victarum gentium Deos aut illis relinquere aut amouere & vsibus suis applicare. Hoc querebatur M. Cato[c] in oratione quam scripsit, *vti præda in publicum referatur. Miror*, inquit, *audere & religionem non tenere, statuas Deorum exempla earum facierum, signa domi pro supellectile statuere.* Hoc Virgilius[d]. Iuris Pontificij peritissimus in Turni precatione obseruauit.

[a] Cicer. de Senect.

[b] Cicer. act. 4. in Ver.

[c] Priscian. lib. 6.

[d] 12. Æneid. & ib. Seru.

Colui vestros si semper honores
Quos contra Æneadæ bello fecere profanos

Profanum enim propriè dicitur, quod ex religiosa re, in hominum vsum conuertitur & profanum est quod sacrum fuit & esse desiit.

Mihi in hæc scribenti occurrit, quod in Chronicis Belgarum, de Adolpho Imperatore aliquando notaui. Qui cum inconsultiùs Philippo Galliarum Regi scriberet: ab Atrebatensi Comite Regio nomine hoc responsum solùm accepit. *Germane nimius es.* Et nimius forsan ego, ex nimio otio, non odio: pax enim mihi cum mortuis, & cum viro præsertim illo, qui non sine magno rei literariæ funere, vita fruitur certiore. Sed quicumque alius iuris au-

thores verbo violarit, videns viuúsque ille pereat.

Sacras imagines vel ſtatuas quas εἴδωλα nuncupamus diuino afflatas numine, veteres Romani crediderunt, illáſque vt Deos ipſos ſunt venerati. Quod tamen prudentiores illius ſæculi reſpuiſſe, vel vnus Tullius teſtis eſſe poteſt[a]. *Quis*, ait ille, *tam cæcus in contemplandis rebus vnquam fuit, vt non videret ſpecies iſtas hominum collatas in Deos, quo facilius animi Imperitorum, ad Deorum cultum à vitæ prauitate conuerterent, aut ſuperſtitione, vt eſſent ſimulachra quæ venerantes Deos ipſos adire crederent?* Quod idem Agrippina Tiberio ſacrificanti obiiciebat[b]. *Non enim eiuſdem*, ait, *eſſe mactare D. Auguſto victimas & poſteros eius inſectari. Non in effigies mutas diuinum ſpiritum tranſfuſum.*

[a] Act. 4. in Verrem.

[b] Tacit. li. 4 Annal.

SIMVLACHRA, SIGNA, Sigilla, Clypei.

CAP. VIII.

SIMVLACHRA lignea aut fictilia potius in Delubris Diis dicata vſque ad Aſiam deuictam Plinius narrat[c]. Agnoſcit tamen Romæ ſimulachrum ex ære factum Cereri primum ex peculio Spurij Caſſij trecentis annis ante Aſiam deuictam. Damnatus enim Spurius Caſſius Tit. Sicinio & C. Aquilio Coss. anno vrbis CCLXVII. Bellum

[c] li. 34. cap. 7

Asiaticum indictum & confectum L. Cornelio Scipione & C. Lælio Coss. Anno DLXIX. Rectè ergo scripsit Plinius *potiùs* quod non ita frequens erat ad illam ætatem. M. Varro [a], *Quid inter hos Ioues*, ait, *interfit, & eos qui ex marmore ebore & auro fiunt possumus aduertere, & horum temporum diuitias & illorum paupertates.* Tale fuit celeberrimum illud Dianæ Ephesiæ simulachrum, quod alij ex ebore fuisse tradiderunt: Alij vt Martianus ter Consul ex iis qui proximè viso eo scripserunt, vitigineum & nunquam mutatum, septies templo restituto [b]. Quod ideo dico ne quis marmoreum illud simulachrum sibi fingat, vt hodiè prædicatur: quod alij ex Cedro prodiderunt [c], omnésque in eo consensere vt ligneum illud adfirmarint.

a lib. 11. de vet. pop. Rom. apud Nonium.

b Plin. li. 16. cap. 40.

c Vitruu. li. 2. cap. 9.

Simulachra pro statuis cõsecratis: Statuæ pro honorarijs poni solent: quæ ab authoribus confunduntur. Illarum vir politissimi [d] ingenij hanc attulit differentiam, non vulgarem. Vt quæ Diis fiebant sint εἰδωλα; quæ Heroibus ξόανα; quæ regibus ἀνδριάντας; quæ sapientibus εἰκελα: quæ bene meritis viris βρέτεα.

d Philand. ad Vitruu. lib. 2. cap. 8.

Honorariæ statuæ decreto senatus positæ sunt Romæ: In municipiis decreto Decurionum. Cum imaginem quãdam Augusto Liuia dedicare statuisset, Tiberius non permisit, nisi ex Senatusconsulto [e]. Postea vetuit Caligula viuentium cuiquam vsquam statuam aut Imaginem nisi consulto se, & authore poni [f]. Hunc posteriores Principes sequuti. Nam ad postulationem ciuitatum, illorum rescripto statuæ pone-

e Dio li. 57.

f Sueton. in Calig. ca. 34

ponebantur benemeritis: Principi vero nō nisi beneficio ab illo impetrato [a]. Honos maximus stāte Rep. fuit statua in Rostris aut in foro posita[b]. Hic primùm mos fuit apud græcos, qui paulatim apud omnes gentes inualuit, vt honorem hominibus habitum in huiusmodi monumentis nónulla religione Deorum consecrari arbitrarentur [c]. Romæ tamen statuæ honorariæ nihil religionis habuerunt [d]. Ideóque illas vt fana quæ à populo, aut priuatis Augusto facta sunt Tiberius dedicauit, partímque sacranda Pontificibus dedit [e]. Statuæ in antiquis inscriptionibus frequentissimę, in quibus honotis loco fuit, vel locus illis adsignatus. Atque in illarum dedicatione panis & vinum epulantibus datum. Signa eiusdem generis fuerunt, quæ aut sacra aut honoraria aut priuata: De priuatis hoc vnū moneo, antiquitatis amatores ea tanti precij feciſſe, vt in auctione signum æneum non magnum LLS. CXX. millibus vænierit [f]. Nam qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis. Eorum tamen tanta erat copia, vt tria millia in scena M. Scauri Ædilitate visa sint [g]. In nostra Gallia Paulus Petauius Senator, cuius beneuolentiæ signa multa habeo, plurima habet exquisita, quæ multo pretio æstimari possunt. Et vix scio an quis alius, vbi vbi, sit antiquitatis supellectilem habeat ampliorem. Simulachra Corolitica in antiquis lapidibus dedicata sunt. Prænestę.

a l. 26. C. de Episcop.
b Cicer. Philip. 5.
c Cic. act. 7. in Verr.
d l. statuas. D. de acqu. rer. dom.
e Dio lib. 57
f Cic act. 9. in Ver.
g Plin. lib. 34. cap. 7.

79. 6.

FORTVNÆ
PRIMIGENIÆ
TI. CLAVDIVS
THERMODON. ET
METIA. M. F
LOCHIAS. EIVS
SIMVLACHRA. DVO
SPEI
COROLITICA. D. D

Lochias verbum tractum à Græco λοχία, ἡ τῶ τεκεῖν ὠδῖνας[a], Obstetrix quæ partum accelerat. Sic multa Græcorum vocabula corrupta in has inscriptiones irrepserunt, vt supra de Phetrio notabamus. Corolitica verò simulachra dicuntur fortè à Corollis & ornamentis florum frondiúmque, quibus Columnæ queis simulachra innitebãtur, coronario luxu decorantur, foliis flores & fructus intercursantibus. Ne quis malit ex Iac. Sirmundi cõiectura legere CORALITICA. quod genus est lapidis in Asia ebori simile[b]: Quod vt probabile est, Sic vtrumque venustum. Quare vt Sirmundi coniecturam amplector, Sic à mea interpretatione non discedo. Honorariæ imagines habuerunt tamen nonnullam aliquando religionem, quemadmodum quæ in templis ponebantur: vt Scipioni in Capitolio, atque in ipsa Iouis cella[c]: Catoni superiori in Curia: nonnullis in cubiculo principis[d], quæ cubiculares & ab ipso principe coli solitæ, quæque etiam suos habuerunt cultores, quos inscriptiones loquuntur. Romæ.

a Iul. Pollux.

b Plin. li. 36 cap. 8.

c Val. Max. lib. 8. cap. 16

d Sueton in August ca. 7 Tertul. li. de orat ca. 12. & lib. aduers. Valentin. ca. 12

IMAGINVM. DOMVS
AVG. CVLTORIB. SIGNVM
LIBERTATIS. RESTITVTÆ
SER. GALBÆ. IMPERATORIS. AVG
CVRATORES. ANN. SECVNDI
S. P. D. D

238. 11.

Hoc quidem de imaginibus, ſtatuis, ſimulachris, ſignis adumbraſſe ſat eſt. Nam qui illa omnino pingere aut effingere vellet: ea eſt colorum varietas & formarum, vt Heracleoten, Zeuſim Phydiam poſſit æmulari aut adæquare, vel etiam ſuperare. Vnum pene obmiſeram, ſigna illa non in templis ſolùm & lucis dicata, ſed in ipſis vrbium portis [a] collocata.

[a] Cicer. de prouinc. cõſularib.

--tum portas propter ahæna
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu [b].

[b] Lucret. li. 1

Illa quidem veſtibus induta fuiſſe docet Varro [c]. *A quibuſdam*, ait, *dicitur eſſe virginis fortunæ ſimulachrum, ab eo quod duabus vndulatis togis eſt opertum.* Veſtes illas ex ipſo lapide expreſſas credit vir doctiſſimus: cuius opinio à Tertulliano refellitur. *Nam ipſis Idolis prætextæ & Trabeæ, & laticlaui, faſcéſque & virgæ præferebantur* [d].

[c] Apud Nou. in verb. vndulatum.

[d] li. de idololatr. ca. 18

Sigilla ſunt parua ſigna in ſuis ædiculis poſita, nos Nichias dicimus quaſi parietum honeſtamenta [e]. Quæ & Sigillaria & ſigilliola [f], quos etiam Deos cenſebant, ſi eſſent conſecrata.

[e] l. fundi § ſi ruta. D. de act. empt.

[f] Arnob. li. 6

Clypei imaginum prominentia commendantur.

Clupeum armorũ Clypeum imaginis dicunt Grammatici[a]. Alij Clupeum ἀσπίδα, Clypeum ornamentum. Nos verbis non inhæremus diutiùs: satiúsque est hoc vnum scire Clypeos in sacro vel publico loco dicare, primum Appium Claudium instituisse. Posuit hic in æde Bellonæ maiores suos, placuítque in excelso spectari & honores eorum legi. *Decora res,* inquit Plinius[b], *vtique si liberorum turba paruulis imaginibus, seu in nidum aliquem sobolis ostendat.* Apud omnes nomen magnum Martij ducis: Monumentum Victoriæ eius de Pœnis vsque ad incensum Capitolium fuit in templo, cùm imagine Asdrubalis, Clypeum Martium appellatum[c]. De Clypei dedicatione vetus lapis.

[a] Cornel. Fronto de differ voc. Caper de Orthograph.

[b] li.35.cap.3

[c] Liuius li. 25.

NESTORI
AVG. NEPETE
HIC. LVDOS. FECIT
ET. DEDICATIONE
STATVÆ. PATRONI
QVAM. IPSE. POSVIT
ET. CLVPEI. SVI. ITERVM
MVNICIPIBVS. NEPESTINIS
EPVLVM. DEDIT

441.7.

Ab hac alia inscriptio castigari potest. Nemausi.

D. M
CAIVS. DEDICA
TIONEM. ET
CLYPEI. SIMPI
DEDIT

496.4.

Pro SIMPI reponendum SVI. EP. quod est Clypei sui epulum dedit. Illud cùm notis scriptum esset, facilè cohærere literæ malè potuerunt. Hæc tamen excitatio magis sit quam castigatio. Clypeorum forma, qui frequentius in Basilicis ponebantur, ex nummis Augusti & M. Lepidi hæc nobis datur.



SACRARIVM, DONARIVM, Tholus, Lectisternium, Puluinar, Fastigium, Sacri postes, Aulæ.

CAP. IX.

TEMPLORVM partes & ornamenta reliqua absoluamus, quæ Cæmentitias à nobis structuras, non quadratos lapides quærunt. Sacrarium locus erat in templo in quo sacra reponerentur: Donarium vbi collocarentur oblata: Tholus in quo suspenderentur[a]. Sacrarium igitur ἱερόφυκτον Ναϊσκάειον[b], præcipua pars

[a] Seru. 3. & 12. Æneid.
[b] Glos. vet.

templi τόπος κατώτατος locus in quo sacra instrumenta, effigiésque sacræ adseruabantur, vt Palladium, Penates, aliáque huiusmodi, quod & adytum, & in æde Vestæ Penum dicere possumus. Æneæ imago cùm Penatibus nummo expressa est.

Ab iis Penetralia propriè sunt Deorum Penatium Sacraria[a]. Μυχοὶ, ἀδύτα[b], quæ pro interiore domus parte accipiuntur. Vt Sacrarium principis; quod tamen pro interiore eius consilio vsurpatur. De hoc Arcadij Iurisconsulti verba sunt de Legatis qui ad Sacrarium principis mittuntur. De quibus Imperatores rescripserunt[c]: *vt quæcumque ciuitas ad Sacrarium nostrum voluerit ordinare, libera ei tribuatur facultas.* Illud Imperatorum Sacrarium secretum δικαστήριον intima conclauia, in quo iudicum Secretaria fuere[d]. Atque vt principibus statuæ & imagines consecratæ & priuatæ fuerunt: Sic Sacraria illis publica vel priuata. De publico Tacitus[e]. *Sacraria*, inquit, *gentis Iuliæ effigiésque Diuo Augusto apud Bouillas dicata.* Quod cæteri imperatores consequuti sunt, cùm ludis in Sacrarij dedicatione. Elegans inscriptio Romæ reperta

a Festus in verb. penetralia. Seru. 6. Æneid.
b Gloss. vet.
c l. fin. D. de munerib. & honorib. l. 8 de leg. & decret. l. 16. de hæretic. l. 11. de pœn. C. Theod.
d l. fin. C. de offic. diuers. iud. l. fin. C. vb. Senat. vel clarissim.
e lib. 2. Annal.

eſt nuper (quam cùm multis à Sirmondo accepi) qua Sacrariorum cura ab ipſis imperatoribus recepta.

IMP. CÆSAR. DIVI. NERVÆ. F
NERVA. TRAIANVS. OPTIMVS. AVG
GERMANICVS. DACICVS. PONTIF. MAX
TRIBVNIC. POTEST. XVIII. IMP. VII. COS. VI
SACRARIA. NVMINVM. VETVSTATE
DILAPSA. A. SOLO. RESTITVIT

Priuata Sacraria vnuſquiſque domi ſibi habebat, quibus ſuum adſignamus locum. De donariis nihil addo ad ea quæ paucis complexus ſum. Hæc abuſiuè pro templo vſurpantur. Tholus eſt veluti ſcutum breue quod in medio tecto eſt, in quo trabes coëunt, ad quem dona ſuſpendi conſueuerunt. Quæ tamdiu dona dici potuerunt, quamdiu non fuerunt profanata, Sicut in libris ſacrorum refertur [a]. Virgilius.

[a] Virgil 9. Æneid. & ib. Seru.

Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſi qua ipſe meis venatibus auxi
Suſpendiue Tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi.

His verſibus donorum differentia declaratur, quæ aut in Donario ſeruabantur, aut Tholo ſuſpendebantur. Tradunt tamen alij Tholum eſſe locum in media templi Camera, in quo vouentium primitiæ aut exuuiæ figebantur. Alij erectiores Cameras templorum Hemiſphæriis, id eſt, Cuppolis addi ſolitas, quas Tribunas & Laternas Itali vocant [b]. Quidam templi Cameram, quæ altiùs creſcens rotunda forma in

[b] Philander ad Vitruu. lib. 7. cap. 5.

fastigiatum cacumen desinebat. Seruij verior mihi opinio videtur, liberum est vnicuique quam velit ex aliis amplecti.

Lectisternia duorum generum fuerunt, vnum vbi homines in templo sedere consueuerant: Alterum ad Deorum epulum [a]. Introducit Plautus [b], lectisterniatorem domum, qui lectos epulantibus sterneret. *Tu esto lectisterniator, tu argentum eluito.* Quod Senatores aliquando fecerunt in templis, pro Decemuiris Sacrorum, qui ratione amplissimi Sacerdotij illud frequentiùs curauerunt [c]. De Lectisternio hoc ab Arnobio didicimus [d]. *Lectisternium,* inquit, *Cereris, erit Idibus proximis. Habent enim Dij lectos, atque vt stratis posśint mollioribus incubare, puluinorum tollitur atque excitatur impreśio.* Ab eo puluinar pro lectisternio quandoque sumitur. Et lectuli qui sternuntur in templo, superuenientibus, puluinaria dicuntur [e], quæ pro lectis Deorum dapibus onustis Lyricus canit [f]. Illa tamen à lectis plurimùm distant: Nam curato Lectisternio, & puluinaria in conspectu Deorum fuere [g].

Puluinar igitur κλίσυμα, τράπεζα θεῶν, tabulata in quibus stabant. Numina quæ ad templorum ornamenta cùm templis ipsis consecrabantur: licet mensa dedicata religionem quandóque obtineret puluinaris ex Papyriano iure [h]. Ad omnia templa supplicationes plerúmque decretæ sunt, atque templa illa intelliguntur in quibus puluinaria essent [i]: vnde etiã pro templis ipsis accipiuntur [k]. Templa enim nobiliora puluinar semper habuerunt. Quare vt Drusillæ templum

a Seru. 3. Georgic. & 12. Æneid.
b In Pseudol.
c Liuius lib. 22.
d lib. 7.
e Seru. 3. Georgic.
f Horat. li. 1 od. 37.
g Liuius li. 22.
h Macrob. 3. sat. cap. 11.
i Liuius li. 5 & 7.
k Seru. 3. Georgic.

templum conſtituit Caligula, ſic pulminaria[a]. Et Licinia Veſtalis, aram, ædiculam, & pulminar ſub ſaxo ſacro dedicauit. Potuit vero puluinar ab æde ſacra transferri, vt in regiam domum Pontificis publicam, in qua cum ſacra Bonæ Deæ fierent, Clodium Tullius accuſat quod ſtuprum intulerit puluinaribus Bonæ Deæ[b]. Fuit puluinar Solis qui colebatur iuxta ædem Quirini[c]. Sed Puluinar propriè locus eſt apparatus in templo, in quo ea diſponerentur, quæ in Sacrario vel Donario incluſa erant. Quod diebus ſollemnibus apud nos fieri conſuetum, in menſa quæ ab ædituis vulgo OPVS nuncupatur. In breuiario Auguſti notamus Octauiani puluinar ad Circum maximum. Cuius forma eſt in nummis Ænobarbi.

[a] Tacit. lib. 14. Annal. Senec. conſolat. ad Polyb. ca. 36.

[b] Cic. de Aruſpic reſp.

[c] Quintilian. lib. 1. inſtit. cap. 7



De faſtigio M. Tullius[d]. *Nec maiorem*, inquit, *honorem Cæſar conſequutus eſt ab Antonio, quàm vt haberet puluinar ſimulachrum, faſtigium*, Hoc ad faſtigiatum templum referendum eſt, magnificum illud auróque ſanctius, arte firmitatéque æui[e].

[d] Philip. 2.

[e] Vitruu. li. 7 cap. 5.

Poſtes templorum ſacri ſunt, in quibus ſpolia vel arma poſt multas palmas conſecrantur.

Quod Gladiator Veianius ad poſtem Herculis[a] fecit.

ſacris in poſtibus arma
Captiui pendent currus, curuæque ſecures[b].

Fuere Aulæ in templis, vt in Tribunalibus ſepta quæ turbas prohiberent[c]. Feſtra fuit oſtium minuſculum in Sacrario[d]. Templorum partes alias vt Iouis Olympij porticus, graphicè Vitruuius delineauit[e].

a Horat. li. 1 epiſt. 1.
b Virg. 7. Æneid. & ib. Seru.
c Seru. 7. Æneid.
d Macrob. 3 ſat. cap. 12.
e lib. 3. cap. 1

ORNAMENTA ARÆ, ARCVS Deorum. Muri & Portæ Ciuitatum. Lararia.

CAP. X.

EX IVRE Papyriano[f] in templis alia quædam vaſorum ſunt, & ſacræ ſupellectiles, alia ornamentorum. Quæ vaſorum ſunt, inſtrumenti inſtar habent, quo ſacrificia conficiuntur: Quarum rerum locum principem obtinet menſa, in qua Epulæ libationéſque & ſtipes reponuntur. Ornamenta vero ſunt Clypei, Coronæ, Donaria, & his ſimilia. Ex quibus vetus inſcriptio ornari poteſt & reparari. Romæ.

f Macrob. li. 3. cap 11.

SOLI. INVICTO. MITRE
M. VLP. MAXIMVS. PRÆ
POSITVS. TABELLARI
ORVM. ARAM. CVM
SVIS. ORNAMENTIS
ET. BELA. DOMINI
INSIGNIA. HABENTES
N. IIII
VT. VOVERAT. D. D

35. 1.

Ornamenta aræ ſunt coronæ laneæ, quibus aræ cingi ſolebant, cæteráque quæ ad illius decorem & ſacrificij rationem, in ara ipſa erant neceſſaria. Quæ etiam hîc ita accipio vt ornamenta columnarum in templis. Nam in lapideis ædium ſacrarum ædificationibus, artifices ſculpturis diſpoſitiones Columnarum ſunt imitati*. Quod & in aris obſeruarunt, in quibus ſculpta occurrunt plurima, vt Corollæ, Genij, Gryphi, Pegaſi, Corui, Catelli, quæ paſſim in inſcriptionibus notantur.

* Vitruu. li. 4. cap. 2.

Quî fit vt credam ornamenta aræ Mithræ, fuiſſe Gryphos, Coracas Leones & formas huiuſmodi quę in Iſiaca menſa pinguntur. Sed huius aræ ornamenta poſterioribus inſcriptionis verbis quadrare non videntur ni coniecturis iuuentur ipſa, ad quas demùm recurrendum eſt, cùm rerum verborúmque obſcuritas ea caligine mentes inuoluit, vt difficilis ſit indagatio veri ſenſus. Sic igitur reliquam inſcriptionem concipio. Vt cùm Sirmondo animaduertam fabrilè mendum, legámque

ET. TABELLAS. INSIGNIA. DOMINI. HABENTES. N. IIII

In Antiquis inſcriptionibus, crebra tabellarum huiuſmodi fit mentio[a], Quæ nobis obiiciunt tabulas pictas duodecim poſitas in Apollinis templo[b]. Ex quibus poſſumus interpretari notas, N. IIII. Numero quatuor. Nec tamen reſpuerem ſi quis legeret, *Tabellas inſignia domini habentes nomina quatuor.* Nam quatuor nominibus hîc Mithra decoratur, Cùm Sol, inuictus, Mithra, Dominus nuncupatur. Domini nomen illi proprium, Alia Inſcriptio docet.

a Inſcript. 110. 3.
b 174. 7.

SOLI. DOMINO

33. 4.

Niſi ſi inſignia in tabellis depicta, ſint Dracones, Gryphi, Corui, Leones. Hæc in medium conſulentis & diſceptandi more profero.

Arcus in antiquis Inſcriptionibus inuenio. Diis dicatos.

1068. 3.

IMP. T. VESPASIANVS
CÆSAR. AVG. VII. COS
MARTI. APOLLINI
MINERVÆ
ARCVM. VICAN
VINDONISSENSIS. CVRIÆ

Nunc à Sacris ad ſancta tranſeamus. Muri & portæ ciuitatum quodammodo diuini iuris ſunt[c]. Pontifices quidem vrbis muros ſanctos eſſe dixerunt, & diligētiùs vrbem religione, quàm ipſis mœnibus cinxerunt[d]: quæ *Auguſta mœnia* vocat Virgilius, id eſt, vt Seruius interpretatur Augurio conſecrata[e].

c l. 1. de rer. diuiſ.
d Cic. 3. de nat. deor.
e 7. Æneid.

In ritualibus Etruſcorum libris, quibus perſcriptum eſt qua ſanctitate ſint muri, quo iure portæ: Muri quidem à portis ſeparantur. Vt in libris Pontificum ſoli muri dicuntur ſancti, quos cum Remus tranſcendiſſet, omiſit Romulus pietatem & humanitatem, vt id quod vtile videbatur aſſequi poſſet. Muri enim cauſam oppoſuit, ſpeciem honeſtatis, nec probabilem nec ſaris idoneam [a]. Malè in pleriſque iuris exemplaribus ſcripta eſt lex Hermogeniani [b]. *In muris itémque portis & aliis ſacris locis aliquid facere quo damnum irrogetur, non permittitur.* Pandectæ Florentini legunt *& aliis ſanctis locis*, Portæ enim Ciuitatum ſanctæ ſunt ſed non ſacræ. Prudentes autem Etruſcæ diſciplinæ aiunt [c], apud conditores Etruſcarum vrbium non putare vrbes iuſtas fuiſſe, in quibus tres portæ non eſſent dedicatæ & votiuæ. Illas ideò quodammodo diuini iuris eſſe dicit Caius, tum propter dedicationem, tum propter ſimulachrorum ſanctitatem, quæ in portis vrbium collocabantur, quæque tranſeuntes ritu quodam religionis ſalutabant: erántque portæ ipſæ quaſi ſedes & templa Deorum. Quapropter ab ipſis diis portæ nomen vt plurimum ſortiebantur, vel imperatorum iuſſu priſco nomine commutato. Grationopoli.

[a] Cicer. 3. offic.

[b] l. 2. D. ne quid in loc. ſacro.

[c] Seru. in ſched.

167.1. & 2. D. D. N. N. IMPP. CÆS. GAIVS. AVREL. VALERIVS DIOCLETIANVS. PP. INVICTVS. AVGVSTVS. ET IMP. CÆSAR. MARCVS AVRELIVS. VALERIVS. MAXIMIANVS. PIVS. FELIX. INVICTVS. AVG. MVRIS CVLARONENSIBVS. CVM. INTERIORIBVS. AEDIFICIIS. PROVIDENTIA. SVA. INSTITVTIS. ADQVE PERFECTIS. PORTAM. ROMANAM. IOVIAM. VOCARI. IVSSERVNT

Iidem Imperatores.

PORTAM. VIENNENSEM. HERCVLEAM. VOCARI IVSSERVNT

Lararia religionem quidem habuerunt & ſanctitatem. Priuata enim erant ſacraria, quæ vnuſquiſque ſibi domi habebat in quibus cubiculares imagines reponerentur. In Larario ſuo Alexander Seuerus Diuos principes, ſed electos & animas habuit ſanctiores[a]: Inter has Chriſtum & Abraham quibus rem diuinam faciebat. Rectè in veteribus Gloſſis Sacrarium θυσιαστήριον. Rem enim diuinam domeſticis diis in ſuo Sacrario propè quotidiè faciebant, quod Penetrale beneficium dicebatur[b].

a Lampriđ. in Alexand. Seuero.

b Cicer. act. 9. In ver. Feſtus in verb penetrale.

Principibus duo fuere Lararia: primum quod matius, alterum quod minus eſſet. Idem Alexander Imp. Virgilij & Ciceronis imagines in Larario ſecundo poſuit, qui Alexandrum magnum in maiore tenebat[c]. Qui Larario præfectus erat is magiſter Larum vocabatur. Lapis vetus.

c Lampriđ. ibid.

MARTI. AVGVSTO
L. IVNIVS. MAVRVS. LARVM. AVG
MAGISTER. DEDIT
IVLIA. MAVRINA. F. DEDICAVIT

1068, 8.

Magiſter Larum dictus vt magiſter Sacrorum, magiſter Fani, magiſter Genij Cæſaris, qui in inſcriptionibus frequentiſſimi. Ille tamen alius fuit ab eo cui cura Lararij, commiſſa erat, de quo Suetonius [a]. *Puer qui cura Lariũ cubiculi ex conſuetudine adſiſtens, interfuit cædi.* Pueri illius munus fuit, vt eam curam diligentiámque adhiberet, qua in Larario rectè diſpoſita omnia eſſent. Decurio verò Cubiculariorum [b] idem fortè eſt qui Decurio Larum. Nam Cubicularij dij, ſunt Lares. Vterque cubiculares imagines curabant. Iuuat opinionẽ meam quod *Decurio Cubiculariorum*, nõ longè eſt à puero illo, cui cura Larium. Quamuis Decurio pro eo qui denis cubiculariis præerat accipi poſſit, qui Cubiculo ſacro adſidebant: Vt fuit Præpoſitus ſacri Cubiculi. Fuere Decuriones ſacri Palatij [c], de quibus in libris, quos de officiis domus Auguſtæ publicæ & priuatæ meditamur, nos σὺν Θεῷ quandoque plura.

[a] In Domitian. cap. 17

[b] Sueton. ibid.

[c] C. 25. de præpoſ. ſacr. Cubic. l. 1. C. 25. de decurionib. & ſilent.

Inſcriptio vetus eſt.

HYMNVS. CÆSARIS. AVG
VOLVSIANVS
DECVRIO. LARVM. VOLVSIANORVM

339, 9.

Sic Decurio ædis, Decurio Pontificum, Decurio Augurum in iiſdem inſcriptionibus legũtur. Nec prin-

cipes solùm sed priuati omnes domesticos & familiares Lares habuerunt, vbi Deos suos priuatim colerent. De his Celsus Iurisconsultus [a]. *Finge pauperem qui si reddere id cogatur, Laribus sepulchrisque auitis carendum sit.* Lares enim auiti à maioribus tradebantur, M. Tullius [b]. *Erat apud Heium Sacrarium magna cùm dignitate, in ædibus à maioribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima.* In priuatorum Lario Deorum imagines & virorum illustrium habebantur. Obiectum L. Vitellio viro miri in adulando ingenij, quod Narcissi & Pallantis libertorum Claudij, imagines aureas inter Lares coleret [c].

Tenuioribus loco Sacrarij aut Lararij fuerunt foci in quibus Lares suos colerent. Quod Lar Plautinus satis docet. His Laribus Καταικιδίοις θεοῖς aut Thure aut vino aut aliquo semper supplicabant, & coronas dabant [d]: Omnibus sollemnibus regum, incipiente Anno, incipiente mense [e]. Priuata illa Sacraria sancta fuerunt & religiosa sed non sacra. Quare interdictum *Ne quid in loco sacro fieret*, de sacrariis illis non competebat [f]. Quæ tamen ita sancta erant, vt ab iis ædium priuatarum sanctitas manaret [g]: Quod illic aræ, foci, dij Penates, sacræ religionis Ceremoniæ continerentur. Vnde aræ pro Penatibus dicuntur [h], & tractum prouerbium *pro aris & focis.*

a l. in fundo D. de rei vēdicat.

b Act. 5. in Ver.

c Sueton. in Vitel. cap. 2

d Plaut. in Aulul. prolog.

e Tertul. li. 2. ad vxor. cap. 6.

f l. 1. §. 1. D. ne quid in loc. public.

g Cic. pro dom. sua.

h Charis. li. 1

CAP.

DE DEDICATIONE.

CAP. XI.

NIHIL Sacrum fieri potuit nisi vel princeps illud dedicasset vel dedicandi dedisset potestatem[a]. Principem cùm Vlpiano dico, in quem lege regia potestas populi translata est. Stante enim Repub. à populo lege Curiata, tributis Comitiis lata, præfici debebat, qui dedicaret. Vetus est decretum Pontificum de domo Ciceronis[b]. *Si neque Populi iussu, neque plebis scitu qui se dedicasse diceret, nominatim ei rei præfectus esset: neque populi iussu aut plebis scitu, id facere iussus esset: videri posse sine religione eam partem areæ domino restitui.* Quo decreto Pontifices à Ciceronis domo religionem sustulerũt, quod eam sine populi iussu aut plebis scitu P. Clodius consecrasset[c]. Habent illorum Commentaria L. Cassium Censorem, cum de signo concordiæ dedicando ad Collegium retulisset, ei M. Æmilium Pontificem maximum pro Collegio respondisse: *Nisi eum nominatim populus præfecisset atque eius iussu faceret non videri posse rectè dedicare*[d]. Quare Senatus in loco augusto consecratam aram, tollendam ex authoritate Pontificum censuit, neque vllum passus est, ex ea dedicatione extare monumentum. Cum autem dedicationi aliquis à populo præfectus erat, satis fuit Collegio denuntiare Pontificum vt adessent

a l. 9. D. de rer. diuis.

b Cicer. li. 4. ad Attic. ep. 2.

c Cic. 4. ad Attic. ep. 1.

d Cicer. pro dom. sua.

ipsi, qui à Tribunopleb. pro imperio cogi potuerunt. Formula dedicationis nota est ex ipso Cicerone. ADES. ADES. LVCVLLE. SERVILI. DVM. DEDICO TEMPLVM. IOVI. ET. MIHI. PRÆEATIS. POSTEM QVE. TENEATIS. Nam Pontifices & præibant verba & postem tenebant. Lex dedicationis aræ in antiquis inscriptionibus sic scripta est.

33. 12. L. ÆLIO. CÆSARE. IMP. P. CÆLIO. P.F. BALBINO. VI BVLLIO. PIO. COSS. VII. IDVS. OCTROBRES C.N. DOMITIVS. VALENS. DVVMVIR. I. D. PRÆEVN TE. C. IVLIO. SEVERO. RONTIF. LEGEM. DIXIT IN. EA. VERBA. QVAE. INFRA. SCRIPTA. SVNT IVPPITER. OPTIM. MAXIME. QVANDOQVE. TIBI HODIE. HANC. ARAM. DABO. DEDICABOQVE. OLLIS. LEGIS. OLLISQVE. REGIONIBVS. DABO. DEDICABOQVE. QVAS. HIC. HODIE. PALAM. DIXERO, VT INFIMVM. SOLVM. HVIVS. ARÆ. EST. SI. QVIS. HIC HOSTIA. SACRVM. FAXIT. QVOD. MAGMENTVM. NEC PROTOLLAT. ITCIRCO. TAMEN. PROBE. FACTVM ESTO. CAETERAE. LEGES. HVIC. ARÆ. EADEM SVNTO. QVAE. ARAE. DIANAE. SVNT. IN. AVENTINO. MONTE. DICTÆ. HIS. LEGIBVS. HISCE. REGIONIB. SICVTI. DIXI. HANC. TIBI. ARAM. IVPPITER OPT. MAX. DICO. DEDICOQVE. VTI. SIS. VOLENS PROPITIVS. MIHI. COLLEGISQVE. MEIS. DECVRIONIB. COLONIS. INCOLIS. COLONIAE. MARTIAE IVLIAE. SALONAE. CONIVGIBVS. LIBERISQVE NOSTRIS

Regio [illegible] præfinita Deorum templa & circumi[illegible] quisita secundum instrumentum, si opus esset, [illegible] estimarentur[a]: Vt in luci consecratione [illegible] suffimentum aquibus compescere dicebant.

[a] Iul. Frontin.

[illegible] aræ siue instrumentum aræ vel templi, à tabula differebat, quæ in dedicatione cùm titulo supra valuas templi figebatur. Tabulam dedicationis profert Liuius, cùm L. Æmylius Regillus ædem confecto prælio aduersus præfectos Regis Antiochi vouisset, eam post annos quadraginta M. Æmylius Censor ex Senatusconsulto Laribus permarinis dedicauit, & hanc tabulam posuit[b].

[b] Liuius lib. 40.

. . . . . *Duello magno regibus dirimendo caput subigendis patrandæ pacis hæc pugna exeunti L. Æmylio M. Æmylij filio, auspicio, imperio, fœlicitate ductúque eius inter Ephesum Camuchúmque, in spectante Cos. ipso Antiocho, exercitu omni, equitatu, elephantísque classis regis Antiochi antea sic victa, fusa, contusa, fugatáque est. Ibique eo die naues longæ cùm omnibus sociis captæ quadraginta duæ, ea pugna pugnata rex Antiochus regnúmque eius. Eius rei ergo ædem Laribus permarinis vouit.*

Pontifex qui in dedicatione verba præibat, maxime dabat operam, vt illa nec præpedita nec balbutiente lingua pronuntiaret. Ne dedicatio, si verbo aberrasset, quasi minus ritè facta, instauraretur. Quæ res tenuit Metellum Pontificem adeo inexplanatæ linguæ hominem, vt multis mensibus tortus credatur, dum meditaretur, in dedicanda æde Opiferæ dicere[c]. Non prætermittam dedicationem à C. Mario

[c] Plin. li. 11. cap. 37.

factam, qui veſte Triumphali & calceis puniceis Honoris & Virtutis ædem dedicauit. Inſcriptio.

C. MARIVS. C. F. COS. VII

436.3. . . . . .

POST. LXX. ANNVM. PATRIA. PER. ARMA. CIVILIA PVLSVS. ARMIS. RESTITVTVS. COS. VII. FACTVS. EST DE. MANVBIEIS. CIMBRICEIS. ET. TEVTONICEIS AEDEM. HONORI. ET. VIRTVTI. VICTOR. FECIT VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PVNICEIS

Hunc habitum auguſtum induit vir immodicus gloriæ, inſatiabilis, impotens[a], qui eâdem veſte auſus eſt in Senatum venire, quod ante eum fecerat nemo.

[a] Patercul. li. 2. Florus epitom. 67.

Pontifex cùm verba ſollemnia præiret poſtemq; teneret, dicebat, DARE. SE. DEDICAREQVE. NVMINI. Quod ab alio neceſſe fuerat iam teneri & ab humano iure diſcedere[b]. Hoc dicebamus, vbi de manumiſſione Sacrorum cauſa. Huius ceremoniæ formulam tangit M. Tullius[c], cùm de Antiochi regis candelabro facto è gemmis loquitur, & erepto à C. Verre, cum illud rex in Capitolio iam mente & cogitatione conſecraſſet: Quod eſt DARE. DONARE. DICARE. CONSECRARE. IOVI. OPT. MAX. Poſtem autem oportebat templi eſſe, qui ibi eſſet vbi templi aditus ſunt & valuæ. Nam ambulationis poſtes nemo vnquam tenuit in dedicando[d]. Atque in dedicatione templorum quinque præcipuè requirebantur, mens ſcilicet, vox, lex, manus, ſimulachrum[e]. Mens enim

[b] Seru. 3. Georgic.

[c] Act. 9. in Verrem.

[d] Cicer. pro dom. ſua.

[e] Cic. de Auſpic. reſp.

pura integráque dedicantis desiderabatur, quæ præcipuè Diis immortalibus grata est, qui omnia ex mente metiuntur. Vox ad sollemnia verba referenda est. Nam in dedicatione, & quis dicit, & quid, & quomodo quæritur. Quare si postem tenuerit Pontifex, & verba ad religionem composita, ad perniciem transtulerit, non valebit ad iniuriam nomen sanctissimum religionis[a]. Lex & ad Tribunitiam veterem, quæ Papyria, & ad Curiatam, qua dedicationi populus aliquem præficiebat, referenda est. De Simulachro ea scripsimus quæ repetere otiosum esset & odiosum. Semper enim cum templum dedicabatur, simulachrum numinis cuius erat adhibebatur, atque à Pontificibus locatum in medio templi, templum tenere dicebatur[b]. Prætereà in templi aut aræ definitione, legumina elixa pro Primitiis offerebant, ob memoriã grati animi, vt ex Aristophane Suidas tradit[c]. Ille in Danais μυρτύεσμαι ὁ ζωὸς Ερκείου χύτρας μεθ' ὧν ὁ ϑωμὸς σοῦ ἱδρύσθη ποτέ. Testor Iouis Hercæi ollas cum quibus ara dedicata est olim. Qui Mercuriales statuas aut alia signa dedicabãt, ollas pollentæ adhibebant, quo expeditior esset erectio[d]. Frequentiùs tamen Romæ & maior victima mactabatur & ludi dabantur sumptu publico. Vt cùm M. Æmylius petiit à Senatu templorum dedicationem[e], viginti millia æris decreta sunt, quæ in ludos scenicos erogarentur. Et cùm Cæsar templum Veneris, quam sui generis authorem faciebat, à se conditum consecrauit, multa variáque edidit spectacula[f]. Augustus in Sacrarij Iulij dedicatione, ludos omnis generis fecit,

[a] Cicer. pro dom. sua.

[b] Seru. 3. Georgic.

[c] in verb. χύτρας πρὸ τῶν.

[d] Macrob. li. 3. sat. ca. 1.

[e] Liuius lib. 40.

[f] Dio li. 43.

[a] Dio li. 51. in quibus Patricij Troiam luserunt[a]. Quod quidem primùm factum cum M. Iunius Brutus ædem Matris

[b] Liuius li. 36. Magnæ dedicauit, tunc enim ludi scenici instituti[b], qui Megalesia. Quod ad eam processit insaniam, vt Pompeij altero Consulatu dedicatione tẽpli Veneris

[c] Plin. lib. 8. cap. 7. & li. 18. cap. 1. victricis, pugnauerint in Circo Elephanti viginti[c]. Et Q. Catulus cum Capitolium dedicauit, primus posuit vela in theatris quæ vmbram facerent.

Dedicationis ritum paucis complexus est vt solet Virgilius, qui ius Pontificum tãquam hoc professus,

[d] Virgil. 3. Georgic. & ib. Seru. in multa & varia operis sui parte seruauit[d].

Et viridi in campo templum de marmore ponam
In medio mihi Cæsar erit, templúmque tenebit
Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro
Centum quadriiugos agitabo ad flumina currus.

Circenses enim in litore olim fluminum agitabantur. De ludis & profusionibus in aræ dedicatione, vetus decretum est.

228, 8. ARAM. NVMINI. AVG. PEC. NOSTRA. PONENDAM ET. LVDOS. EX. IDIB. AVG. DIEB. SEX. PACIVNDOS CVRAVIMVS. ITEM. DEDICATIONE. STATVARVM CAESARVM. ET. AVGVSTARVM. MVLSVM. ET. CRV STVLA. PECVNIA. NOSTRA. DEVOTIS. OMNIB ET. POPVLO. DEDIMVS. PERPETVOQVE. EIVS. DIE DEDICATIONIS. DATVROS. NOS. TESTATI. SVMVS QVEM. DIEM. QVO. FREQVENTIOR. QVOTANNIS SIT. SERVABIMVS. VI. IDVS. MARTIAS. QVIA. HAC TI. CAESAR. PONT. MAX. FELICISSIME. CREATVS EST

Nummus est M. Aurelij de dedicatione ædis.

Quæ in honorem Faustinæ Pij dedicata est. Vt M. Antonino statuæ in multis domibus inter Deos Penates erant[a], templúmque ei constructum, dati Sacerdotes Antoniniani & Sodales & Flamines, & omnia quæ antiquitas diuis decernere solebat. Rem autem, de qua controuersia est, prohibemur in sacrum dedicare: alioquin dupli pœnam patimur nec immerito (ait Caius lib. 6. ad leg. 12. tab.[b]) ne liceat quoquomodo, duriorem aduersarij conditionem facere. Sed duplum, vtrum fisco an aduersario præstandum sit, nihil exprimitur, fortassis autem, inquit, magis aduersario præstandum sit: vt id veluti solatium habeat, pro eò quod potentiori aduersario traditus est.

[a] Capitolin. In M. Aurelio.

[b] l. fin. D. de religios.

DE DVVMVIRIS ÆDIS LOCANDÆ, Faciundæ, dedicandæ.

CAP. XII.

TEMPLORVM constructiones iussu populi vel magistratuum aut Imperatorũ voto cum

bella susciperentur, aut in ipso discrimine pugnæ Diis promitti solebant, quæ plerúmque quadraginta post annos aut ampliùs dedicabãtur. Duumuiri ædis locandæ faciundæ iussu populi creabantur. Dedicatio à magistratu fiebat aut sacerdote publico ex Senatusconsulto. Sic ædes Martis dedicata est, decreto
a Liuius li. 6 Senatus, à T. Quintio[a] Duumuiro sacris faciundis. Magistratus hoc ius sibi ratione potestatis arrogabat & Consules inter se sortiri solebant, vter eorum dedicaret, quod magna contentione & ambitione fiebat. Cn. Iulius Consul absente collega sine sorte ædẽ Apollinis dedicauit. Ægrè id passus Quintius nequicquam in Senatu conquestus est[b]. Certamen an-
b Liuius lib. 4. tea Consulibus inciderat, vter dedicaret Mercurij ædem: Senatus à se rem ad populum reiecit, vtri eorum, iussu populi data esset, eum præesse Annonæ, mercatorũ collegium instituere, sollemnia pro Pon-
c Liuius li. 2 tifice iussit suscipere[c]. At populus dedicationem ædis dedit M. Lectorio primipili centurioni, non tam ad honorem eius cui curatio altior fatigio data esset, quàm ad Consulum ignominiam.

A magistratibus tandem res rediit ad priuatos, & Duumuiri his in rebus constituti. Quorum origo difficilis prorsus & obscura est, sed antiquissima. Nã Duumuirum ad id creatum comperio Posthumium filium, qui Castoris ædẽ bellõ Latino à Posthumio
d Liuius li. 2. Dictatore votam dedicauit[d], L. Æmylio & Fabio Cæsone Coss. anno CCLXX. Postea Cn. Flauius Ædilis Curulis ædem concordiæ dedicauit consensu populi, Q. Fabio maximo, & P. Decio Mure Coss.

anno

anno CCCCLVII[a]. Quod cùm ægre ferrent patres, Cornelius Barbatus Pontifex max. negauit nisi Consulem aut Imperatorem posse templum dedicare. Itaque ex authoritate Senatus, latum ad populum est, ne quis templum aramue iniussu Senatus dedicaret, aut Tribunorumpleb. partis maioris. Quod ex Cicerone facilè intelligi potest[b]. *Si neque populi iussu, neque plebis scitu qui se dicasse diceret, ei rei nominatim præfectus esset.* Iussus populi ad Senatum; plebis scitum ad Tribunorum plebis maiorem partem referri debet. Nam sine lege Curiata aut plebiscito, nihil potuit diis consecrari, de rebus soli. Sed debuit aut lege, aut plebiscito nominatim præfici, qui illud negotium perageret.

[a] Liuius li. 9

[b] lib. 4. Ad Attic. epist. 2.

Populi iussum ne Consules offenderentur, patres desiderarunt, si priuatus dedicationem postularet. Hoc in Q. Fabio Max. rei Rom. restitutori factum est, qui Duumuir creatus, lege primùm ad populum lata[c], vt ædem Veneris Erycinæ, quam Dictator vouerat, dedicare liceret. Decreuit Senatus vt T. Sempronius Consul designatus, cum primum Magistratum iniisset ad populum ferret, vt Q. Fabium Duumuirum esse iuberet. Authoritatem tamen suam hac in re Senatus retinuit ad Claudij Imperatoris tempus sine populi iussu, vt lapis vetus probat.

[c] Liuius li. 23.

tot. t. PIETATI. AVGVSTAE
EX. S. C. QVOD. FACTVM. EST. D. HATERIO
AGRIPPA. C SVLPITIO. GALBA. COS
TIB. CL. CÆS. AVG. GERM. PONT. MAX. TRIBVM
POT. III. COS. IIII. IMP. III. P. P
DEDICAVIT

Duumuiri autem vt plurimum à populo creati sunt vel filij vel agnati eorum qui ædes vouissent. Vt M. Acilius Glabrio ædem pietatis dedicauit, quam pa-
a Liuius li. 40. ter vouerat[a], cum ad Thermopylas cùm rege Antiocho depugnauit. L. Porcius L. F. Licinius Veneris Erycinæ ad portam Collinam, quæ vota erat à L. Porcio. M. Æmylius ædem Deûm permarinûm quã L. *A*mylius vouerat. Ex his, qui nouam ædem vel restitutam dedicassent, nomen suum in illius fronte, eminentiore loco inscribebant. De hac inscriptione
b lib. 6. Arnobius[b]. *Templa*, inquit, *quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, authorum inscriptionibus comprobantur.* Romæ in Pantheo.

t. t. M. AGRIPPA. L. FILIVS. COS. TERTIVM. FECIT

Hoc cũ Septimius Seuerus & M. Aurelius Impp. restituissent, scripserunt ad nominis sui immortalitatẽ,

eod. IMP. CÆS. L. SEPTIMIVS. SEVER. PIVS. PERTINAX. ET. IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PANTHEVM. VETVSTATE. COLLAPSVM. CVM. OMNI CVLTV. RESTITVERVNT

Cùm Victore Sulla Capitolium conflagrasset, curámque ille suscepisset deorum sedam ampliſſimam

reparandi; hoc solùm felicitati suæ negatum questus est, quod non dedicarit[a]. Huic operi Q. Catuli nomen inscriptum est[b], quod ita Iulium Cæsarem perturbauit, cuius virtus omnis ab ambitionē miseram incubuerat, vt hoc maximè Prætor egerit vt Q. Catuli nomen à Iouis Capitolini templo tolleretur[c]. Quod tamen inter tāta Cæsarum opera vsque ad Vitellium manisisse author est Tacitus[d]: Cui repugnat Dio[e]. Hic enim Cæsarem effeciſſe narrat, vt victo in Africa Scipione, inter tot honores amplissimos, quos illi Senatus detulliſſet, hunc etiam additum, vt deleto Catuli nomine, Cæsaris in Capitolio inscriberetur. Quasi verò Cæsar id templum perfeciſſet, de cuius perfectione Catulum ad disquisitionem vocare contenderat. In hac tamen authorum varietate nihil habeo certi quod adferam: hoc vnum scio Catuli nominis memoriam Cæsare quantumuis reluctante, pulcherrimo monumento, simul cùm templo illo consecratam[f].

[a] Plutarch. in Sulla.
[b] Plin. lib. 19. cap. 1.
[c] Dio lib. 37
[d] lib. 3. hist.
[e] lib. 43.
[f] Cic. act. 9. in Ver.

Hæc inscribendi nominis consuetudo, non in templis solùm sed in signis monumentisque publicis ambitiosè quæsita est. Vt cum Segestanis Diana redderetur, Illa in excelsa basi posita est, in qua grandibus litteris P. Africani nomē incisum erat, *eum Carthagine capta restituisse*[g]. Quinetiam omnium municipiorum foris statuæ & honores legendi æuo, basibus inscripti[h]. Itaque in vna Statua tres aliquando tituli, qualis in Herculis tunicati, Eleo habitu Romæ. In hac enim nomen legitur L. Luculli Imp. de manubiis: Deinde Pupillum Luculli filium dedicasse ex

[g] Cic. eod.
[h] Plin. li. 34. cap. 4. & 8.

Senatusconsulto: Tertium T. Septimium Sabinum Ædilem curulem ex priuato in publicum restituisse. Tot certaminum tantæque dignationis simulachrum id vnum fuisse perhibetur. Quare ementitas quandoque inscriptiones in his statuis Plutarchus author est[a], quod à vero omnino non est alienum.

[a] In Alcibiad.

Ea autem fuit inscriptionum gloria, vt Imperatores ipsi non solum cùm vetusta opera, sed cùm aliena numismata reparassent, sui nominis inscriptione, & ex Senatusconsulto se id feciſſe testarẽtur. Ex multis duo D. Augusti profero à T. Vespasiano & Nerua Impp. restituta. Quibus adducor vt in ea sententia permaneam, numismata illa ad hominum immortalitatem parata, quàm longè quidem à nummis differre, qui ad vsus publicos cudebantur. Licet vtrique hominum manibus terantur. Quod mihi facilè esset, demonstrare, contra multorum opinionem, si locus hic pateretur.

Gens Romana auida laudis & gloriæ, quã summam sibi sua virtute cõparauit, omnimodo partam tueri,

non ſcriptis ſolùm libris, ſed ære, argento, marmore, & perenni qualibet materia conquiſiuit. Vt ſi temporum iniuria, perituris chartis prodita excediſſent, indomitæ virtutis veſtigia, tot inſcriptis lapidibus, tot ferreis in numiſmate literis, inuicta, aliqua ex parte permanerent. Prudenter illi quidem. Etenim emortuæ antiquitatis reliquiæ, his conditæ ſunt monumentis nobiliores plurimæ. Quî fit vt illorum inertiam perhorreſcam, qui literas meliores profeſſi, faſtidioſè quærunt ecquid marmora? ecquid numiſmata? Enimuerò tot nummi, tot vetuſti lapides, tot ſunt librorum paginæ rerum domi foríſque geſtarum breuem ſeriem continentes, quæ vel alibi plerúmque nec leguntur nec videntur. Quod in hoc opere probare conor, nec ita difficilis probatio eſt. Nam quæ ex antiquis inſcriptionibus & nummis mutuati ſumus, vix eſt vt apud bonos authores ſemper inueniri poſſint.

Ad Duumuiros redeamus ædis locandæ faciundæ, qui non vtique illam dedicabant, ſed is ſolum qui opus inchoaſſet, hoc eſt, qui opus perfeciſſet. Nam inchoare ſacrorum verbum eſt quod ſignificat perficere[a]. Dedicationum autem varia genera fuerunt, aut enim ſacræ aut votiuæ ſunt, aut honorariæ, publicæ aut priuatæ. De Sacris diximus, de cæteris inſcriptiones ſunt innumeræ, earum præſertim quæ ex voto. Sicut eæ quę pro ſalute Imperatoris, æternitate imperij, ſalute liberorum, quæ tribus capitibus comprehendi nō poſſent. Honorariæ etiam permultæ, ex quibus hāc vnam appono quæ eſt Biſanti in Etruria.

[a] Seru. 6. Æneid.

200. 5. VIRTVTI. VISENT
SACR
M. MINATI. M.L. SAB. GALLI
II. VIR. I. D. QVINQ
MATERNVS. FRATRIS
SVI. H. C. ET. OB. DEDICA
TIONEM. HONORARIAM
VICANIS. FLVIVM. POPV
LO. CRVSTVLVM. ET
MVLSVM. DEDIT

Corruptum verbum FLVIVM: repono OL. VINVM, Nam oleum & vinum in huiusmodi diuisionibus
753. 4. dari solebat. Inscriptio alia est, in qua OLEVM. ET. PROPIN. Id est propinatio. Dedicationes publicæ, hoc est, locorum publicorum, multæ notantur & magnæ. Vt Theatrum Pompeij, quod dedicatum ab
a Dio lib. 39 eo est[a], καθέρωσε δ θέαζον, in qua dedicatione spectacula cùm musica, ludíque Gymnici editi. Theatrum Marcelli ab Augusto: Marcelli bibliotheca ab Octa-
b Plutarch. in Marcel. uia matre dedicata est[b]. Forum magnum Iulius Cæ-
c Dio li. 43. 53. & 55. sar, quod ab ipso nomen retinuit[c]. Tiberius Diribitorium. Agrippa Septa vbi tributa comitia haberentur. Gymnasia, horti, campi, Trophæa dedicata visuntur. Gymnasium Nero dedicauit, præbitúmque
d Tacit. li 4 Annal. Oleum Equiti & Senatui[d]. Horti dicati contra inuidētium effascinationes[e]. Campi Agrippæ ab Augu-
e Plin. li. 19. cap. 4. sto[f]. Trophæa à multis, quæ nefas fuit remoueri[g],
f Dio li. 55. vt publica omnia quæ publicis vsibus inseruirent.
g Vitru li. 2. cap. 8. Quæ quidem nec sacra, nec sancta, nec religiosa di-

xerim, licet religione aliqua teneantur. Nam quæ sunt vniuersitatis vt Theatra, stadia, aquæductus, Gymnasia, Basilicæ, fora, aliáque ad vsum publicum accommodata, in populi sunt dominio [a]. At quæ sacra, sancta religiosa sunt, in nullus sunt bonis. Opera porrò illa publica sine principis authoritate, publico sumptu fieri non potuerunt. Nec illis adscribi debuit aliud nomen, quàm principis aut eius, cuius pecunia opus factum esset [b]. Modestiam suam commendat Augustus, dum in Breuiario scripsit.

[a] §. vniuersitatis. & §. nullius inst. de rer. diuis.

[b] l. 3. D. de operib. public.

SERTORIVM. ET. POMPEIVM. THEATRVM. VTRVM QVE. OPVS. IMPENSA. GRANDI. REFECI. SINE. VLLA INSCRIPTIONE. NOMINIS. MEI 232.

PRO SERTORIVM. scriptum arbitror STAT. TAVRVM. Ex quo Sertorium factum, cuius nullum vnquam Theatrum Romæ: Sed Statilij Tauri vnum fuit, Augusti suasu constructum [c]. Augustum Tiberius æmulatus, cum illius opera perfeciſſet, solius Augusti inscripsit nomen [d]. Opera illa, vel Dei alicuius, vel loci, vel authoris nomen habuerunt, vt Theatrum Pompeij ab eo denominatum est. Bibliothecæ à Deo vel loco inscriptæ. Lapis Romæ.

[c] Dio lib. 51.

[d] Dio li. 57.

. . . . . .

TI. CLAVDIVS. ALCIBIADES
MAG. A. BIBLIOTHECA. LATINA
APOLLINIS 577. 8.

Alia inscriptio.

376. p.

. . . . . .

C. IVLIVS. FALIX
A. BIBLIOTHECA
GRÆCA. PALAT

Asinij Pollionis hoc Romæ inuentum, qui primus bibliothecam dedicando, ingenia hominum Rempublicam fecit[a]. Opera tandem illa publica posteriores Imp. iuris templorum esse sanxerunt[b]. De priuatis dedicationibus taceo, quæ ex aliis satis intelligi possunt.

a Plin. lib. 7 cap. 30. & li. 35. cap. 2.
b l. 40. de operib. public. C. Theod.

DE TEMPLORVM RESTITVTIONE, Consecratione locorum: Consecratione animalium.

CAP. XIII.

TEMPLA quæ vetustate aut alio casu collapsa restituebantur, denuò dedicari debuerunt & consecrari. Furius Camillus Dictator vouit se, Veiis captis ædem matris Matutæ refectam dedicaturum[c]. Inscriptio vetus est.

c Liu. lib. 5.

M. PAPIVS

M. PAPIVS. M. F. L. MATRIVS. L. F
DVO. VIRI. I. D
SIGNVM. CONCORDIÆ. EX. S. C. RESTITVENDVM
COERAVERVNT. EIDEMQ. DEDICARVNT
ET. BASIM. GRADVM. ARAM. SVA. PECVNIA
FACIVNDA. COER. EIDEMQ. PROBAVER

100. 8.

Literæ I. D. signare videntur iussi dedicare. Dedicatio enim Senatus aut populi iussu vel plebis scitu fieri debuit. Putant alij I. D. esse iussu Dei, quod ipsi inscriptioni repugnat, quæ Senatusconsulto restituta. Atque hæc restitutio iisdem verbis & sollemnibus perficiebatur, iisdem legibus & ritibus, queis templi primùm constructi dedicatio fiebat. Locus Taciti hoc præterea probat[a], & facit ad constructionis & restitutionis ritum sollemnitatémue. *Vespasianus*, inquit, *curam restituendi Capitolij in L. Vestium contulit, Equestris ordinis virum. Ab eo contracti Aruspices monuere, vt reliquiæ prioris Delubri in paludes aueherentur, templúmque iisdem vestigiis sisteretur. Vndecimo Kal. Iul. serena luce, Spatium omne quod templo dicabatur, euinctum vittis coroníque, ingressi milites quibus fausta nomina felicibus ramis: Dein virgines Vestales cùm pueris puellísque patrimis matrimísque aqua riuis & fontibus amnibúsque hausta perluere. Tum Heluidius Priscus Prætor, præeunte Plauto Æliano Pontifice, lustrata boue Tauríque area, & super cespitem redditis extis, Iouem, Iunonem, Mineruam, Præsidésque imperij Deos precatus, vti cœpta prosperarent, sedesque suas pietate hominum inchoatas diuina ope attollerent: Vittas quibus ligatus lapis, innexíque funes erant, con-*

[a] li. 4. hist.

tigit. Simul cæteri magistratus, Sacerdotes & Senatus, & Eques & magna pars populi studio lætitiáque connixi saxum ingens traxere: paßimque iniectæ fundamentis, argenti aurique stipes, & metallorum primitiæ, nullis fornacibus victæ, sed vt gignuntur. Quem ritum leuiter expressit Poëta[a].

a Virgil. 1. Æneid.

circùm pueri innuptæque puellæ
Sacra canunt, funémque manu contingere gaudent.

Equum illum donum exitiale Mineruæ vocat, quod ea ratione debuit dedicari. Quem eundem ritum, alio loco latiùs perfequitur[b].

b Virg. 3. Æneid.

Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis,
Æneadásque meo nomen de nomine fingo.
Sacra Dioneæ matri diuíque ferebam
Auspicibus cœptorum operum, superóque nitentem
Cœlicolum regi mactabam in littore Taurum.

Contra rationem Taurus hic Ioui sacrificatur, cui Iuuencum semper dicunt immolatum, hínceque putatur prodigium subsequutum[c]. Quæ dubiam facere potuerant Taciti lectionem[d], quam Lipsius emendare conatus est, & pro recepta, *lustrata boue Tauríque area* ex Vaticano in quo Bouetaurillibus, & alio vbi bouetauribus, substituit *Suouetaurilibus lustrata area.* Quod genus sacrificij, inquit, in lustrationibus & piamentis adhibebatur. Nimirum non aduertit vir solertissimus, nimio corrigendi pruritu corruptus, Capitolino Ioui vaccam simul & Taurum auratis cornibus immolari solere[e]: quod vulgatam Taciti probat lectionem, quæ commutata prisca religionis ritum penitus exuit.

c Seru. 9. Æneid.

d lib. 4. hist.

e Seru. 9. Æneid.

Ædis perfectæ vel restitutæ alius Romæ, alius in Prouincijs fuit dedicandi ritus. Quod Plinius notauit scripsítque Traiano [a]. *Cognoui*, inquit, *alium hîc, alium apud nos morem dedicationis*, Cui Traianus. *Solum peregrinæ ciuitatis non est capax dedicationis, quæ fit nostro iure.* [a] lib.10.epist.

Diximus de dedicationibus templorum quæ in posticis eorum figebantur, quæ quidem diuersæ fuerunt. Nam post ædem Saturni in ædificiorum legibus, parietes postici muri scriptos ait Varro [b]: Vt in aliquot sacris & sacellis scriptum fuit, *ne quid scorteum adhiberetur, ne morticinium quid adesset* [c]. Quales morticinas oues idem dixit Varro [d]: θανάσιμα κενέθεια [e]. Aristophanis Scoliastes, οὐκ ἔξαι κενέθειον ὅτῳ θύσῃ [f]. Sed cum tot tantíque templi restituendi, sistendi, dedicandi, consecrandi ritus fuerint, mirum videri potest, quod licuerit Pontificibus illud quandoque tollere. Quod quidem iussu Senatus factum, cùm quis contra leges dedicasset, vt Vestalis Licinia. Sed inuenio L. Pisonem, maximum & sanctissimum, Dianæ sacellum in Cœliculo sustuliſſe [g], in quo Sacrificia Gentilia statuto loco anniuersaria factitata essent. Vt à Sex. Serrano sanctissima sacella suffosa, incensa, inædificata, opressa, & turpitudine fœdata. Quod ob factum diis violatis expiatio debita, & postulatio postulata est. [b] lib.4.de ling.lat. [c] Varro li.6 de ling. lat. [d] lib 2.de re rustic. ca.9. [e] Gloss. vet. [f] In Auibus [g] Cic.de Aruspic.resp.

Dedicationem consecratio sequatur, licet sæpe illa præcederet, hæc rei mobilis aut soli fuit, vel etiam animalium. Cuius ritus cùm ritualibus libris iamdudum occiderunt: quædam tamen vestigia ex dedica-

tione apparent: Dedicare enim est καταδρύειν καθιερῶ. At consecratum καθωσιωμένον. Consecrationis duo potissimum genera fuerunt: vnum religionis causa in deorum honorem: alterum odio contumaciæ vel sceleris in hominum pœnam, vt cùm bona damnatorum, hostium, vel captæ ciuitatis consecrantur. De hoc genere suo loco amplius quæremus. De priore nihil habeo certi quod adferam, quàm quæ ex templorum dedicatione colliguntur, quæ sacrificiis sollemnibus & supplicationibus peragebantur.

Vetus verò mos fuit animalia Diis consecrandi: Vt in Iunonis Laciniæ templo lucus erat frequenti
a Liuius li. 24. sylua[a] & proceris abietis arboribus tectus, qui læta in medio pascua habebat, vbi omnis generis sacrũ Deæ pascebatur pecus, sine vllo pastore. Separatim egressi cuiusque generis greges, nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude hominum violati. Magni fructus ex eo pecore capti, columnáque inde aurea solida facta est, & sacrata. Hac religione motus Iulius Cæsar equorum greges in traij-
b Sueton. in Iul. cap. 8. ciendo Rubicone consecrauit[b], quos vagos, & sine custode dimisit. Casaubonus noster ex Athenæo explicat hunc morem, suo more, id est, ita eruditè vt nihil addi possit. Piscium sacrorum meminit Mar-
c li. 4. epigr. 30. tialis[c], qui in Domitiani Imp. aquis natabant, quos etiam dedicatos vocat. Cuiusmodi animalia græcis ἄφετα ζῶα dicuntur, quales fuerunt Anseres in Capitolio, quorum cibaria Censores locabant primùm.
d epistol. 57 De illis Synesius[d]. ὥσπερ ἐν ἱερῷ περιβολῷ, τὰ χήμια ζῶον

ἄφετον αἰείλυμον ζῶν. In mundo tanquam in sacro quodam septo viuebam, vti animal liberum & dedicatum Deo, quo sensu ab Athenæo [a], γυναῖκες ἄφετοι vocatæ sunt αἱ ἀφοσιωθῶαι sine custodia agentes, Veneríque omnium obuiæ, vt Lydorum, Locrensium, & Cyprum incolentium, quibus mos est puellas suas Veneri meretrici prostitutæque consecrare. Atque hæ consecrationes Pontifices nostros non morabantur. [a] lib. 12.

DE TEMPORIBVS. DIERVM DIuisio. *Saturnalia secunda.*

CAP. XIIII.

VRGET tempus in ipso tempore. Nobis enim qui his studiis temporum velut succisiua donamus, properandum est, atque vel obmissis quibusdam Sacrorum solemnibus, tempori seruiendum & ad dierum numerum quæ scribimus accommodanda. Dies sunt pars temporis in hoc iure præcipua, qui quidem omnes aut festi sunt aut profesti, aut intercisi ex constitutione Numæ [b]. Festis diebus insunt Sacrificia, ludi, epulæ, feriæ. Profestis, fasti, Comitiales, comperendini, stati, præliares. De his dicemus solùm qui ad Pontifices pertinere videntur. Nihil de cæteris nisi si ad faciliorem rerum cognitionem faciant. Intercisi dies. [b] Macrob. li. 1. satur. cap. 16.

medij sunt inter festos & profestos, partim religiosi, partim fasti[a], *Vt quando stercus Vestæ delatum fas*[b]. Quod est, quando ædes Vestæ purgaretur, & stercus per cliuum Capitolinum porta stercoraria deferretur in Angiportum. Item *quando rex Comitiauit fas.* Paucis Ouidius[c].

Nec toto perstare die sua iura putares,
Qui iam fastus erit, mane nefastus erat.

Cum stercus euerritur mane, dies nefastus: ab eo, fas Prętori ius dicere. Tantæ sanctitatis, stercus etiam Vestæ esse iudicarunt.

Interciſi autem dies multum differunt à diffisis aut diffusis qui in iure notantur & ab omnibus ferè confunduntur. Diffisi dies aut diffusi nihil habent religionis, sed à lege introducti sunt, vel à Prætore. Lapsus est Seruius[d], cùm in iure dies fissos pro interciſis dictos putat, non in totum religiosos. A lege diffinditur dies ex XII. Tab. cum iudex vel alter ex litigatoribus morbo Sontico laborabat[e]. Diffunditur verò cum aliquid differtur, & in alium diem reijcitur. Dies diffisus differtur ipso iure, diffindere enim est διαιρεῖν[f], Diffusus à Prætore est. Sic Agellius iussit diffundi, non legis imperio, sed iure magistratus & suo arbitrio[g]: vt diffusum dicitur, quod in diuersis locis constitutum est[h]. Atque hi quidem dies sunt profesti, id est fasti, festis contrarij. Ab eo profestum facere dicebant, tanquam profanum facere, aut id facere quod feriis fieri non liceret[i]. Eleganter Plautus[k]. *Feſto die si quid prodegeris, profesto egere liceat.* Profestus ergo dies est, qui sine feriis: aut qui ferias

a Varro li. 5. de ling. lat.
b Festus in verb. quādo stercus.
c li. 1. fastor.
d 6. Æneid.
e l. 2. §. si quis D. si quis cautionib.
f Gloss. vet.
g lib. 14. ca. 2
h 13. C. in quib. caus. tut. hab.
i Festus in verb. pro festum.
k In Aulularia.

polluebat, inauſpicatáſque reddebat & profanas[a]. Afranius in priuigno[b].

Quæ feſtiuo nos facere ſolemus die,
Quotidiano opere promiſces omnia,
At quæ profeſto contra, cum celebras focum.

[a] Agel. lib. 2 cap. 28.
[b] Apud Nonium.

Feſti dies innumeri qui feriis continẽtur, quas Claudius Cæſar Conſul tertiùm abrogauit multas[c], quod maior pars anni, iis abſumeretur, non ſine magno Reip. detrimento.

[c] Dio lib. 60

Feriæ autem ἑορταί, αἱ σχολαί in quibus otium & ceſſatio operum aut iudiciorũ, ſtatiuæ fuerunt, conceptiuæ, imperatiuæ, aut nundinæ[d]. Statiuæ vniuerſis, certis & ſtatis diebus indictæ ὡρισμέναι ἡμέραι, vt Agonalia, Carmentalia, Lupercalia, cæteráque quæ à Varrone diligenter enumerantur[e], in Kalendario vetere notantur, ab Ouidio in faſtis exponuntur. Ex his Saturnalia ſecunda hoc capite celebrare non iniucundum fortè erit, quod eæ feriæ licet ſtatiuæ, vel minùs cognitæ, vel à quibuſdam pollutæ ſunt. Saturnalia Secunda inuenio in antiquis inſcriptionibus. Romæ.

[d] Macrob. lib. 1. ſat. ca. 16.
[e] Varro li. 5. de ling. lat.

. . . . . 124.1.

IN. LVCO. DEAE. DIAE. TI. IVLIVS. IV
LIANVS. ALEXANDER. PER. PROMAG
. . . . . .
IN. SATVRNALIA. SECVNDA. MAG. AN
NVVM. IN· · ·RVNT

Hæc pauca ex inſcriptione, quàm poſtea integram

adponam & explicabo. Ea nunc verò exscripsi tantùm quæ ad secunda Saturnalia pertinere visa sunt, in quæ fratres Aruales Magmentum annuum intulerunt.

[a] li.5.ad Attic.epist.20. & lib. 13. epist. 50.

Secunda Saturnalia primùm ex M. Tullio[a] interpretabar. Ille dilucidè. *Sed cum Secundis*, inquit, *Saturnalibus ad Philippum vesperi venisset, villa illa completa militibus est, vt vix Triclinium, vbi Cæsar cænaturus esset, vacaret.* Addit paulò post. *Ille tertiis Saturnalibus ad* H. III. *nec quemquam admisit.* Hîc Secunda tertiáque Saturnalia ad dierum numerum referēda nemo non videt. Quare cum singulis Saturnaliorum diebus sacra fierent, Opaliáque cùm Saturnalibus inciderent in mensem Decembrem[b]: Sacrum hoc quod in inscriptione memoratur, Opi factum facile credidissem, quæ eadem Dia Dea est: Ni Opalia ex M. Varrone & Kalendario vetere, post diem Saturnaliorum tertium essent celebrata[c]. Aristarchus meus arbitrabatur secunda Saturnalia hic eadem esse ac fausta, bona Saturnalia ἀγαθὰ Κρόνια ex Arriani Epicteto. Sed mihi diligentiùs inscriptionem veterem consideranti, aliud venit in mentem, nec secundis aut bonis huiusmodi Saturnalibus applaudere potui. Nam Dea Dia est Tellus, quæ Ops eademq; mater Deûm magna.

[b] Festus in verb. Quinquatrus.

[c] Varro li.5. de ling. lat.

Γαῖα θεὰ μῆτερ μακάρων θνητῶν τ' αἰθερίων[d].

[d] Orpheus.

Huic publicè fratres Aruales sacra faciebant, vt fruges ferrent arua[e]. Atque hæc etiam festū diem suum habuit, qui Saturnalia secunda dictus est, diuersus à Saturnalibus & Opalibus primis quæ fiebant mense

[e] Varro li.4 de ling. lat.

Decembri.

Decembri. Suidas Κρόνια ἑορτὴ ἀγομένη Κρόνῳ τῇ μνησθῆναι θεῷ. Secunda ergo Saturnalia vulgatiùs Matronalia, in Kalendas Martias incidebant[a]. His enim Kalendis fœminæ sua celebrarunt Saturnalia, seruisque cœnas apposuerunt, vt domini primis Saturnalibus[b]. De his Martialis[c].

Certè sacra puto vestra iam venire
Saturnalia martias Kalendas.

Quæ faciunt ad legis interpretationem, qua dicitur[d], *vt si vir vxori munus immodicum Kalendis Martiis aut natali die dedisset, donatio esset.* Kalendæ itaque Martiæ quæ fœmineæ Kalendæ, nobis sunt Secunda Saturnalia ex Martiali. Magmentum annuum meam iuuat opinionem. Magmentum enim est daps, quæ profanatur à rusticis Iano Syluano, Marti, Ioui Dapali[e]. Daps verò apud antiquos est res diuina, quæ fiebat aut hyberna sementę aut verna. Vnde Cato[f]. *Vbi daps profanata comestáque erit, arare incipito.* Profanatum dicebatur quod in Sacrario positum erat[g]. Vt cum ex mercibus porrecta sunt Herculi libamenta in ara, tum pollutum & profanatum, quod sacrificio quodam fanatur & fani fit. Olim enim in fano consumebatur omne quod profanum erat, quomodò Octauius Herennius[h] decimam Herculi profanasse dicitur à Massurio Sabino libro secundo memorialium. Saturnalia igitur secunda cum in Kalendas Martias incederint, vere ineunte, quo tempore daps profanatur sementę verna[i], quæ fuerint illa facilè est iam dignoscere. Hæc si viri docti probauerint, puerorum more clamitabo, Io bona Saturnalia.

[a] Acro in horat. li. 3. Carmin. od. 8.
[b] Macrob. lib. 1. satur. cap. 12.
[c] lib. 5. epig. 85.
[d] l. 1. sed si vir. §. si vir vxori. 3. D. de donat. int. vir. & vx.
[e] Scaliger in Varron. li. 4 de ling. lat.
[f] lib. de re rustic. ca. 50 & 132.
[g] Varro. li. 5 de ling. lat.
[h] Macrob. lib. 3. satur. cap. 6.
[i] Festus in verb. daps.

Imò vt Saturnalibus rex ille designatus, lectoribus meis diuersa sentientibus præcipiam. Σὺ πίε, σὺ κέρασον, σὺ ὦσον, σὺ ἄπελθε, σὺ ἔλθε[a], tu bibe, tu pocula misce, tu expelle, tu discede, tu accede.

[a] Arrian. li. 1. cap. 25.

VINALIA PRIORA, VINALIA altera. Feriæ latinæ. Lararia. Imperatiuæ feriæ. Pandiculares dies.

CAP. XV.

ET quoniam Saturnalibus serui cùm dominis epulabantur, vinum autem conuiuiorum omnium regem natura statuit: non absurdum erit à Saturnalibus ad vinalia transire, & vino delectari eo, quod Anitium Consulem quærat. In Kalendario legimus *vinalia priora*, *vinalia altera*. De vtríque vinalibus, veteres scriptores multùm inter se discrepant; ex iis sequar Varronem, Plinium & principes poëtas. Varro paucis[b]. *Vinalia*, inquit, *à vino. Hic dies Iouis non Veneris. Huius rei cura non leuis in Latio. Nam aliquot locis vindemiæ primùm à Sacerdotibus publicè fiebant, vt Romæ etiamnunc. Nam Flamen Dialis auspicatur vindemiam, & vt iussit vinum legere, agna Ioui facit, inter cuius exta cæsa & porrecta, Flamen prorsus vinum legit.* Apertè Plinius[c]. *Vinalia priora IX. Kal. Maij degustandis vinis instituta nihil ad fructus attinent. Vinalia altera quæ agun-*

[b] lib. 5. de ling. lat.

[c] li. 18. ca. 29

tur ad XIII. *Kal. Sept. & hunc diem festum volunt, tempestatibus leniendis institutum.* Tria enim tempora fructibus retinebant, propter quæ instituebant feriás diésque festos. Quod Virgilius[a] vno versu obseruauit. [a] 2. Georgic.

Et iam maturis metuendus Iuppiter vuis.

Quare vinalia altera, id est secunda quæ ad Kalend. Sept. dies festus fuit Iouis, non Veneris, id est Ioui sacra fiebant hoc die, cùm tamen Veneris esset festus. Clarè Ouidius[b]. [b] 4. fast.

Cur igitur festum Veneris vinalia dicunt
Quæritis, & quare sit Iouis ista dies.

Nam Vinalia altera ἀφροδίσια in Varronis Satyra[c], περὶ ἀφροδισίων. In quo notandum est diem, à festo seiungi quod vix vllus satis aduertit huc vsque, quodque authores facilè conciliare potest, qui inter se pugnare videntur. [c] Nonius in verb. sartores.

Sunt & alij festi dies post Occasum Reip. instituti, vt Sollemnia Cæsarum, quibus solebant focos & thoros in publicum educere, vicatim epulari[d], vino lectum cogere aliáque adulationis signa præbere. In his feriari diutiùs hominis esset otiosi. [d] Tertul. in Apolog. ca. 25.

Conceptiuæ feriæ Festo & Macrobio sunt[e], quæ à Magistratibus conciperentur vel Sacerdotibus in dies certos vel incertos. Addit Macrobius illas concipi quotannis, quales Sementinæ, dies à Pontificibus dictus à semente, quòd sationis causa susceptæ. Nos tamen inter statiuas ponimus Saturnalia secunda, quibus pro semente Verna Kalendis Martiis sacra fieri solebant. Quas ferias conceptiuis [e] Festus in verb. cõceptiuæ. Macrob lib. 1. satur. ca. 16.

Macrobius annumerat habita dierum ratione, qui in certos, vel incertos concipiebantur, id est, vt quandoque dies festi plures, quandoque pauciores essent.

Latinæ feriæ conceptiuæ etiam sunt, de quibus Senatusconsultum fiebat[a], vt edicerentur. Pomponius noster tradit[b], quoties magistratus proficiscerentur vnus relinquebatur qui ius diceret, vocabatúrque Præfectus vrbi. Qui præfectus olim constituebatur, posteà verò feriarum latinarum causa introductus est. Simulachrum huius præfecturæ durauit, quoties ob ferias latinas præficeretur, qui consulare munus vsurparet[c]. Lapis vetus Romæ.

[a] Cic lib. 4. epist. 6.

[b] l. 2. §. & hæc omnia. D. de orig. iur.

[c] Liuius lib. 21. Tacit. li. 6. Annal.

M. AVR. VICTORI
C. V
PRÆF. FERIARVM
LATIN. SACERDOTI
DEI. SOLIS

313. 9.

Hic à Dione[d] πολίαρχος ἐν ταῖς αὐοχαῖς καπαιγαῖς qui Præfectus dici debuit, non vt interpres vertit Ædilis ἀγορανόμος. Idem Dio[e], ὅτε πολίαρχος ἐς τὰς αὐοχὰς ἀπεδείχθη, ἀλλ' ἐκ τῶν γραπτῶν ἵνες τὰ ὀπιβάλλοντα αὐτῷ διήγαγον. Ad has ferias à Cæsare pueri constituti equestris ordinis παῖδες ἀγήβοι.

[d] Dio lib. 43

[e] lib. 49.

De Compitalibus nihil aliud habeo nisi quod illa Lararia dicta sint, vt scripsit Festus[f]. Nam alibi Lararia pro Compitalibus reperire, haud facile est, licet Compitalitij ludi Laribus fierent[g], à Vicorum magistris Prætextatis.

[f] In verb. popularia sacra.

[g] Ascon. in Pison.

Imperatiuas ferias magiſtratus maiores indicere ſolebant Senatus authoritate, quæ & indictiuæ vocantur. Hæ aliquando in quinquaginta dies decretæ, qui dierũ Cumulus hominis dignitati tribuebatur[a]. Antonij odio M. Tullius eorum nomine qui illum ad Mutinam deuicerant, cenſuit quinquaginta dierum ſupplicationes decernendas[b]. VT. C. PANSA A. HIRTIVS. COS. IMPERATORES. ALTER. AMBOVE AVT. SI. ABIERINT. M. CORNVTVS. PRÆTOR. VRBANVS. SVPPLICATIONES. PER. DIES. QVINQVAGINTA. AD. OMNIA. PVLVINARIA. CONSTITVAT. Quot dies ipſi Cæſari decreti deuicto Pompeio[c], qui quidem omnes erant otioſi. In feriis enim Imperandis præfabantur, vt litibus & iurgiis ſe abſtinerent[d]. Imperatiuæ igitur feriæ ſunt eæ, quæ non conceptiuæ erant, ſed noua aliqua ex cauſa conſtituebantur, veluti ob bellum benè geſtum, vel ob prodigia. Quarum conſtituendarum cauſa dictatorem quandoque Senatui dici placuit[e]: Quandoque ferias illas edicto imperare, vt cum terra mouiſſet[f]. In quo illud fuit obſeruatum ex decretis Pontificum, vt Dei nomen cui ſeruari ferias oporteret, vti ſolet, ſtatuere & edicere quieſcerent; ne alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent. Eas ferias ſi quis polluiſſet, piaculóque ob hanc rem remotus eſſet, hoſtiam ſi Deo ſi Deæ immolabat. Rectè lectionem Agellij viri docti emendarunt ex M. s. codice[g]. Legendum enim *piaculóque ob hanc rem opus eſſet*. Quod à M. Tullio interpretationem ſumit[h]. *Sacrum commiſſum*, inquit ille, *quod neque expiari poterit, impiè com-*

[a] Cicer. de Prouinc. conſularib.

[b] Cicer. Philip. 14.

[c] Dio li. 43.

[d] Cic. li. 1. de diuinat.

[e] Liuius li. 3 & 7.

[f] Agel. li. 2. cap. 28.

[g] Ludouic. Carrio. & Lipſ. lib. 1. elect. cap. 7.

[h] li. 2. de legib.

missum esto: Quod expiari poterit, publici Sacerdotes expianto. Vt si Prætor ferias violarit qui tum factus est [a]: Si imprudens fecit piaculari hostia factum piatur. Si prudens dixit, Q. Mucius abnegabat eum expiari & vt impium non posse dicebat. Rectè ergo Agellius ex Varrone *piaculóque opus esset.* Nam pollutæ feriæ nullo aliquando piaculo expiabantur.

[a] Varro. li. 5 de ling. lat.

Pandiculares dies adiicio [b], qui supplicationum feriis præcipuè communes, ideóque communicarij dicebantur, quandò Diis omnibus sacrificabatur, vt in multa pace. Ab iis Panda Εἰρήνης θεὸς [c]. Nundinæ nihil ad Pontifices veteres, licet ij sacra profanáque omnia vbique fuerint nundinati. Hæ feriæ siue de festo fuerunt [d].

[b] Festus in verb. Pandiculatis.

[c] Gloss. vet.

[d] Festus in verb. ferias.

FERIÆ IMPERIALES, REPENTINÆ. Natales Principum. Præcidaneæ feriæ. Atri dies. Dies necis Senatusconsulto celebrati.

CAP. XVI.

FERIAE Imperatiuæ tandem imperiales dictæ [e], quod ab Imperatoribus edicerentur, cum antea à maioribus Magistratibus. Fuerunt hæ aut statæ aut repentinæ, statæ siue sollenes, vt Natales principum, ami-

[e] l. 4. C. de feriis.

corúmue principis, Natales vrbium. Repentinæ extra ordinem indictæ ob res prosperè gestas, vel ob ipsius principis honorem[a]. Natales vrbium vel Coloniarum, ab ipsarum ortu initium ducunt vt Brundusinæ Coloniæ natales[b], Romæ Palilia; Quæ quidem à principibus etiam Christianis seruatæ & imperatæ[c]. Etenim natales maximarum vrbium Romæ & Constantinopoleos, vt suos, otio sanxerunt. Natales principum ab ipso Augusto Cæsare originem trahunt[d], Triumuiris Reip. constituendæ authoribus: qui imperarunt, vt illi ab omnibus animo læto, lauróque coronatis celebrarentur; & qui neglexissent illi Ioui Cæsaríque sacri haberentur. Et quoniam in natalem diem Cæsaris, ludi Apollinares incidebant, pridie eius diei natalitia peragi iussum est, quæ propriè præcidaneæ feriæ, quia non suo die actæ, sed in alium translatæ sunt[e]. Præcidere enim est antecedere[f], quæ græcis παρατέλειος ἡμέρα. Equites Romani natalem Augusti sponte atque consensu biduo celebrarunt, cum vnius diei feriæ essent[g]. Hic tandem festus dies Augusti in Kalendarium redactus est Septembri mense, quod omnibus retrò principibus concessum est, vel necessitate expressa, vel verecundia Romæ.

a l. sed & si. §. si feriæ. D. ex quib. cauf. maior.
b Cic. 4. ad Attic. epist. 1
c l. 2. C. Theod. de feriis.
d Dio li. 47
e Agel. lib. 4. cap. 6.
f Festus in verb. præcidere.
g Sueton. in August. ca. 57.

DECRETVM

218.8. ÆDICVLAM. ET. STATVAS. HAS. HOSTIAM. DEDICATIONI. VICTIMAE. NATALI. AVG. VIII. KAL. OCTOBR. DVAE. QVAE. PP. IMMORARI. SVETAE SVNT. AD. ARAM . . . . . EOQVE. NATALI. VT. QVODANNIS. VITVLVS. IMMOLETVR. ET. NATALIB. AVGVSTI. ET. TIBERI CÆSS. PRIVSQVAM. AD. VESCENDVM. DECVRIONES EANT. THVRE. ET. VINO. GENII. EORVM. INVITENTVR . . . . . NATALI. AVGVSTAE. MVLSVM. ET. CRVSTVLA. MVLIERIB. VICANIS. AD. BONAM. DEAM. PECVN. DEDIMVS

Hic Victimæ duæ natali Augusti immolantur, Tiberij vitulus. Vtriusque natalibus, Thure & vino Genij eorum inuitantur. Illis vt diuis, sacra facta. At merum fusum Geniis, non hostiam factum, quod id moris institutique Rom. tenuerunt, vt cum die natali munus Genio soluerent, manum à cæde & sanguine abstinerent[a]. Tritum est viris Genios, Iunones fœminis veteres tribuisse[b]. Quare Bonam Deam in hac inscriptione, non malè pro Iunone acceperis. Inscriptio Romæ.

[a] Censorin. cap. 2.
[b] Plin. lib. 2. cap. 7.

106. 6. LARIBVS. AVGVSTI. ET
GENIS. CAESARVM

Burdigalæ.

25. 11. IVNONIBVS. IVLIÆ
ET. SEXTILIÆ

Sed

Sed natales principum perſequamur, qui tantę iis curæ fuerunt, vt Cæſar Caligula[a] Domitium Conſulem conſtituerit, Conſulibus abrogato magiſtratu, quod ferias in ſuum natalem non indixiſſent, Cum Prætores & decurſionem Equeſtrem exhibuiſſent, venationémque, ſolitum id quotannis. [a] Dio li. 59.

Amicorum quoque principis qui apud illum plurimum poterant, natales feſti agitabantur. Sic decretum à Senatu vt natalis Seiani publicè celebraretur[b]. Queis diebus Circenſes ludi additi ſunt, venationes, ſportularum diuiſiones[c], tanto ſtudio & fauore acceptæ, etiam in priuatorum gratiam, vt cum quidam decurionibus diuiſiones dari voluiſſet, die natalis ſui: Diui Seuerus & Antoninus reſcripſerunt[d], non eſſe veriſimile teſtatorem de vno anno ſenſiſſe, ſed de perpetuo legato. [b] Dio lib. 58. [c] Capitolin. in Anton. Pio. [d] l. quidam. D. de Annu. legat.

Repentinæ Imperiales feriæ nõ ſolùm ob res proſperè geſtas: Sed in principis honorem, vt ob reditum Auguſti, qui dies inter ferias relatus eſt. Fortuna redux in nummis notatur, vt aduentus Auguſti. Apud me nummus eſt aëreus Elagabali.

Adiungo inſcriptionem veterem Albæ Iuliæ.

78. 1. FORTVNÆ
REDVCI. LARI
VIALI. ROMÆ
ÆTERNÆ

Alia rurſus dierum obſeruatio eſt. Sunt enim atri dies religioſi, alieni, vitioſi, nefaſti, qui omnes obſcœni ſunt ominis aut mali à Pontificibus vel magiſtratibus iudicati.

[a] Apud Nonium. Religioſos dies Nigidius[a] appellauit infames vel infauſtos, qui ſex & triginta numerantur, ſingulis menſibus terni[b], poſtridie Kal. Nonas, Idus, Pontificum decreto. Atri propriè appellantur Allienſis dies, atque ij quibus mundus patet, qui & religioſi. Allienſis dies fuit poſtridie Idus Quintiles, quem funeſtiorem eſſe voluerunt, quàm vrbis captæ[c], quod hoc malum ex illo. *Itaque alter*, inquit Tullius, *religioſus, alter in vulgus ignotus.*

[b] Liuius lib. 6. Feſt. in verb. Nonarum, & religioſos.

[c] Cic. 9. ad Attic. epiſt. 9.

[d] In verb. mundus patens. Macrob. 1. ſat. cap. 16.

[e] lib. 5. ca. 17

[f] lib. 14. Annal.

[g] In Tiber. cap. 53.

Mundus patens latè explicatur à Feſto[d] & Macrobio ex Atteio Capitone libro ſexto Pontificali, & Varrone. Hos dies imperitè à vulgo nefaſtos appellari Agellius putat[e], in quo fallitur vir acuti ingenij & elegantis. Nam hi dies atri, religioſi, alieni, nefaſti dicti ſunt Claſſicis authoribus. Tacitus[f]. *Miro*, inquit, *certamine Procerum decernitur, vt dies natalis Agrippinæ inter nefaſtos eſſet.* Suetonius[g] de Agrippina altera nuru. *Diem quoque natalem eius inter nefaſtos referendum Tiberius ſuaſit.* Primi Triumuiri Reipub. conſtituendæ, diem necis Iulij Cæſaris nefaſtum

censuerunt τὴν ἡμέραν ἐν ᾗ ἐφονεύθη Ἀπφεῖδα ἀνόμησαν[a]. [a] Dio li. 47

Inter dies atros repono illos qui ob diem necis alicuius, festi fuere. Cuius sententiæ Cn. Lentulus author fuisse videtur, qui cum Libo mortem sibi cōsciuisset, censuit vt dies illius necis festus haberetur[b]. Quod à Senatu primùm post Seiani supplicium decretum est, atque vt idem dies Circensibus ludis & venationibus, per quatuor Collegia; & Augusti Sacerdotes ornaretur[c], quod nouum nec antea factum. Priùs quidem mortuo Antonio & Agrippina natales Senatusconsulto atri iudicati ἡμέραι μιαραὶ νενομισμέναι[d] id est, rebus diuinis superfederi iussum. Mortuo Sex. Pompeio ludi exibiti; sed dies festus & ludi in odium Seiani primùm decreti sunt. [b] Tacit. li. 2. Annal. [c] Dio lib. 58 [d] Dio li. 49.

DE PRIVATIS FERIIS QVÆ *fuere aut certæ familiæ, aut Collegij aut singulorum. Natalis dies nauigationis, Priuatorum natales post mortem celebrati.*

CAP. XVII.

RVRSVS feriæ aut publicæ sunt aut priuatæ. De publicis hactenus, inter quas forenses non attigi, quod hæ nihil ad Pontificum decretum, qui dilationibus

iudiciorum aut litium impediri non ſolebant. Mihi quidem illæ ad illorum ius dignoſcendum plurimùm contulerunt.

Priuatæ feriæ aut certæ familiæ fuerunt aut Collegij aut ſingulorum[a]. Familiæ vt Claudiæ, Iuliæ, ex vſu domeſtico & perpetuis ſacris & Gentilitiis quæ per ſucceſſionem generis συγγενικὰ dicũtur[b]. C. Claudius, cum Appio Claudio Gentili ſuo ſuaderet, vt ſeſe Decemuiratu abdicaret: Iam me tibi, inquit, generis debita perſoluiſſe Deos teſtor, quorum fana & aras communibus ſacrificiis honoramus, quotquot Appiæ gentis ſucceſſores ſumus. Μαρτύρομαι θεὺς, οὓς ἱεροῖς ἐν δώμοις κοινοῖς θυσίαις γεραίρομεν, οἱ τῆς Ἀππίου θρεπτὰς ἀφῖκόμην.

[a] Macrob. li.1.ſat.cap.16.

[b] Dionyſ.li.2.& 11.

Collegiorum feriæ ſunt vt Natales dies nauigationis[c], qui ſollemni certamine publicóque ſpectaculo multarum gentium celebrabatur. De cuius ritu Apuleius multa[d]. *Ad ripam maris*, inquit, *ſimulachris ritè diſpoſitis, nauem faberrimè factam, picturis miris Ægyptiorum circumſecus variegatam, ſummus Sacerdos tæda lucida & ouo & ſulphure ſollemniſſimas preces de caſto prafatus ore, quampuriſſimè purificatam Deæ nuncupauit dedicauitque.* Hinc dies ille, quo poſt forenſes ferias litibus rurſus implicamur, quem vulgus Parlamenti apertionem dicit, non malè vocari poſſet, *Natalis dies forenſium actionum*, quo ſcilicet emortuæ illæ valentiores reuiuiſcunt.

[c] Vegetius li.4.cap.29.

[d] lib.11.metamorph.

Singulorum feriæ nuptiarum dies fuerunt aut natalium aut funerum. De nuptiis aliquando plura in libro de ſacris. Priuatorum natales meliore lapillo

non celebro, quàm veteres poëtæ qui nihil obmiſerunt, vnum dicam natalem poſt mortem à pleriſque coli ſolitum. Talis fuit natalis dies Epicuri[a], quo vultus per cubicula geſtabant, natali eius viceſima, luna ſacrificabant, feriáſque cuſtodiebant omni menſe. Et Silius Italicus diem natalem Virgilij religioſiùs celebrauit, quàm ſuum, vt Plinius author eſt[b]. In huiuſmodi celebrationibus quæ frequentiſſimæ ex teſtamento, Cruſtum mulſum, ſportularum diuiſio, vinum, nucúmque ſparſio data, quæ ex antiquis inſcriptionibus colligi poſſunt, inter quas vna hæc eſt.

[a] Cic. li. 2. de finib. Plin. li. 35. cap. 2.

[b] Plin. lib. 3. epiſt. 7.

A. QVINTILIO. A. F
PAL. PRISCO 461. 1.
. . . . . .
QVOD. ANNIS. VI. ID. MAII. DIE. NATALI. SVO PERP. DARETVR. PRAESENT. MVNICIP. ET. INCOL ET. MVLIERIB. NVPTIS. CRVSTVL. P. I. MVLSI. HEMIN. ET. CIRCA. TRICLIN. DECVRIONIB. MVLSVM. ET. CRVST. ET. SPORT. H-S. X. N. . . .
. . . . . .
NVCVM. SPARSION. MOD. XXX. ET. EX. VINI. VRNIS. VI. POTIONVM. EMINISTRATION. DIGNE. INCREMENTIS. PRAESTITERINT

Funerum ferias in aliam huius operis partem transferemus.

DE LVDIS QVI AVT CIRCENSES aut scenici. Publici aut priuati. Taurilia ludi. Honorarij ludi.

CAP. XVIII.

QUESTIS diebus insunt ludi, qui à primordio aut sacri fuere, aut funebres, id est, diis nationum aut mortuis exhibebantur [a]. Qui in Deorum honorem, duorum illi generum præcipuè fuerunt, Circenses aut scenici. Atque illi quidem varij vt Megalenses, Sæculares, Latiales, & cæteri, quorum pleríque Circenses magni, & Romani dicti sunt. Omnes verò aut stati, erant, imperatiui, repentini, honorarij, aut votiui. Illíque rursus aut publici aut priuati, publici diis solùm communes; priuati in honorem fiebant magistratuum aut mortuorum. Ludorum celebrationes Deorũ festa sunt, qui quidem ob natales eorum vel templorum nouorũ dedicationes sunt instituti, quos omnes sacros esse voluerũt, & inter religionis officia deputari [b]. Nec enim ludus sine sacrificio, meritóque Tertullianus [c] exclamabat. *In ludis quanta sacra, quanta sacrificia præcedũt, intercedunt, succedunt? Quot Collegia? quot Sacerdotia?* Collegiis enim quatuor præcipuè mãdata erat ludorũ cura, quibus aliquãdò Sodales adiiciebantur. Locus Taciti [d]. *Sed tum supplicia diis, ludíque magni ab Senatu decernũtur, quos Pontifices & Augures,*

a Tertulian. de spectaculi cap. 6.

b Lactãtius de vero cultu. cap. 20. Arnob. li. 7.

c lib de spectac. cap. 7. D. Cyprian. de spectac.

d 3. Annal.

& Quindecimuiri, & Septemuiri simul cùm Sodalibus Augustalibus ederent. Censuerat L. Apronius vt Fecialeis his quoque ludis præsiderent, contradixit Cæsar, distincto Sacerdotiorum iure, & repetitis exemplis. Neque enim vnquam Fecialibus hoc maiestatis fuit. Ideò Augustales adiecti[a], quia proprium eius domus Sacerdotium erat, pro qua vota persoluerentur. [a] Dio lib. 53

Meminit Liuius[b] Collegij Capitolinorum, quod ad ludos Capitolinos constitutum est à M. Furio Dictatore, ex iis qui in Capitolio, atque in arce habitarent. Quod ad M. Tullij tempora durauit, quibus M. Furij Gentilis ab hoc Collegio expulsus est. *Non prætermittam*, inquit Tullius[c], *ne illud quidem M. Furium Equitem Rom. hominem nequam, Capitolini & Mercuriales de Collegio dejecerunt.* Capitolinos eosdem fuisse cùm Tarpeijs Piso tradit[d]. Hos tamen Romulus Ioui Feretrio instituit: At illi à M. Furio Camillo primùm facti. [b] lib. 5. [c] li. 2. ad Q. fratr epist. 5 [d] Tertul. li. de spectacul. cap. 5.

Collegia autem Pontificibus aderant in publicis ludis, maximéque Circensibus aut Romanis. Sed certa tantùm præsidebant his ludis, vt tria amplissima & Septemuiri Epulones, qui propter ludorum multitudinem sunt creati. In iis ludis Pontificis maximi, vt iam monuimus, erant Tensæ, præcentio, libationes, Epulæque.

Sed cum me quasi ad ludum damnauerim, Pontificum gratia pugnare lubet. Et si displiceam, vel pollice verso occumbere; quemlibet fortunæ casum æquo animo feram, si modò atrior non videar, quàm Ægyptij aut qui Cortinam ludis per Circum

ferunt[a]. Primùm igitur inferorum ludos edemus, qui Taurilia dicti sunt. Hos instituit Tarquinius Superbus ex libris fatalibus. Dictos putat Seruius[b], à Taura quæ sterilis vacca est Varroni[c], quod Virgilij[d] authoritas firmare videtur.

Sterilémque tibi Proserpina vaccam.

Festus[e] contra Taurios vocatos credit à carne Taurorum immolatorum diuendita populo. At Varro[f] quod iis ludis discipulus pendens à doctore, crudo Tauri corio, solitus sit impelli. In hac authorum varietate locus mihi non est sententiæ dicendæ, sed licet putare Taurilia à Tauris Scythiæ populis denominata[g], vbi Tauricæ Dianæ quæ apud inferos Proserpina est, pro victimis homines immolabantur. Diu enim Romæ Diti patri humanis capitibus sacrificatum, ad ipsa vsque Tarquini tempora[h], qui Tauricos instituisse fertur: & ludos ex vicis compitorum, in quibus agitabantur, Compitales Laribus ac Maniæ restituisse. Quo pulso, Sacrificij genus M. Brutus aliter Diis inferis constituit celebrandum.

Tria autem Diis inferis ludorum genera sunt exibita Taurilia, Compitalia, Terentini ludi. Taurilia ludi, non stati, neque frequentes, nisi religionis alicuius causa[i], Illíque in Circo Flaminio, ne intra muros dij inferi euocarentur. In campo Martio Terentini ludi Diti Patri & Proserpinæ[k], Centesimo quoque anno fiebant ex Varrone de scenicis originibus libro primo. Terentini secularibus includuntur: In his hostiæ propter ripam Tyberis ad Tarentum diis consecrantur, vel si Festo credimus[l], Terentum locus est in

[a] Plaut. in Pœnulo.
[b] 12. Æneid.
[c] Varro li. 2 de re rustic. cap. 5.
[d] 6. Æneid.
[e] In verb. Taurios.
[f] lib. 4. de ling. lat.
[g] Herodot. in Melpone. Euripid. in Tauris.
[h] Macrob. li. 1. satur. cap. 7.
[i] Liuius lib. 39.
[k] Censorin. de die nat. cap. 17.
[l] In verb. Terentum.

est in campo Martio, dictus quod eò ara ditis Patris in terra occultaretur.

Ab inferis Diis ad superos transcendamus. Sollemnes illorum ludos aliquos percurremus solùm aurigarum more, quo citius perueniamus ad metam. Sæculares magnifice appararunt Censorinus & Zozymus[a], quos libro singulari ita diligenter curauit Onuphrius, vt non debeant instaurari. In his Lustralia populo à Quindecimuiris distributa nummi Domitiani indicant, in quibus Imperator XV. vir in suggestu ante templi porticum, vasa duo ante pedes habet, ex quibus suffimenta petentibus largitur, vt ex notis nummi intelligitur in quo scriptum PONT. MAX. XV. VIR. LVD. SAEC. Sub Tribunali SVF. P.D. hoc est suffimenta populo data.

[a] Cap. 17. Zosim. li. 2.

Ea enim cura Quindecimuiris mandata erat antiquitus, & magistratus exequebantur officia ceremoniarum[b].

[b] Tacit. li. 11 Annal.

Ludi vero cæteri publici erant stati & sollemnes vt in Kalendario vetere notantur: in quo Aprili mẽse fuere ludi matris magnæ, qui Megalesia, Cerealia,

Fordicidia à fordis bobus. Maio menſe Martiales ludi: Iulio, Apollinares & victoriæ Cæſaris: Septembri, Romani & natales Auguſti: Octobri, ludi Victoriæ: Nouembri, ludi Neptunales & plebeij. Ex iis qui in Circo maximo toti, celebrantur, Circenſes dicti ſunt. Quare qui putant Cereales, Megalenſes, alióſque cùm Circenſibus eoſdem eſſe, falluntur hercle illi, Nam vt ludi Romani toti in Circo, quemadmodum & victoriæ Cæſaris, & natales Auguſti, plebeiíque: Sic matris magnæ, Cereris, Apollinis ex veteri eodem Kalendario, toti in Scena, quorum dies vltimus qui extremus vel ſummus [a] in Circo ſolus tranſactus: Summúſque dictus, quod in Circo maiore celebritate perficeretur. Deorum aliorum ludi incertis diebus fiebant: vt Scenici Baccho; Equiria, Marti [b]. Ludi autem in templorum vel locorum publicorum dedicationibus exibiti, vel natalibus Imperatorum, aut eorum, quorum dies necis feſtus ludis celebrabatur, Imperatiui primum fuerunt, quorum pleríque poſtea ſtati [c]. Alij fuerunt repentini ludi, quos M. Tullius [d], fortuitos vocat. Honorarij ludi Feſto [e] ſunt Liberalia, qui promiſcuè ludi dicebantur, quia Scenici omnes Libero dicati [f]. Sed honorarij ad honorem referri poſſunt priuatorum, Cuiuſmodi fuerunt Pontificales ludi, Quæſtorij, Ædilitij, Triumphales vel funebres: Quos ſuo loco ſine ſumptu nos edemus.

[a] Cic. lib. 7. epiſt. 1. & li. 10. epiſt. 32.

[b] Tertul. de ſpectacul. cap. 5.

[c] Sueton. in Caligul. ca. 18.

[d] In Partitionib.

[e] In verb. honorarios

[f] Lactant. li. 6. de vero cult. ca. 20.

DE LVDIS SCENICIS. DE *ludorum diebus & sumptibus. Ludi in Prouinciis. Hostici, Miscelli.*

CAP. XIX.

SCENAE adhuc seruiendum nobis est, non vt in illa spectemur, sed vt digni videamur, qui eò non accedamus. Scenici omnibus ferè inerant ludis [a], frequentissimi illi quidem & in Circo aliquando celebrati, vt Terentij testantur Comœdiæ actæ ludis Megalensibus & Romanis. Nec temerè in Kalendario dies numerantur, quibus hi ludi in Circo editi sunt: eorum enim partem maiorem sibi forum & scena vendicarunt. Sed quos Liuius [b] vocat ludos Romanos Scenicos, nõ satis explicatum. Nec enim illos, ludos magnos aut Circenses dixerim: Sed scenicos Romanos ad differentiam illorum trium qui in scena celebrabantur, vocitatos puto. In illa enim fuere Latini, Græci, Osci sermone habituq; diuersi [c]. Osci populi Campaniæ, qui cum latinè nescirent, à Romanis tamen facilè & cùm voluptate intelligebantur, propter imperitiam linguæ, & cum gens illa Oscorum periisset, sermo eorum apud Romanos remansit, & carmina quædam, & mimi certo quodam certamine, quod instituto maiorum colebatur, in scenam recitabantur. Romani igitur scenici sunt, quibus nec Græci nec Osci inessent.

[a] Liuius li. 7.

[b] lib. 7. Suetonius in August cap. 43

[c] Cic. 7. epistol. 1. Plin. lib. 3. cap. 5. Strab. li. 5.

Ludi omnis generis votiui fuerunt plurimi, qui vel publici vel priuati. Publici Senatusconsulto à magistratu maiore vouebantur. Vt cum ob tumultum Gallicum Q. Seruilius Hala Dictator creatus, ex authoritate patrum, si prosperè bellum euenisset, ludos magnos vouit[a]. Quandoque in ipso pugnæ discrimine Imperatores vouebant ludos, quos posteà bello confecto Senatus comprobabat[b]. Quales fuere Posthumij Dictatoris, quos votiuos Senatus decreuit. Votiui pro reditu Imperatoris leguntur in antiquo lapide Romæ.

[a] Liuius li. 2.

[b] Dionys. li. 7.

11. 1.

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CÆS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPT. MAXIMO. FECIT
EX. S. C

Votiui ludi ad omnes primùm publicas aut bellorum aut pestilentiæ calamitates, domesticas clades, aut victorias, aut si Resp. in eodem statu permaneret, referebantur: qui postea pro itu & reditu principis, pro aduentu, ex adulatione illi quidem, non ex antiquo ritu concepti. Ludorum verò dies eò processerunt vt annales ferè indixerint ferias mutuo cõcursu. Scenici primum per quatriduum facti Q. Fabio & M. Claudio Coss. post Cannensem cladem[c]. Ludi

[c] Liuius lib. 24.

Agrippæ in Ædilitate vnde-ſexaginta diebus celebrati[a], ſecundum quos nulli dies ad agendum. Ferunt Traianum[b] confecto Dacico bello per centum & viginti tres dies Romæ ludos edidiſſe, quod factum eſt Decebalo rege deuicto. De hoc elegans inſcriptio vetus.

[a] Plin. li. 36. ca. 15. Cicer. act. 1. in Verrem.

[b] Xiphilin. in Traian.

FORTVNAE
AVG
OMNIPOTENTI
VBI. ERAS
RHAMNV
SIA
VBI. ERAS
QVANTVM. ABFVIT
NE. ROMA. LVGERET
SED. VIVIT. TRAIANVS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VII. ET. XIII. G
DEVOTIS. CAPITIBVS

73. 8.

Atque vt dies ludorum innumeri, ſic ſumptus immodici fuerunt. Cum Triumphus M. Fuluio decretus eſſet, iſque gratias patribus ageret, ludos magnos ſe Ioui Opt. Max. eo die, quo Ambraciam, cepiſſet vouiſſe retulit. Centum ſibi pondo auri à ciuitatibus collatum petere, vt ex ea pecunia, quam in triumphum latam in ærario poſiturus eſſet, id aurum ſecerni iuberent[a]. Senatus Pótificum collegium Conſuli iuſſit, num omne id aurum in ludos conſumi ne-

[a] Liuius lib. 39.

ceſſe eſſet, Cum Pontifices negaſſent ad religionem pertinere, quanta impenſa in ludos fieret: Senatus permiſit Fuluio, quantum vellet impenderet, dum ne ſummam octoginta millium impenderet.

[a] Liuius li. 40. De pecunia tandem Senatuſconſulto finitum[a], *ne maior, cauſa ludorum conſumeretur, quàm quarta Fuluio nobiliori, poſt Ætolicum bellum ludos facienti decreta eſſet: Néue quid ad eos ludos Conſul arceſſeret, cogeret, acciperet, faceret, aduerſus id Senatuſconſultum. Quod L. Æmylio Cn. Bebio Coss. de ludis factum eſſet.* Decreuit id Senatus propter effuſos ſumptus factos in ludos Titi Sempronij Ædilis, qui graues non modo Italiæ ac ſociis Latini nominis, ſed etiam Prouinciis externis fuerant.

Priuatorum impenſæ profuſiores fuerunt, quorum ludi ab editoribus nomen aſſumebant, vt ludi Pompeij, Domitij, Germanici, ludi Cæſarum, quos priuatos fuiſſe Sidonius[b] docet.

[b] Carmin. 23.

Mos eſt Cæſaris hîc die bis vno,
Priuatos vocitant, parare ludos.

Nec verò Romæ tantùm ſed in Prouinciis & municipiis ludi facti à Proconſulibus & Duumuiris, atque ab ipſis etiam Imperatoribus. Caligula ludos Gadibus exibuit[c]: Syracuſis edidit hoſticos, in Gallia Lugdunenſi Miſcellos. Hoſtici ludi viros doctiſſimos feriunt[d], qui malunt Actiacos, Atticos, Aſticos, quos probare non poſſum. Hoſticos enim πολεμίους interpretor, quos Capitolinus[e] militares. Et cum hoſtici nomen latinitas admittat, miror ego cur Critici reijciant. *Seruitium commune hoſtica euenisse manu*, Plautus[f]

[c] Sueton. in Calig. cap. 20.
[d] Turneb. li. 4. aduerſar. cap. 17.
[e] In Maximin. duob.
[f] In Captiueis.

dixit. Nemo tamen literatus ſuum me inimicum aut hoſtem putet, ſi non video quomodo antiqua lectio explodi poſſit, quæ ludos hoſticos ſcriptos habet.

Miſcelli ludi ſunt varij, quæ vox indigena non eſt, (pace viri eruditiſſimi dixerim,) Nam & lex Iulia Miſcella à mixtis multarum rerum capitibus dicta, vt ludi Miſcelli, ab eorum varietate nuncupati. Ab hoc verbi Miſcelliones[a] dicti, quæ variæ ſunt ſententiæ mixtorúmue iudiciorum. Confuſè & permixtim æquo vtrumque munere à Gladiatoribus plerumq; pugnatum vel hoſtili more Lipſius[b] apertum facit. Hæcce pugna hoſticis aut miſcellis ludis committebatur, hoſtici quodam ordine pugnæ, miſcelli perturbati, vtríque bellico more. De his Iuuenalis[c].

[a] Feſtus in verb. miſcelliones.

[b] lib. 2. Satur nal. cap. 16.

[c] Satyr. 2.

Sic veniunt ad miſcellanea ludi,
Cum homines exagitat deperditę gulæ. Veteri interpreti Miſcellanea cibus gladiatorum fuit, & vltima cœna. Sic Vitellius paratos cibos, vt gladiatorum ſaginam diuiſiſſe dicebatur[d]. Ab hac cœna in arenam prodeuntes prælio confuſo & hoſtili vitam miſerè finiebant. Quod decoctoribus euenire ſolet, qui fame pereunt miſerè cùm vna cœna patrimonium omne conſumpſerunt.

[d] Tacit. li. 2. hiſtor.

QVI DARE LVDOS POSSENT: QVI illis præesse. An priuatis id licuerit. Defunctæ Africanæ.

CAP. XX.

QVI magistratus non essent, illis nisi funeris causa ludos facere non licebat. Meritò M. Tullius[a] Q. Gallium insectatur, quod ludos Gladiatorum, populo non debitos, pollicitus esset. Ille enim in Ædilitate quam ante annum gesserat, bestias non habuerat, populóque propterea offensior, quàm vt sibi conciliaret Præturæ Candidatus: Is cum suo nomine priuatos ludos facere non posset, dedit Gladiatorium, sub titulo id patris pridem vita fuucti, se id dare professus.

a Ascon. in oratio. de tog. candid.

Pontifices ob honorem Sacerdotij ludos edere potuerunt, qui sacri magistratus erant: Quales ob Pontificatum maximum primus Augustus Pontificales ludos exibuit, quibus ludis pugilum par postulatum, distulit in sequentis diei matutinum tempus[b]. Hunc Pontifices alij postea secuti sunt: & transiit hoc genus editionis ab honoribus mortuorum ad viuentium honores, Quæsturas & magistratus & Flaminia & Sacerdotia. Nummus Augusti.

b Sueton. in Augusto. ca. 44.

Lapis



Lapis Lugduni.

SEX. LIGVRIVS. SEX. FIL
OB. HONOREM. PERPETVI. PONTIF
LVDOS. CIRCENSES. DEDIT. L. D. D. D

431. 1.

Ob eundem honorem ſacra quoque facta. Arianæ Hiſpan.

66. 3.

LIBERO. PATRI
AVG. SACR
IN. HONOREM
PONTIFICATVS
L. CALPVRN. L. F
II. VIR. BIS. FLAM
SACRA. PVB. MVNICIPAL
PONT. DOM. AVG
D. S. P. D. D

Tandem in Prouinciis coacti ſunt ſacerdotes ludos populo dare: atque horum exhibitio patrimonij munus fuit[a]. Imperator Alexander. *Si de proprio ſuo patrimonio muneris editionem tuo nomine pater tuus repromiſit, ideóque etiam Sacerdotem te creari impetrauit: Onus*

[a] l. 8. de muneribus patrim. C. lib. 10.

erogationis commune omnium heredum eius esse, Præses Prouinciæ non ignorabit[a]. Quapropter numero quinque liberorum subnixos in Asia Sacerdotium suscipere non cogi, Imperator Seuerus constituit[b]; ne, vt credo, immodicis ludorum sumptibus illi vexarentur. Vt nullus in Prouinciis nisi sponte, Sacerdotium iterare cogebatur[c].

a l.1.De pericul. successor. parent. C. li.10.

b l.in honoribus. D.de vacat.& excus. muner.

c l.spōte. D. de muner. & honorib.

Pontificalibus ludis Romæ, vt Sacerdotalibus in Prouinciis præerant Pontifices & Sacerdotes. Vt priuati iis quos funeris causa dedissent: Ædiles Ædilitiis. Nam publicis ludis, qui sumptibus populi Rom. fiebant Prætor vrbanus præerat, qui si morbo impediretur, Dictator dicebatur, qui ludis signum mittendis quadrigis daret[d]. Augustus pro Magistratibus, qui aut abessent aut non sufficerent, ter & vicies ludos se dedisse scripsit[e]. Nam suo nomine quater tantùm ludos fecit, atque elegit, qui suam vicem præsidendo fungerentur. Clarum ergo est muneris editorem, cui per leges ludos dare concessum est, illis præfuisse: vt publicis Prætorem vel Dictatorem.

d Liuius li. 27.

e Suetō. in August. ca. 43.& 45.

Hîc non immorarer, ni me Lipsius[f], ingratiis moraretur. Nam lectionem Suetonij improbat, quæ nec interuerti nec interpollari debuit. Scribit Suetonius Augustum ludos suo nomine quater fecisse. Atqui, inquit, Lipsius, tredecies Consul fuit, qui magistratu coactus dare, more & lege. Addit igitur vir doctus *quater & vicies*, repetita voce ex linea sequenti. Nec spernat, ait, si quis scribat *quadragies*. Quæsijssem primùm à viro peritissimo, qua lege, aut more, stante Repub. coacti sint Consules ludos dare?

f lib.2. Elector.cap.17

Euersa illa, quo iure Augustus Imperator? Huius enim sententię adstipulatorē noui neminē. Ædilium & Quæstorum Prætorum hoc mūneris fuisse scio, si vellent aut possent, vt ex Q. Gallio perspicuum est: Consulum ob Magistratus honorē nullus lego. Nam quos secundo Consulatu dedit Pompeius, illi fuerūt ob Theatri dedicationem. Consules certè sub Imperatoribus Romæ, vt Proconsules in Prouinciis, vel etiam Municipales Magistratus suis sumptibus dederūt ludos[a]. Atque eos, post Augusti tempora cùm nouis legibus essent obstricti. Iam expēdamus quomodo Augustus, qui per annos quatuor & quadraginta solus Remp. liberè administrarit, suo nomine ludos tantùm quatuor dedisse potuerit. Nam de illorum numero suspectus doctissimis viris Suetonij locus est, cuius lectionem illi non immutarunt. Rectè sanè. Nam Breuiarium Augusti lectionis vulgatæ firmat fidem. Caput subiicio quod ad hanc rem.

[a] l. 1. C. Theod. de spectacul. l. Publius Meuius. D. de condit. & demonstr. Nouel. 105. Symmach. li. 10. epist. 4

TEMPVS. DEFVNCTARVM. AFRICANARVM MEO. NOMINE. AVT. FILIORVM. MEORVM ET. NEPOTVM. IN. CIRCO . . . . . AVT IN. FORO. AVT. IN. AMPHITHEATRIS. POPVLO . . . . . QVIBVS. CONFECTA. SVNT. BESTIARVM. CIRCITER. TRIVM. MILLIVM. ET. QVINGENTA. NAVALIS. PRÆLII. SPECTACVLVM. POPVL . . . . . LIBERVM. IN. QVO. LOCO NVNC. NEMVS. EST. CÆSARVM . . . . . CAVATO. LONGITVDINE. MILLE. ET. OCTINGENTOS. PEDES.

251.

Nauale spectaculum paucis Suetonius [a] expressit. *Nauale*, inquit, *prælium circa Tyberim cauato solo, in quo nunc Cæsarum nemus est.* Quod Dio [b] tribuit Iulio Cæsari, in quo lapsus est græcus scriptor, vt Breuiarium hoc testatur, quod & Lipsij errorem detegit, de ludorum numero, quem in Suetonio credit manifestum. Caput istud multum habet antiquitatis, quæ ludicram venationem commendat. Venabor ego & iis armis, quæ lege Iulia de vi publica concessa sunt. Tempus defunctarum Africanarum operiendum primùm est. Neque enim hæ feræ omnibus horis capiuntur, quarum vestigia iamdudum me terruerunt. Altiori indagine saltus cingendi sunt. Voluptati fortè fuerit, vel sine præda syluas fatigasse, vel vti venantium insomnia mea partiri. Ὡς ἢ τὰν ἄγραν πωνείεται πᾶντα μεθέλειν [c].

[a] In Augusto. cap. 43.
[b] lib. 43.
[c] Theocrit. Idil. 21.

Andreas Schottus vir magni in literis nominis & boni. Breuiarij huius fragmentum, quod posteà editum est, publici vsus primus fecit, sicque vulgauit [d].

[d] In schol. ad Aurel. Victor.

. . . QVÆ. ANTE. TEMPVS. DEFVNCTARVM AFRICANARVM. DECREVERAM. ME O. NOMINE &c. Africanas, Pantheras significare alij obseruarunt. Vetus fuit Senatusconsultum, quo Africanas in Italiam aduehere non liceret [e]. Quod C. Aufidius permisit lege ad populum lata, Circensium gratia importare. Primus Scaurus Ædilitate sua, ducentas & quinquaginta: Pompeius magnus decem & quadringentas: D. Augustus quadringentas viginti Pantheras dedit. Delitescentes illas in Cubilibus, vestigiis

[e] Plin. lib. 8 cap. 17.

vel incertis sectari lubet. Inscriptionis me pungunt spicula. Nam quæ desunt, facilè suppleri non possunt, nec quæ scripta sunt intelligi. Quid enim hæc sibi volunt. *Quæ ante tempus defunctarum africanarum decreueram*? Qui reconditas literas venantur, his plagis ipsi irretiri possunt. Audacior ego extricatis illis, pugnare tentabo, lego itaque, *statutis quæ ante tempus defunctarum africanarum decreueram meo nomine, aut filiorum meorum, & nepotum in Circo ludos, aut in foro aut in Amphitheatris populo* IIII. *feci, quibus confecta sunt*, &c. Statuta voco quæ decreuerat Augustus cum spectandi confusum & solutum morem correxit[a], facto decreto patrum, vt quoties quid spectãdum vsquam publicè ederetur, primus Subselliorum ordo vacaret Senatoribus. Quod quidem decreuerat ante tempus defunctarum Africanarum, quas primis Circẽsibus, votiuis produxerat, quo tempore sedum discrimina perturbata, Augustum restituisse puto. Nam loca Senatoria à plebeiis secreuerãt antea cẽsores[b], vt Equestria lege Roscia[c]. Defunctas autem Africanas, pugna liberatas intelligo. Quod ne quis absurdè dictum putet, defungi eleganter & latinè, in hac significatione dici meminerit. Defunctus iam sum, inquit Terentius[d], id est, omni labore liberatus. Sic defunctas Carinas finem portúmque tenere, Virgilius dixit[e]. Possent & defunctæ Africanæ accipi pro venabulo transuerberatis & confectis. Nam & Valerius Max. Persam Catellum, quem puella Pauli Æmylij in delitiis habebat, decessisse scripsit[f]. Quod ex dignitate linguæ latinæ, illius quidem princeps nostri sæculi

[a] Sueton. in Augusto. cap. 44.

[b] Liuius li. 34.

[c] Val. Max. lib. 2. cap. 4. Plutarch. in Ciceron. Dio li. 36.

[d] In Enuch. prolog.

[e] lib. 9. Æneid.

[f] li. 1. ca. 5.

non putauit, vt canem decessisse dici posset vt de homine[a]. Quodque ad purioris sermonis obseruatores reiecit. Quos credo defungi de bestiis quæ ad pugnam exibentur, admissuros magis, quam decedere de mortuo cane. Valerium in verbis vulgaribus Romæ peregrinatum nemo dicet, vel incorruptam loquendi consuetudinem ignorasse. Quem malim in loquendo authorem sequi, quàm discendo ex nostri sæculi perfectis viris, meliùs sentire.

[a] Scaliger ad Eusebii MDCCCXLI

Nunc verò ad quatuor Augusti ludos redeamus, vt ex bestiarum numero, illum plures quàm quatuor non feciſſe perſpicuum fiat. His ludis confecta sunt, bestiarum circiter trium millium & quingenta. Elegans locutio, Nam dictio *Circiter* cum ad numerum pertinet his casibus regitur[b]: vt circiter decem horarum veteres dixerunt. Hic bestiarum numerus ludis quidem quatuor sufficere potuit: At non quater & vicies vel quadragies, quorum elegãtiam & venationum magnificentiam penuria tanta eluſiſſet. Ecquis enim Augustum, quem profusissimum Lipsius clamat, adeo parcum & inelegantem fuisse cogitabit vnquam, vt ab apparatu ampliſſimo, his ludis quatuor recedere voluerit? Ille qui omni genere spectaculorum oblectabatur, ferarum præcipuè incognita specie & numero infinito[c]? Pompeius qui decem & quadringentas Pantheras dederat, sexcentos cùm iis leones exibuit & elephantos viginti, cùm manſuetis aliis, vt sexcentos mulos. Post tempus defunctarum africanarum, non dubium quin ludis singulis Augustus dederit bestiarum circiter millium & quingẽta,

[b] Beda de Orthograp.

[c] Aurel. Victor.

quæ sex millium numerum, quatuor his ludis efficiunt. Ex quibus media pars confecta est, quod virtutem arguit bestiariorum. Ita ludis singulis cæsæ bestiæ circiter octingentæ, quot natali Caligulæ nobilissimæ ceciderunt Vrsæ[a], scilicet quadringentæ & totidem Africanæ. At Traiani ludis cæsa feruntur decem millia bestiarum[b]. Quare si ludi facti essent ab Augusto quater & vicies, singulis illis, bestiarum centum circiter & quadraginta tãtum concidissent: Sicque Lipsij profusio, ludorum parsimonia nimia contemneretur. Ludos apertè scribit Augustus se fecisse in circo, in foro, in Amphitheatris, Statilij Tauri, vt credo, & Pompeij, quæ grandi impensa refecerat. Quatuor his locis, ludi sollemnes Augusti quatuor concluduntur, cùm eo bestiarum numero, quæ confossæ notantur. Quod verò ludorum angustum numerum obiicit Lipsius, pro principis liberalitate, quem Suetonius omnibus prioris æui præponit: Nõ animaduertit ille plures quidem ludos Augustum fecisse, quos Suetonius refert[c], sed non sollemnes & plenos, qui à vulgaribus & fortuitis debent separari. Nam fecit Augustus vicatim & pluribus scenis per omnium linguarum histriones, aliquandò nihil præter venationem edidit, Athletas, nauale prælium, quod in Breuiario, non obmisit, in quo cætera vulgaria prætermisit, quæ munificẽtiæ suæ tribuere noluit summus Imperator. Postremò quod Augusti Consulatibus Lipsius nititur, frustra nititur. Nam ratione magistratus nulla lege aut more debuit ludos dare: & ex eodem Breuiario discimus, Augustum

[a] Dio li. 59.

[b] Xiphilin. in Traian.

[c] Sueton. in Auguſt. ca. 43.

quoties Consul esset, Congiaria viritim populo dedisse, frumentationes, nummos, & qui singulis illius Consulatibus ludos somniaret, sibi certè, ne aliis dicam, faceret ludos, aut apertè nimis ludificaretur.

Et quoniam de plena venatione nonnihil attigimus, non alienum erit illam ex veteri lapide repetere.

409. 3.

L. FADIO. PIERO. II. VIRO
MVNIFICENTISSIMO. CIVI
QVI. OB. HONOREM. DECVR
EODEM. ANNO. QVO. FACTVS. EST
GLADIA. PARIA. XXX. ET. VENATION
BESTIAR. AFRICANARVM. ET. POST
PAVCOS. MENSES. DVVMVIRATV
SVO. ACCEPTIS. A. REP. H-S. XX. M. N. VENAT
PLENAS. ET. GLADIATORVM. PARIA. XX
EDIDIT. ITEM. POST. ANNVM. LVDOS
SCÆNICOR. P. S. F. AVGVSTALES
L. D. D. D

Africanas bestias à Duumuiro in municipiis? imò & venationes plenas habemus: hoc est, omni genere spectaculorum refertas, quæ plures ludorum dies habuerunt. Quales fuere Pompeij magni, qui extremo ludorum die qui summus dicebatur, elephantos produxit. Quales fuere quatuor sollemnes Augusti, qui aliquando nihil edidit prçter venationem. Nummum venationis pulcherrimum habet Iac. Syrmondus, cuius mihi copiam fecit.

CAP.

AN PRIVATI LVDIS PVBLICIS *præesse potuerint. Ornatum forum. Ludorum commißiones.*

CAP. XXI.

PRIVATOS non potuisse ludos dare nisi funeris causa supra demonstratum est: Nunc videamus an præesse potuerint iis quæ à ciuitatibus ederentur. Quid hoc ad Pontifices? dicet aliquis. Multùm, nulli enim ludi sine sacrificio, Sacrificium nullum publicum sine Pontifice fieri potuit. Deinde faciunt hæc ad iuris ciuilis interpretationem, in quo quæstiones huiusmodi pleræque occurrunt. *Ciuitatibus legari potest*, ait Paulus [a], *quod ad honorum ornatúmque Ciuitatis pertinet. Ad ornatum putà quod ad instruendum forum, Theatrum, stadium legatum fuerit. Ad honorem putà quod ad munus edendum, venationémue, ludos Scenicos, ludos Circenses reli-*

[a] l. Ciuitatibus. D. de leg. 1.

ctum fuerit. Ludos hîc à venatione rectè Iurisconsultus separauit. Nam venatio ludis interiiciebatur, aut sola dabatur non ad Deorum honorem, sed ad voluptatem, vt cum Augustus nihil præter venationem edidit. Sic Caligula Circenses edidit plurimos à mane ad vesperam interiecta Africanarum venatione[a]. His ludis publicis in Ciuitate, si quis testamẽto præfectus sit, forma pollicitationis seruãda est. Nec possunt iniuriam pati qui præsidere debent, secundum verba conditionémque pollicitationis[b]. Quod Romæ factum nõ obseruaui, vbi ludis omnibus publicis præerat Prætor, quos quidem Ædiles curabant. In quo à Iulio Scaligero[c] dissentio, qui & suo & filij nomine ob egregias animi dotes, nunquam laudabitur satis. Hic enim ludos Circenses, Apollinares, Megalenses tribuit Ædilibus, cùm tamen ad Prætoris pertineant maiestatem, qui illis præsidebat[d], Ædiles vero iis quos priuata pecunia parabant. In quibus immanis iacturæ sumptus infiniti, vt splendor Ædilitatis postularetur.

Nos ad fori ornatum redeamus: In eo priuati, quibus licuit, Ædiles & Prætores ludorum diebus ingentes pecunias profuderunt. Nam ornatus huiusmodi tabulis pictis, vasis aureis & argenteis, signis vndíque conquisitis celebris fuit[e]. Vt in M. Scauri Ædilitate tria millia fuere signorum in scena temporario Theatro[f]. Idem ille Pausiæ pictoris nobilissimi tabulas omnes, ex publico, propter æs alienum Ciuitatis Sicyone addictas, transtulit Romã, quo exemplo ciuiles mores prostrauit. Ad huiusmodi ornatum

[a] Sueton. in Caligul. ca. 18.

[b] l. Septitia. D. de pollicitat.

[c] lib. 1. Poëtic. cap. 28.

[d] Liuius li. 39.

[e] Cicer. 1. & 2. act. in Verrem.

[f] Plin. li. 34. cap. 7. & li. 35. cap. 11. li. 36. cap. 15.

Alpheni Iuriſconſulti lex accommodanda eſt[a]. *Si quas menſas*, inquit, *teſtator argenteas haberet, & eius generis argentum, quo ipſe non temerè uteretur, ſed commodare ad ludos & ad cæteras apparationes ſoleret.* Ne tamen quis nos erraſſe putet, quod ludos omnes publicos ad Ædiles aut Prętorem vrbanum reiecimus: Scimus quidem Tribunos pleb. Auguſtales ludos ſemel edidiſſe[b], quorum celebratio mox ad ipſum Prætorem tranſlata eſt.

[a] l. cùm in teſtamẽto. D. de Aur. & argent. leg.

[b] Tacit. li. 1. Annal.

Cæterum commiſſiones ludorum pro exibitionibus vſurpantur & commiſſi ludi, pro Inchoatis. Virgilius[c].

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

[c] 5. Æneid.

M. Tullius[d] *Heri*, inquit, *ludis commiſsis ex vrbe profectus ſum.* Committere propriè erat paria Gladiatorum inter ſe componere, vt Lipſius obſeruauit, quod muneris editor vel magiſtratus faciebat. Commiſſio ergo *συμβολὴ*, commiſſor *συμβολομάχος*[e], ex quo Commiſſiones, quæ etiam pro comparationibus poëtarum & oratorum accipiuntur, quas meritò D. Auguſtus pertimuit, ne illis nomen ſuum obſolefieret[f]. Vnum præterea notandum eſt ludos publicos cauea circóque diuiſos[g]. At priuati ludi ſeptis, foro, Amphitheatro & vicatim facti ſunt, vt Auguſti varia ſpectacula demonſtrant.

[d] lib. 3. de finib.

[e] Gloſſ. vet.

[f] Sueton. in Auguſto. ca. 89.

[g] Cic. lib. 2. de legib.

DE LVDORVM PVBLICORVM instauratione. Terram tenere. Lex Claudij de ludis intermißis aut pollutis.

CAP. XXII.

ATQVE hæc fuit ludorum publicorum priuatorumq; insania, quam nullę Theatrales leges coërcuerunt, quæ solùm in spectandis ordinibus sunt occupatæ. Impensis tandem modus impositus ab Imperatoribus[a], quæ prouincialium facultates exhauriebant. Tot sumptibus verò & diebus ludi publici facti, plerúmque leuissima de causa toti instaurabantur. Non vno item aut altero die, sed deintegro iterum atque iterum facti: in quo summa Pōtificum authoritas fuit. Ad illos enim Epulones Iouis adferebant, si quid prætermissum esset vel commissum, quorum de sententia ludi renouati atque instaurati celebrarentur[b]. Ea enim cura ludorum publicorū celebrationi adhibenda fuit, vt ritè omnia atque ordine fierent, vt vel ne in minimis quidem peccaretur. *Quare si ludius constitisset aut puer ille patrimus aut matrimus terram non tenuisset, aut si Ædilis verbo, aut si nutu aberrasset: ludi erāt non rite facti, eáque errata expiabantur, & mentes Deorum Immortalium ludorum instauratione placabantur.* Hæc M. Tullius, quæ omnia Arnobius[c] mutuatus in libros suos transtulit paucis immutatis. *Commissum*,

[a] l. 4. C. Theod. de spectacul. l. 22. de Prætorib. & Quæstor. C. Theod. l. vnic. de excusa. lud. public. lib. 12. C.

[b] Cic. de Aruspic. resp.

[c] lib. 4.

inquit, *omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras, Si ludius conſtitit, aut Tibicen repentè conticuit, aut ſi patrimus ille qui vocitatur puer, omiſerit per ignorantiam lorum aut terram tenere non potuit.* Dixerat paulò ante Arnobius. *In ceremoniis veſtris rebúſque diuinis poſtulionibus locus eſt, & piaculi dicitur contracta eſſe commiſsio, ſi per imprudentiæ lapſum aut verbo quiſpiam aut in Simpuuio deerrarit. Aut ſi rurſus in ſollemnibus ludis Curriculíſque diuinis: Commiſſum omnes ſtatim in religiones clamatis ſacras* &c. Ab hac Arnobij lectione Lambinus tueri conatur antiquam in M. Tullio *ſi ædilis verbo aut ſymbolo aberrauit.* Et ſuſpicatur legendum *Sympiuio* quod eſt vas ligneum quo in ſacris Pontifices vtebantur. Perſuadet tandem ſibi, legendum eſſe *ſympulo*, in quo certè magnos fluctus excitauit. Huic viro græcis latiníſque literis erudito, tantùm tribuo, quantùm aliùs quiſque: Sed illum terram non tenuiſſe auſim affirmare. Nam ipſa Arnobij verba quibus nititur, confundenda non ſunt: ſed priora ad Ceremonias réſque diuinas, poſteriora ad ſollemnes ludos ſunt referenda. Ludi quidem AEdilium fuerunt aut Prætorum: Ceremoniæ réſque diuinæ Pontificum, in quibus Simpulum, quo vinum in Sacrificiis libabatur, ad ludos transferri commodè non poteſt. Retinenda ergò eſt vulgata M. Tullij lectio *ſi Ædilis verbo aut nutu aberrarit,* Quam immutatam ab imperito librario, ex eo conijcio, quod dicebamus ludorum commiſſiones à Græcis συμβολὰ vocitari & συμβάλλειν committere: Vt nutum exprimeret ſcripſit aliquis ad Ciceronis textum συμβολὴ, quod irrepſit (vt frequenter

euenit bona exemplaria his annotaciunculis depraua-
ri) atque συμβολὴ in Symbolum commutata, vnde
Sympulum factũ, quod in Arnobio legebatur. Græ-
cis nunquam vsus est M. Tullius cum latina verba
succurrerẽt: At nutus proprium verbum & Latinum
est, nam qui ludis præerat, nutu quamplurima impe-
rabat,[a] vt signum mittendis quadrigis dabat. Tertul-
lianus[b]: *Tardus est illis Prætor, semper oculi in vrna eius
cùm sortibus volutantur, dehinc ad signum anxij pendent,
vnius dementiæ vna vox est.* Nummus æreus Neronis
vrnam habet.

a Apuleius 11. metamorph.

b de spectaculi.cap.16.

Qui in albo profitentium inscribebantur, sorticu-
la in vrnam demissa, ordine suo intrare solebant[c] &
mitti, *signóque repentè corripiunt spatia audito*[d]. Si nu-
tu igitur quo signum dabatur, si verbo, quo per
Præconem victorem aliquem renunciabat (quam
illius dementiæ vnam vocem arbitror) AEdilis
aberrasset, ludi erant non ritè facti; Vt si peracta
pompa in sacris verbo aut sympulo peccatum
esset, commissa sacra putabantur. Ludis enim fa-
ctis statim sacrificabant[e]. Σωτελεσθείσης δὲ τῆς

c Sueton. in Neron.cap. 21.

d Virgil. 5. Æneid.

e Dionys.li. 7.

πομπῆς ἐβουλήθησαν ἄγειν οὔτε ὕπατοι, καὶ τῶν ἱερέων οἷς ὅσιον.

Solertissimos viros vrget magis Ciceronis istud *si puer patrimus terram non tenuerit*, qui hanc loquendi rationem sibi incognitam fatentur. Terram tenere idem putauit Turnebus[a] ac terram tangere: Quod genus, inquit, erat venerationis, in sacris sollemnibus obseruatum. Aliter & rectè hoc genus loquendi explicat ipse Arnobius[b]. *Si paulisper constiterit ludius, interquieuerit Tibicen fessus, puer ille patrimus & matrimus decidat* (patrimi enim omissum verbum, restitui debet) *fortuitò alicuius instabilitate prolapsus.* Terram nó tenere igitur est, cadere, labi, vt contra tenere terram est consistere. Vt tenere dignitatem dicitur, à qua quis non deciderit[c]: & tenere terram qui ad portum appulerit. *Peruicerunt*, ait Liuius[d], *quidem remis vt terram tenerent.* Et Prætor quotidie templum tenere dicebatur, qui assiduus in iure dicũdo esset[e]. Atque hæ fuerunt causæ leuissimæ propter quas ludi renouarentur. Romani ter toti instaurati: Plebeij septies.[f] Qui denuò facti instauratiui dicebantur[g].

a Turneb. lib. 16. aduersar. cap. 10.

b lib. 7.

c Cic. Philip. 12.

d lib. 37.

e Cicer. act. 8. in Ver.

f Liuius lib. 29. 30. 33.

g Cicer. li. 1. de diuinat.

Ipsa etiam sacra si polluta essent rursus perficiebantur. Vt cum Clodius sacra Bonæ Deæ polluisset virgines cum Pontificibus nefas esse decreuerunt, & instaurarunt[h]. Latinæ item feriæ Pontificum decreto instauratæ, quod legati ab Ardea questi in Senatu erant, sibi in monte Albano, latinis vt assolet, carnem datam non esse[i]: Eædem illæ alio decreto, cum coorta tempestas sacra turbasset[k].

h Cic. li. 1. ad Attic. epist. 19.

i Liuius lib. 32. & 37.

k Liuius li. 40.

Narrat Seruius[l] cum ludi in Circo Apollini fierẽt,

l lib. 8. Æneid.

Hannibalē ad portas nuntiatum, omnéſque ad arma concurriſſe, qui reuerſi piaculum formidantes inuenerunt ſaltantem in Circo ſenem, ludóſque non intermiſſos iudicaſſe. Vnde Prouerbium, *Salua res eſt dum ſaltat ſenex.* Secutus eſt Seruius Verrium Flaccū cuius inconſtantiam meritò Feſtus reprehendit[a]. Etenim ſi ludi ab lætitia ad metum traducti erāt, piaculum fuit, illorum renouatione placandum[b]. Inſtaurare αἰσαιεῶν, αἰσαῆσαι, σφάξαι, mactare[c]. Inſtaurare diem donis Dido à Poëta dicitur, quæ ſacrificia repetebat[d].

a In verb. ſalua res eſt

b Cic. de Auſpic. reſp.

c Gloſſ. ver. Heſych.

d Seruius 4. Æneid.

Cum itaque ſæpè accideret vt ſacra & ludi decimùm repeterentur, legem tulit Claudius[e], vt ſi quid in iis prætermiſſum eſſet vel commiſſum, per vnum diem inſtaurarentur. Νόμῳ μὲν ἔταξε, μίαν ἡμέραν, τοὺς ἀγῶνας τῶν ἵππων δεύτερον γίγνεσθαι. Hæc ludebam, Antoni præſes digniſſime, temporario theatro, æternitatis aliqua deſtinatione: forúmque noſtrum aliquot antiquitatis ſignis exornabam, quæ in iure ciuili latent plurima, ab interpretibus non intellecta ſatis aut neglecta. Quæ ſi tuo & literatorum plauſu comprobentur, aliorum ſibilus immortalitas mihi erit. Alios enim humilioris doctrinæ homines meo quodam iure, iampridem ad beſtias damnaui, quibus-cum depugnent.

e Dio li. 60.

IACOBI

GVTHERII DE VETERI IVRE PONTIFICIO VRBIS ROMÆ,

LIBER QVARTVS. QVI DE SACRIS.

Ad amplissimum virum ANTONIVM SEGVERIVM.

SACRORVM DIVISIO. ILLORVM apparatus. Mouere Sacra. Peruigilia. Maturiùs vigilare. Incubare Iouí.

CAP. I.

INTER Sacrum & saxum, Antoni Præses amplissimè, positus cruciarer, si opus renouandum & instaurandum mihi esset, ob prætermissum aliquid vel cõmissum. Sed lege Claudia liberatus, cũ per diem vnum priorem librum recensui, ad alium propero, qui de Sacris, hoc est, de Sacrificiis & iis omnibus quæ in Deorum

honorem fiebant, vel illis offerebantur. Illorum eadem fermè ratio, quæ ludorum fuit: Nam Sacra aut priuata fuerunt aut publica. Quæ sumptu publico pro populo fiunt, pro montibus, pagis, Curiis, Sacellis, publica dicuntur. At priuata pro singulis hominibus, familiis, gentibus. Quæ pro montibus Septimontium vocabantur[a], licet octo locis sacrum fieret: Sed Palatini pars vna Germali nomen habuit, alia vero Velia dicta. Nummus est L. Aurelij Veri apud me qui ad Septimontium referri potest.

[a] Festus in verb. Septimontio.

Sacra pro montibus fiebant, ob pomœrij prolationem, cuius proferendi ius nemo habuit, nisi qui Rempub. agris de hostibus captis adauxisset, quod per Victoriam Ioui ab Imperatore oblatam denotatur. Nummus quidem non verus ad L. Veri adulationem percussus, qui cum Armenici, Parthici & Medici nomen sibi parasset, auxisse Prouinciis Rempub. gloriabatur[b]. Alius est nummus Vespasiani.

[b] Capitolin. in Vero.

Hic ex Senatusconsulto signatus ad memoriam decreti, quo multa à Senatu populóque illi concessa sunt, atque inter cætera per modum legis,

VTIQVE. FINES. POMOERII. PROFERRE. PROMOVERE. CVM. EX. REPVBLICA. CENSEBIT. ESSE. LICEAT. ITA. VTI. LICVIT. TI. CAESARI. AVG GERMANICO 242.

Primum autem Sacrificium in Palatio fiebat, quod Palatuar nuncupatum: Aliorum nomen proditum non est.

Paganalia Varroni [a], Sacra sunt alicuius pagi, qui paganicas ferias Agriculturæ causa susceptas dicit. Cum tamen Paganalia inter sacra publica, atque inter conceptiuas ferias numerentur. Curionia Sacra in Curiis fiebant. In Sacellis varia certis Diis, per Flaminem. [a] lib. 5. de ling. lat.

Rursus publica Sacra fuerunt Popularia, Municipalia, Peregrina, aut communia. Popularia [b] quæ omnes Ciues faciebant, nec certis familiis attributa: [b] Festus in verb Popularia.

vt Fornacalia, Palilia, Porca præcidaria, à qua Præcidarium Sacrificium, cum ante nouam frugem porca præcideretur. Municipalia, quæ ante Ciuitatem Romanam accepta colebantur: Et quæ obseruare Pontifices voluerunt, & eo more facere, quo antiquitùs adsuessent[a]. Hæc quidem Sacra publica vrbis Romæ non sunt, sed municipiorum. Vetus inscriptio.

[a] Festus in verb. Municipalia.

66.3.

. . . . . .

II. VIR. BIS. FLAM
SACR. PVB. MVNICIPAL
PONT. DOM. AVG

Peregrina Sacra[b] appellantur, quæ aut euocatis Diis, in oppugnandis vrbibus Romam sunt conlata: aut quæ ob quasdam religiones, per pacem sunt petita, vt ex Phrygia, matris magnæ: ex Græcia, Cereris: Epidauro, Æsculapij, quæ coluntur eorum more à quibus sunt accepta. Verrius Flaccus authores ponit, quibus credat in oppugnationibus ante omnia solitum à Romanis Sacerdotibus, euocari Deum, in cuius tutela id oppidum esset, promittíque illi, eundem ampliorem locũ apud Romanos, cultúmue[c]. Durauit in Pontificum disciplina id Sacrum, constárque occultatum in cuius Dei Tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent. Euocationis carmen Macrobius[d] refert ex libro quinto rerum reconditarum Sammonici Sereni.

[b] Festus in verb. Peregrina.

[c] Plin. li. 28. cap. 2.

[d] lib. 3. Saturn. cap. 9.

In peregrinis illis Sacris, aut aliis publicis, peregrinos aut extraneos adhibere non licebat, qui ab illis

tanquam profani arcebantur[a]: Ius enim Sacrorum cùm Ciuitatis iure coniunctum fuit[b]. [a] Dionys. li. 6. [b] Serv. 6. Æneid.

Communia Sacra[c] sunt Latinæ feriæ, quæ Conlatiuum Sacrificium dici possunt, cùm ex multorum conlatione fieri solerent, licet communis victima esset Taurus vnus[d]. [c] Festus in verb. Conlatiuum. [d] Dionys. li. 4.

Tertia Sacrorum diuisio hæc est, vt alia sint sollemnia aut stata aut Imperatiua. Sollemnia[e] quæ certis temporibus, annisque fieri solent; vt in Sæcularibus & Actiacis ludis. Stata dicebantur etiam sollemnia & Anniuersaria, quæ certo die omnibus annis fierent[f]: Ideóque stata quod stent neque mutentur. Illa differri non potuerunt: *Annua quæ differre nefas* Virgilius ait[g], quia iterari non possunt, vt Kalendaria, quæ si qua ratione fuerint dilata, possunt repeti. [e] Festus in verb. Sollemnia. [f] Lactãtius Gram. lib. 1. Thebaid. [g] Serv. 8. Æneid.

Imperatiua seu indictiua subitò & ad præsens tẽpus ex Senatusconsulto iisdem ferè de causis, quibus ludi indicebantur[h]. Necatis in Carcere Lentulo & Cethego, supplicationes & Sacrificia decreta narrat Dio[i], illáque occiso Catilina repetita. Supplicationis meminit M. Tullius[k], quæ illi togato post Romam conditam decreta fuit primùm. [h] Serv. in sched. [i] lib. 37. [k] 3. Catilin.

Alia porrò Sacra patrum fuerunt, alia plebis. Cum aduersus Canuleiam legẽ decerraret Consul[l]: *Quam*, inquit, *aliam vim promiscua connubia habent, nisi vt qui natus sit, ignoret cuius sanguinis, quorum sacrorum sit, dimidius patrum, dimidius plebis?* Hinc certamen primum in Sacello Pudicitiæ inter matronas ortum, cum Virginiam Patritiam, quod è patribus enu- [l] Liuius li. 4.

a Liuius li. 10. pſiſſet, ſacris arcuerunt[a]: Aráque Pudicitiæ plebeiæ, à plebeijs dedicata, quæ eodem fernie ritu, quo prima coleretur.

b Valer. li. 1. cap. 1. Priſco verò inſtituto rebus diuinis opera dabatur[b], cum aliquid commẽdandum erat, Precatione: Cum expoſcendum, voto: Cum inquirendum, vel extis vel ſortibus, Impetrito: Cum ſollemni ritu peragendum, Sacrificio. De hoc primo loco dicendum nobis eſt, antequam precationes, vota, gratulationes, ſortes explicemus. Sollemnia Sacrificia Pontificum fuerunt ferè omnia: Quædam enim ad regem Sacrorum reliquóſue publicos Sacerdotes pertinuerunt. Antequam illorum ritus & Ceremonias explicemus; Pauca de illorum apparatu & veterum ſumma ergo Deos veneratione præmittenda ſunt. Ipſo ergo Sacrorum ſollemnium die, nocte media templum eius dei, cui res diuina fieret aperiebatur. Nec enim aperta paſſim fuerunt templa, niſi ſi ob res proſperè geſtas gratiæ diis agerentur: vel illi ob cladem aliquam irati placarentur. Hunc apparatum *Apertiones* vulgus appellabat[c]. De apertionibus matutinis templi Deæ Iſidis Apuleius[d] multa: Tum verò cum apertio fieret, *moueri ſacra* dicebantur[e], quod tamen pluribus modis fiebat. Nam & moueri Sacra credebant vbi Sacrificium cœperat inchoari. Atque etiam indicto bello is cui cura exercitus commiſſus erat, Sacrarium Martis ingreſſus, primo Ancilia cõmouebat[f], deinde ipſius ſimulachri haſtam, dicebátque MARS. VIGILA. Ab hoc ritu verba Pſeudoli apud Plautum interpretor.

c Seruius 4. Æneid.

d Apuleius lib. 11. metamorph.

e Lactant. 2. Theb.

f Seruius 8. Æneid.

Scis tu quidem hercle; mea si commouit sacra
Quo pacto & quantas soleam turbellas dare.

Turnebus[a] putat, cùm Seruio *Commoueri sacra*, cum de loco in locum transferebantur, vt in Orgiis & Trietericis. Sed Sacrorum commotio nihil aliud fuit quàm institutio quædam, qua certis & sollemnibus precationibus Dij aut consulebantur aut placabantur, Cuius ritum in consulendis Diis super rebus arcanis Ammianus Marcellinus tradit[b]. *Construximus*, inquit, *ad Cortinæ similitudinem Delphicæ hanc mensulam, ac consecratam mouimus tandem. Mouendi autem quoties super rebus arcanis consulebatur, erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus &c.* Ex hoc loco alium perobscurum eiusdem authoris[c] interpretor. *Consiliorum ambiguum retinebant multiplices moræ, tardante trans Tigridem rege, dum moueri permitterent Sacra.* Quod est, dum secretis carminibus Deos consuluissent, quid facto opus esset. Sic Dij per Sacra nefaria consulebantur, & per sollemnes preces aduocabantur, quod propriè est Sacra commouere, cum illi in rebus trepidis dormitare viderentur, vel in prosperis deberent excitari. Ad hunc ritum fortè alluserit Terentius[d]. *Dormiunt: ego pol Istos commouebo.*

[a] lib. 28 ad. uersar. ca. 13
[b] lib. 29.
[c] lib. 21.
[d] In Heautontimor.

Sed vt ad templorum Apertiones redeamus non illa omnia clausa Romæ. Nam Hortæ Deæ perpetuò apertum fuit. Ὅρθας ναὸν ἀπεωγυῖαν εἶχον οἱ παλαιοὶ Δημήτηρος tradit Plutarchus[e]. Ναὸν Gallicus interpretur posticam templi partem, cum sit templi pars interior, Cuius postica ὀπισθόδομος nuncupatur. Illius

[e] In Causis.

Deæ templum Labeo apertum dicit, quod Horta ad res præclaras ſemper hortaretur, ideóque aſſiduis precibus & ſacrificiis piari deberet. Pari de cauſa belli tempore Iani templum belli pacíſque indicium, apertum, in armis eſſe ciuitatem; clauſum, pacatos circa omnes populos ſignificabat. Ad ſpem enim auxilij apertum illud templum, quod quoque temporis momento, turbatis rebus ſolebant flagitare. Nummus eſt Neronis.

Apertis templis accendebantur tedæ flammis ac lumini ſacrorum gratæ, quas reſpuens Lactantius [a]. *Mactant*, ait, *opimas & pingues hoſtias Deo, quaſi eſurienti: profundunt vina, tanquam ſitienti: accendunt lumina veluti in tenebris agenti.*

[a] lib. 6. de vero cultu. cap. 2.

Apertis deinde & adornatis templis cùm puluinaribus, luminibúſque accenſis: matutinæ primùm fuere vigiliæ: Sacrorum enim cauſa matutiùs vigilādum. Non admitto viri diligentiſſimi in Suetonio [b] emendationem, qui teclamantibus, vt ipſe fatetur, libris, reponit matutiùs euigilādum, nec latinam putat lectionem vigilandum. Dicebat M. Tullius [c] vigilandum

[b] In Auguſto. cap. 78.

[c] In orat. pro Sextio.

landum esse iis qui Reip. gubernacula depopoſcerēt: ſed iis qui tractant libros, quandoque, vt ipſi Homero licuit dormitare. Maturiùs vigilare eſt ante maturam lucem excitari: quod idem Tullius[a] dixit maturiùs ſurgere, *Poſtero die mane*, inquit, *cum multò maturius quàm vnquam antea ſurrexiſſet*. Vigilias illas à Peruigiliis differre negant Grammatici[b], qui aſſerunt præpoſitionem adiectam, naturam verbi non mutare, ſed ab ea accipere temporis diuturnitatem vt ſint peruigilia idem quod vigiliæ. Quod Plautus[c] firmare videtur qui ſtupratam Euclionis filiam fingit cereris vigiliis. Sed repugnat Martialis[d], ille enim,

[a] Act. 4. in Verr.

[b] Charisius lib. 1.

[c] In Aulularior. prolog.

[d] li. 9. epig. 70.

Nam vigilare leue eſt, peruigilare graue

Peruigilium πάννυχισμὸς quo nox tota tranſigebatur. Παννυχὶη δ' ὅλης τῆς νυκτὸς[e]. Παννυχὶς ἑορτὴ νυκτερινὴ σεὺ ὅλῳ τῷ οἴκῳ. Peruigilia certis Diis vt Cereri, Veneri, Apollini, Fortunæ, cui anniuerſaria conſtituit Galba[f], Quæ indicta aliquandò ab Imperatore. De his Arnobius[g], cuius deprauatam lectionem feliciter Gelenius vir eruditus reparauit. *Sancta illa*, inquit Arnobius, *peruigilia conſecrata ſunt & panniciis migraue*: Legit ille, & Rectè, *Pannychiſmi graues*. Vt peruigilare graue fuit, vel Martiali. Vigiliæ in omnibus ſollemnibus ſacris ἀγρυπνίαι partem noctis aliquam in templis inſomnem ferebant, non noctem totam.

[e] Heſych.

[f] Sueton. in Galb. cap. 4.

[g] lib. 5.

His proximum fuit incubare, dormire ſcilicet in templo ad accipienda Dei reſponſa. Clarè Poëta[h].

[h] 7. Æneid.

huc dona Sacerdos
Cum tulit & cæsarum ouium sub nocte silenti
Pellibus incubuit stratis, somnóque petiuit.
Multa modis simulachra videt volitantia miris
Et varias audit voces, fruitúrque Deorum
Colloquio.

[a] In Curculion. Iocus Plauti[a] apud quem Cappadox leno
Hac nocte in somnis visus sum tuerier
Procul sedere à me longe Æsculapium.
Cui respondet coquus,
Namque incubare satius te fuerat Ioui
Tibi qui auxilium in iurciurando tulit.
Facetè leno,
Si quidem incubare velint qui peierauerint,
Locus non præberi potis est in Capitolio.

His Sacrorum sollemnium vigiliis, populus ante lucem cum ad templa veniret, ignem in aram inferebat. Hymni interea à Sacerdotibus publicis decantabantur, collatis ad Tibiam vocibus, quas exercitationes Deorum matutinas Arnobius[b] vocat. Pontifex intereà puluinaria pertransibat, hísque verbis

[b] lib. 7.

[c] Seruius li. 2. Æneid. vtebatur[c]. VIGILASNE. DEVM. GENS. In hymnis autem intercalaris versus frequenter post aliquantulos interponebatur[d], quem propius vero est in huiusmodi cantibus à populo fuisse repetitum. His peractis parabantur ea quæ ad Deorum pacem oportebat adesse. Pax enim Deûm propriè Sacrificij fructus[e], Plautus *Sunt ne hîc omnia quæ ad pacem Deûm oportet adesse?* Liuius dixit[f], *Hostia Cæsa, pacem Deûm adorare.* Quod idem Plautus[g] explicat paucis.

[d] Seruius eclog. 8.

[e] In Pœnulo.

[f] lib 6.

[g] In mercator.

Apollo quæso vt des pacem propitius.
Salutem & sanitatem nostræ familiæ,
Meóque vt parcas gnato pace propitius.

DE SACRIFICIORVM RITV & Ceremoniis.

CAP. II.

SACRIFICIVM est Diis ritè facta super aris aut focis oblatio. Illud Superis, Inferis, aut Terrestribus fiebat. In sollemnibus preces præuiæ & certis dierum temporibus repetitæ; Quæ aut iratis Diis aut propitiis ferebantur. Primùm ergò populus cùm Sacerdote veniam precabatur, & licet innocens, numinis propitij gratiam promereri studebat, veniam postulando quasi peccauisset. At vero cum iratis Diis Sacra peragerentur, aut votiua in aduersis, aut depulsoria ob prodigia.

Orantes veniam templum clamore petebant[a]. Vt in summis periculis mulieres crinibus passis, verrebant[b] aras & templa. A quo Seneca[c] in Dialogo de Superstitione, versa templa nuncupauit. Sic culpam populus cùm Sacerdote primùm fatebatur, quàm sibi remitti petebat, pacémque per aras exquirebat.

[a] Virgil. 1. Æneid. & ib. Seru.
[b] Liuius li. 26.
[c] Apud Diomedē Grāmatic. lib. 1.

De Superorum & Deorum Terrestrium sacris, quæ iisdem fermè ceremoniis fiebant, hæc Dionysius[d]. Ἐξεβύτουν οὔτε ὕπατοι καὶ τῶν ἱερέων, οἷς ὅσιον, καὶ τῶν ἱππάδων.

[d] lib. 7.

Τρόπος ὁ αὐτὸς ἐκεῖ, καὶ παρ' ἡμῖν. Χερνιβάμενοί τε γὰρ αὐτοὶ καὶ τὰ ἱερεῖα καθαρῷ ῥεύματι λούσαντες ὕδατι, καὶ Δημητρος καρποὺς ὑπορράναντες, αὐτῶν ταῖς κεφαλαῖς, ἔπειτα κατευξάμενοι, ἐφ' ὑψηλοῦ τότε τοῖς ἱερεῦσι παρεῖχον σκέλλειν. Τῶν δὲ οἱ μὲν ἑστῶτος ἐπὶ τῷ θύματος, σκυτάλῃ τοὺς κεραφόρους ἔπαιον. Οἱ δὲ πίπτοντος ἐπιθέσθαι τοῖς σφαγίοις. Καὶ μετὰ τοῦτο δείραντές τε καὶ μελίσαντες, ἀπάρχας ἐλάμβανον, ἐξ ἔκαστου πολλάγχνα καὶ πάντος ἄλλα μέλους. Ἃς ἀλφίτοις ξέας ἀναδόσαντες, προσέφερον τοῖς θύουσιν ὀπὶ κεφαλῆ. Οἱ δὲ ὅπι τοὺς βωμοὺς ἐπειπόντες ὑφῆπτον καὶ προσέπασσον οἶνον κατὰ τῶν ἀναζωννύντων.

Vertit Interpres. Sacrificabant Consules Sacerdotésque quibus fas erat & victimarij, idque more nostratium. Lautis enim manibus & lustratis aqua pura victimis, inspersísque earum capita frugibus cerealibus (molam salsam voluit dicere, quæ græcis περφυγιδὼν κεκλῆ) conceptísque precibus, tum demum ministros eas mactare iubebant: quorum alij stantem etiam tum hostiam vecte feriebant in tempora. Alij suppositis cultris cadentem excipiebant, ac mox excoriatam concidebant membratim, delibatásque ex singulis extis aliísque membris primitias farrea farina imbuebant, & in Canistris offerebant sacrificantibus, qui aris impositas succendebant & vinum inter adolendum effundebant. Quæ omnia à Romanis suo tempore obseruata, iuxta græcas Sacrorũ leges, ex Homero Dionysius probat. Ampliorem huius ritus explicationẽ à Luciano mutuabor in Dialogo περὶ θυσιῶν. Ille. Θέλμυοι δὲ βωμοὺς καὶ πορρήσεις, καὶ περιῤῥαντήρια προσαγωγοὶ ταῖς θυσίαις. Ἐὰν μὲν ἀέκοντα ὁ γεωργὸς, ἢ ἄλλο τι ὁ ποιμὴν ἢ αἶγα ὁ αἰπόλος, ὁ δὲ τῆς λιβαδωτὸν ἢ ἀπὸ-

πάνυ, ὁ δ' πάνυ ἱλαρώτατον τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξίαν. Ἀλλ' οἵγε θύοντες στεφανώσαντες ὃ ζῶον καὶ πολὺ γενναιότερον ἐξετάζοντες, εἰ τέλεος εἴη, ἵνα μὴ τῶν ἀρχόντων τελεστέρα θύσωσι, πρὸς ἃ χρῄζει παρὰ θεοῦ καὶ φοιβάσιν ἐν ὀφθαλμοῖς τοῦ θεοῦ, ὁρῶν τι μιχθὲν, καὶ ὃς ἐκεῖνος ἐφθέγξατο, καὶ ἠμίφωνον, ἤδη τῇ θυσίᾳ ἐπαυλεῖ. Καὶ ὃ μὴ γεγράμμα φησὶ, μὴ παιδίαν, εἶναι γεγραπτείων, ὅτις μὴ καθαρὸς ὅτι τὰς χεῖρας. Ὁ δὲ ἱερὰς αὐτὸς ἔσηκεν ἡμαγμένος, καὶ ὥσπερ ὁ Κύκλωψ ἐκεῖνος, ἀπατέμνων, καὶ τὰ ἔγκατα ξέαίρων καὶ κραδιαλμῶν, καὶ ὃ αἷμα τοῦ βωμοῦ προχέων, καὶ τί γὰρ οὐκ ἀνεθὲς ἐπιτελῶ; ὅτι πᾶσι δὲ πῦρ ἀπαγγέλλεις, ἐπέθηκε φέρων αὐτῇ, δορᾷ τὴν αἶγα, καὶ αὐτὸς ἐείσης ὃ προσάτου ἡ δὲ κνίσα θεσπέσιος καὶ ἱεροπρεπὴς χωρῇ ἄνω, καὶ ἐς αὐτὸν τὸν ἀέρινον Διοσκίδνατον ἡρέμα. Vertit Erasmus. Tum autem constitutis aris, designatis Sacrorum septis, puris vasis collocatis, victimas offerunt. Bouem aratorem agricola: agnum, opilio: Capram, Caprarius: est qui thus, est qui placentam offerat. At si quis pauper, is ita Deo litat vt dextram dumtaxat suam ipsius exosculetur. Iam verò cum immolant, primum sertis coronant pecudem, multóque ante explorant num legitima sit (debuit τέλεος perfecta verti, nec enim legitimam hostiam verba Pontificum recipiunt) & sacris idonea: Ne quid fortè mactent ex iis quæ religio repudiat. Deinde ad aram applicant, ac sub oculis Dei iugulant, flebile quiddam mugientem, benéque ominatam, denique voce leuiori ad Tibias respondentem. Quin & in frontispicio posita scriptura denuntiat, ne quis intra pura vasa consistat qui manibus sit impuris. Atqui Sacerdos ipse fœdatus, non aliter

quàm Cyclops ille pecudem incidit, inteſtina educit, cor emollit cruorem aræ circumfundit, & quod tandem non obediens peragénſque quod ad pietatem Sacrorúmque ritum pertineat? Poſt omnia demum incenſo igni Capram ipſam pariter cum pelle deportatam imponit: Ipſam item cùm lanis ouem. Nidor interim ille Sacer atque diuinus ſurſum fertur, atque in ipſum vſque cœlum ſubuectus diffunditur paulatim. Ex duobus his locis omnem Sacrorum rationem & ordinem traho, qui latiùs à me explicandus eſt.

[a] Lactant. li. 2. de origin. error. cap. 2.

Primò Sacrificia in aperto peragebãtur[a], Aræ ipſæ verbenis & lanea corona cingebantur, eáque triplici. Nec quis ordinem meum reprehendat, ſi cum de Sacrorum apparatu dixerim, & ad illorum ritum deuenerim, rurſus ad eoſdem apparatus regrediar. Nam ij de quibus ſuperiori capite diximus, erant quaſi Sacrorum præludia. Hi vero Sacrificiorum partem aliquam faciunt, qui ab illis ſeiungi non poſſunt. De Corona lanea Propertius[b].

[b] li. 4. Eleg. 6.

Terque focum circa laneus orbis eat.

Quem ritum vir magnus ſibi incognitum faſſus eſt, creditq; quod de laneo orbe à Poeta dictum, id græcis eſſe κανῆν κίκλῳ θαμοῦ εἰλίσσειν. Caniſtrum in quo mola ſalſa, circum aram in orbem circumferre. Sed laneus orbis eſt Corona lanea, qua aræ & templa ornabantur. Virgilius[c].

[c] 4. Æneid.

Præterea fuit in tectis de marmore templum
Coniugis antiqui, miro quod honore colebat
Velleribus niueis & feſta fronde reuinctum.

Quod non satis intellectum à Seruio, qui nescio quid de ritu nuptiarum comminiscitur, vel Quidius[a] testis est. [a] In epistol. Didon.

Est mihi marmorea sacratus in æde Sichæus
Oppositæ frondes velleráque alba tegunt.

Etenim templa vt aræ ipsæ laneis filis coronabantur. De Aris locus Tertulliani[b]. *In quarum*, inquit, *sollemnitatibus ipsæ fores, ipsæ hostiæ & aræ, ipsi ministri & Sacerdetes eorum coronantur.* Has coronas tænias vocat Arnobius[c] quæ sunt filamenta lanea: Festus[d] infulas. Orbis autem laneus pro laneo filo in orbem circumacto accipiendus est, vt docebat olim Io. Passeratius popularis meus, vir elegantis admodum ingenij & perpoliti. Sic Iuuenalis[e], *Magnæque Coronæ tantum orbem*: Quod Ouidius[f], *lanam glomerabat in orbes.* Insertis enim floribus lana circumuoluebatur. [b] lib. de Coron. milit. cap. 10. [c] lib. 5. [d] In verb. infulæ. [e] satyr. 10. [f] 6. Metamorph.

Cespes aræ superponebatur ex more[g], super quo Sacrificium fieret, de quo Iuuenalis[h]. [g] Serú. 12. Æneid. [h] satyr. 12.

Quæ festus promissa dies animalia Cespes
Expectat.

Accedebant ad aras Sacra facturi, aqua viua purificati, qui Venere abstinuisse debebant, qua polluti sacris arcebantur[i]. Illos sequebatur sacris vestibus amictus Pontifex, qui ad aras Sacrificij, lictore præeunte ducebatur, qui virga turbam submouebat. Tum sollemnia Sacrificii aggressuro Pontifici, exclamabat Præco HOC. AGE. Pontificem magistratúmque simul admonens, vt sedulò rei diuinæ vacarent, néue illorum animus cogitationibus aliis distrahe- [i] Persius satyr. 2. Tibul. lib. 2. eleg. 1. Macrob li. 3. saturn. cap. 1.

retur, ὅταν ἀρχοντες ἢ ἱερεῖς τοῦ ἐξ ἀρχῆς θεσμὸν τῶν θείων, ὁ κῆρυξ
a Plutarch. in Coriolā. τοῦ θείσι μεγάλῃ φωνῇ βοᾷ· ΟΚ ΑΓΕ[a]. Pontifice & magistratu præmonitis, monebatur & populus ab eo-
b Tibul. li. 2 eleg. 2. dem Præcone *vt linguis faueret*[b]. Fauere non tantum
c In verb. fauentia. est tacere, quod pascere linguam dixit Festus[c] verùm etiam bona verba fari εὐφημεῖν. Gloss. vet. fauete εὐφη-
d Satyr. 2. μεῖτε, hinc murmur humilésque susurri Persio[d], & ψοφεισμὸν ex Clemente Alexandrino doctissimus Casaubonus annotauit.

Pontifex deinde ad ἱερουργίαν καὶ μυστικώτερα veniebat: victimæ floribus coronatæ à magistratu offere-
e Plin. lib. 16 cap. 4. bantur[e], à Pontifice profani arcebantur qui conclamabat[f]. PROCVL. ESTE. PROFANI. ὄχλος ἔστω ἔξω[g]. Hæc Sacrorum præfatio fuit. At in Sacris resolutoriis vt ex Seruio[h] Scaliger obseruauit, lictor ipse clamitabat HOSTIS. VINCTVS. MVLIER. VIRGO. EXE-
f Virg. 6. Æneid. g Lucian. dialog. de Sacrific. h lib. 4. Æneid. STO. Pontifex postea cùm magistratu fundebãt preces, pacem per aras exquirebant, Aras ipsas manibus tenebant præeunte vbique verba Pontifice. Aras
i Seru. 4. Æneid. enim tenere necesse erat Sacrificantibus[i], quod si non fieret Sacrificium Diis gratum non putabatur. Victima posthæc quæ soluta sponte ad aras accesserat (nam piaculum erat in Sacrificio si quid esset religa-
k Plin. li. 8. ca. 45. Seru. 2. Æneid. tum[k]) aqua pura antea lustrata, primùm à Pontifice probabatur.

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter Cornua fundit[l].
l Virgil. 4. Æneid.

Dixi à Pontifice probari: nec enim magistratus illud faciebat cum ipse victimam offerret. Quare à viro
m Scalig. in Varrõn. li. 5. de ling. lat. probatissimo dissentio[m], qui ex persona Didonis vinum

vinum à magistratu fundi solitum ad hostiæ explorationem verissimile putat. Nam vbique Virgilius Didonem vt Flaminicam, Æneámque vt Pontificem max. introducit, vt Seruius notat passim. Hancque probationem Pontificis fuisse alibi Virgilius docet.

Frontíque inuergit vina Sacerdos[a]. a 6. Æneid.

Atque hæc quidem probatio, non fuit Sacrificium, sed hostiæ exploratio[b]. b Seru. 4. Æneid.

Fuit etiam aliud genus probationis vt scilicet victima perfecta esset: In vitulo, cauda articulum suffraginis contingere debebat[c], breuiore non litari putabant. Quod à nobis ampliùs exponetur vbi de hostiarum diuerso genere. Perpetuum in omnibus victimis fuit, vt vino probarẽtur: Atque illarum frons sale & farre κεφαῖς πεφρυγμένοις, id est mola salsa à Pontifice aspergeretur, vt foci & cultri. Maxima hinc in Sacris salis intelligitur authoritas, quando nulla conficiuntur sine salsa mola, quæ fiebat de horno Sale, & horna fruge[d]. Huius Ceremoniæ verba concepta habemus, quæ huiusmodi fuisse Seruius refert[e] MACTVS. EST. TAVRVS (vel agna aut quoquo nomine hostia) VINO. MOLAQVE. SALSA, hoc est cumulatâ hostia est, & magis aucta. Quæ cum ita esset, aptum sacrificium credebatur, si dedicatum animal victimæ patiens inueniretur. Tunc ignis aræ supponebatur, Pontifexque c Plin. li. 8. cap. 45. d Seru. 2. Æneid. e 9. AEneid.

Summas carpens media inter cornua setas
Ignibus imponit sacris, libamina prima[f]. f Virgil. 6. AEneid.

Priùs enim setæ tolluntur, & lana aris impo-

[a] Lactant. Gr. Theb. 4. nitur[a], Sícque designatur quasi immolationis victima,

& tempora ferro
Summa notant pecudum[b].

[b] Virgil. li. 12. Æneid. Quod Statius dixit[c].

[c] 4. Thebaid. *Iamque ardua ferro*
Signati capita.

Obliquum cultrum à fronte vsque ad caudam ante immolationem ducere consueuerant ad Orientem conuersi tuncque repetebant preces altiori voce sacra facturi.

[d] Virgil. 12. Æneid. *Tum pius Æneas stricto sic ense precatur*[d].
Sic prior Æneas sequitur sic deinde Latinus
Suspiciens cœlum.

Libatio præcesserat, dixerat Poëta *pateris altaria libant*. In Sacris enim primum erat libare, deinde immolare, tertiò reddere, quartò litare[e].

[e] Lactant. Gram. 4. Theb.

Duæ verò fuerunt libationes in sacris. Prima cum post victimæ probationem vinum ad aras funderetur. Altera cum sanguis hostiæ libaretur. Libatio ergo vini fiebat post immolationem, id est, postquam victima molam salsam accepisset: post mactationem sanguis victimæ fundebatur, aliáque libamenta Diis offerebantur inter cæsa & porrecta. Cædebatur hostia Pontificis iussu: In Agonalibus[f] princeps Ciuitatis interrogabatur à Sacrificulis A G O N? Iussu Pontificis accepto,

[f] Varro li. 5. de ling. lat.

Supponunt alij cultros, tepidúmque cruorem
Suscipiunt pateris[g].

[g] Virg. 6. Æneid.

A Pontifice victima percutiebatur: aut cum cultrum

teneret, alter impingebat[a]. Extemplò sanguis libabatur cùm thure, vino, moláque salsa. Hunc ritum expressit Arnobius[b]. *Non cæsorum,* inquit, *sanguinem animalium damus, non thura, non fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum infusionibus inferimus.* Tibicines non cum mactaretur solum, sed cæsa etiam hostia concinebant[c]. Pontifex thura iterum altaribus ingerebat. Thus enim locum sumpsit in Cæremoniis primum & sine thure religionis officiũ claudicabat[d]. Vinum thuris socium ei superfundebatur incensioni. Cum thus incendebatur dicebat Pontifex MACTVS. HOC. THVRE. ESTO. Cum vinum. MACTVS. HOC. VINO. INFERIO. ESTO. Inferium vinum, ait Trebatius, dicebat Pontifex, ne vinum omne omninò quod in cellis & apothecis est conditum, ex quibus illud effunditur promptum, esse sacrum incipiat, & ex vsibus eripiatur humanis. Nam addito hoc verbo, solum erit, quod infertur Sacrum, nec religione cæterum obligatur.

[a] Lact. Gr. 4 Theb.

[b] lib. 6.

[c] Lucian. dialog. de Sacrific.

[d] Arnob. li. 7.

Vinum posthæc Sacrificulus circumferebat, vt populus pariter libaret, hoc est summus labris degustaret, sibíque inuicem poculum præberet. Quod non obmisit Virgilius[e].

[e] lib. 8. AEneid.

Et pocula porgite dextris.

Refert Sallustius[f] fuisse qui dicerent Catilinam cum ad iusiurandum populares sui sceleris adduceret, humani corporis sanguinem vino permistum, in pateris circumtulisse. Inde cum post execrationem omnes degustassent, sicuti in sollemnibus sacris fieri cõsueuit, aperuisse consilium. Inter hæc pocula diis

[f] De. Coniur. Catil.

etiam, libabatur ἀπάρχεται aliquo genere libamenti, vt fereto [a], vel ſtrue, placenta de farre, melle & oleo [b]: Quod priſca ſacra pulte fritilla confici ſolerent, quia in victu puls antiquiſſima [c]. Paſtillum quandoque libi genus rotundi, vel ſecium quod ſeceſpita ſecabatur ſacrificiis adhibebatur [d]. Hæc libamenta, aris imponebantur, ignéque eorum pars minuta crematur. Plinius [e] de Ombria gemma differens. *In aras*, inquit, *addita ea, traditur libamenta non amburi.* Libamina huiuſmodi Diis offerebantur inter cęſa & porrecta [f]. Medium enim erat tempus inter hoſtiam cæſam quæ mane, & exta porrecta quæ veſperi. Quo tempore exta reddi dicebantur, vel in olla vel in veru elixa aut cocta. Varro [g] cum quarundam pecudum mentionem fecit. *Hæ ſunt*, inquit, *quarum in Sacrificiis, exta in olla non in veru coquuntur.* Arnobius [h]. *Cum Romulo Pompilióque regnantibus percocta planè ac madida cremarentur Diis exta: Nónne Rege ſub Tullo cœpiſtis & leuiter cremata porricere, priſca obſeruatione contempta?* Idem ille [i]. *Modò his aſſa, modò cruda ponuntur ſemicocta & ſemicruda.* Sed priuſquam exta redderentur, ter aram Pontifex cùm magiſtratu circumibat.

Ter circum acta pyras, ſancti de more parentis
Semineces fibras & adhuc ſpirantia reddit
Viſcera [k].

Quod Paucis Virgilius [l] in perſona Didonis expreſſit.

Ante ora Deûm pingues ſpatiatur ad aras.

Exta tum aræ imponebantur reddíque dicebantur. Quod à magiſtratu fiebat iubente his verbis Ponti-

[a] Feſtus in verb. ferctũ Strues.
[b] Seru. 7. Æneid.
[c] Plin. li. 8. cap. 8.
[d] Varro li. 4 de ling. lat. Feſtus in verb. ſeciũ.
[e] li. 37. ca. 10
[f] Varro li. 5. de ling. lat.
[g] lib. 4. de ling. lat.
[h] lib. 2.
[i] lib. 7.
[k] Statius 4. Thebaid.
[l] 4. AEneid.

fice. DA. QVOD. DEBES. DE. MANV. DEXTRA ARIS[a]. Adolebat ſacrificans, orabat Sacerdos. Plauti Ballio[b].

Nam ſi ſacruficem ſummo Ioui
Atque in manibus exta teneam, vt porriciam, interea loci
Si lucri quid detur, potiùs rem diuinam deſeram.

Quaſi diceret nullam pietatem obſiſtere poſſe, quin lucro conſuleret.

[a] Seru. 2. Georgic.
[b] In Pſeudolo.

Iiſdem verbis ſollemnibus vtebatur Pontifex, cùm Thus aut vinum libaretur[c]. Cúmque exta reddebantur, & in foco aræ imponebantur, hoc erat PORRICERE[d]: Vnde extorum partes Proſiciæ[e], quæ ſolæ comburebantur. In carmine Saliari inciſia ſunt, quod in extis proſectum[f]. Feſtus[g] vocat ablegmina. Quæ præterea magiſtratus in aram imponebat, ambabus manibus, & proſecta non erant, luſtralia vocabantur[h]. Quod fieri conſueuerat cum luſtrum conderetur. Hæ partes minutiores omnes antequam adolerentur, farris ſemine incerni ſolebant, ac dicere ſacra facientes SE. EA. FEBRVARE. Id eſt, pura facere[i]. Cum vero proſiciæ comburebantur, Thus iterum dabatur & vinum, quod erat *vinum adtegrare*, id eſt, vino Sacrificium augere[k]. Arnobius[l] Thus illud & vinum nobis abunde ſuppeditat. *Pari more*, inquit, *poſt ſolitos victus liborum & pultium hoſtiarúmque cæſarum, quò putrefiat faciliùs & percoquatur cibus, frequentiſſimo irrigant, accipiúntque ſe vino.*

[c] Seru. 8. Æneid.
[d] Macrob. 3 ſat. cap. 2.
[e] Arnob. li. 7.
[f] Varro li. 4 de ling. lat.
[g] In verb. Ablegmina.
[h] Seru. 8. AEneid.
[i] Varro in fragment.
[k] Feſtus in verb. adtegrare.
[l] lib. 7.

Inter porrecta gratiſſimæ Diis κνίσσῃ putabantur, id eſt, nidores κνισοὶ τῶν θυσιῶν[m], qui cum in

[m] Heſych.

cœlum euolarent, cum exta nihil portendissent, id est, cum læta exta essent, iisque cor non defuisset aut caput[a], litasse se credebant, id est, sacrificio numen placasse. Sícque vbi litasse compererant, Deos ipsos demum adorabant, dextram ad Osculum referentes[b], totúmque corpus circumagentes, circum incensa altaria hymnos concinentes. Pontifex tandem manibus in altum porrectis Deos iterum precabatur, Ianum primò reliquósque quos necesse erat inuocari[c]. Ianus enim in omnibus sacris primus perpetuò rogabatur, vltimùm Vesta. M. Tullius[d]. *Ianum principem in sacrificando esse voluerunt.* Arnobius[e]. *Ianum quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere ad deorum audientiam creditis.* Ab his precibus litationes quæ λιτανεῖαι, vt lito deprecor λιτανεύω. Peractis precibus Pontifex ad dextram voluere & circumuortere solebat, admouénsque ori suo dextram, primore digito in erectum pollicem residente[f], sedens Deos venerabatur cùm populo, & velut Diis ipsis ratas preces habentibus ILICET pronuntiabat[g], quod nouissimum Sacrorum omnium verbum fuit, quo ritè peracta illa significaret populúmque missum faceret. Hæc fortè ingrata non erunt nisi ei ὁ μηδέποτε ταῖς χάρισιν, ἀλλ' οὐδὲ ταῖς μούσαις θύσας, qui neque gratiis neque musis vnquam sacrificauit.

a Capitolin. in Pertinacc. & ib. Casaubon.

b Plin. li. 28. cap. 2. Virgil. lib. 8.

c Acro in horat. satyr. 6. lib. 2. Serv. in sched.

d lib. 2. de nat. deor.

e lib. 3.

f Apuleius 4 metamorp.

g Virgil. li. 6

SACRIFICIORVM RITVS
ex M. Catone.

CAP. III.

SACRIFICIA diximus publica esse vel priuata: Priuatorum Cato [a] adfert exemplum, ex quo publica maximè illustrari possunt, nisi quis malit ad Paganalia hoc genus Sacrificij referre, quæ quidem inter publica & sollemnia sacra numerantur. Cato tamen ad villicum erudiendum hæc tradit, qui in villa faceret sacra. *Priusquam messem facias*, ait Cato, *porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet. Cereri porca præcidanea, porcam fœminam, priusquam hasce fruges condantur far, triticum, hordeum, fabam, semẽ rapicium, thure, vino, Iano, Iunoni, Ioui præfato. Priusquam porcam fœminam immolabis, Iano struem commoueto sic. Iane pater te hac strue commouenda bonas preces tè precor, vti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiæque meæ, mactus hoc ferto. Fertum Ioui moueto & mactato sic. Iupiter te hoc ferto obmouendo, bonas preces precor, vti sies volens propitius mihi, liberisque meis, domo, familiæque mactus hoc ferto. Posteà Iano vinum dato sic. Iane Pater vti te strue commouenda bonas preces bene precatus sum, eiusdem rei ergò, macte vino inferiori esto, postea porcam præcidaneam immolato. Vbi exta proiecta erunt, Ita Iano struem commoueto, mactatóque item vti prius obmoueras. Ioui item fertum obmoueto, mactató-*

[a] lib. de re rusti. ca. 134

que vti prius feceras. Item Iano vinum dato, & Ioui vinum dato, ita vti priùs datum fuit, ob struem obmouendam & fertum libandum, postea Cereri exta & vinum dato. Cato hic primus triumpho & censura clarus, nobilior tamen literarum claritate, meretur certè vt illius sententiam indicemus, quæ eo gratior, quo abstrusa magis est & antiquitatem maximam præfert. *Porcam præcidaneam*, inquit, *hoc modo fieri oportet.* Lego *porcum præcidaneam.* Ratio lectionis suo à nobis loco reddetur. Cereri porcus præcidanea mactatur, quod præcidarium fuit Sacrificium ante nouam frugem Cereri Deæ Terræ. Porcum fœminam thure, vino præfabãtur Iano, Ioui, Iunoni, *Priusquam hasce fruges condantur.* Lego, *priusquam vase fruges condantur.* Varro[a], *Si sit fundus centum iugerum, frumentaria vasa viginti habere oportet.* In his enim vasis fictilibus, vt in granariis fruges reponebantur. Nam non in granariis solùm fructus custodiuntur, sed in Vrseolis & capsellis in quibus illi componuntur[b]. Vrseoli & capsæ vasa erãt vt cumera, de qua Horatius[c].

Cur tua plus laudas cumeris Granaria nostris.

Sacrificium fit Cereri, thure tamem & vino Iano Ioui & Iunoni præfatio sacrorum fit, qui tanquàm Dii potentiores inuocãtur primùm. Nam præfari significat euocare: Quo sensu Tibullus[d] dixit præfari Manes. Ceres in præfatione omittitur & tres Dii solum inuocantur, quia impar numerus, primus, qui ternarius immortalis credebatur[e]. Ianus Iupiter & Iuno thure & vino inuitantur, quia thus locum sumpsit in Ceremoniis primum, cui vinum fuit socium. Priusquam

[a] lib. de re rustic. ca. 22

[b] l. quæsitũ. §. cõseruandi D. de fund. instruct.

[c] li. 1. satyr. 1

[d] li. 3. eleg. 3

[e] Festus in verb. imparem.

quam porcum fœminam immolaret, Iano ſtruem commouebat. Nam omnis Sacrorum præfatio à Iano incipiebat, vt in Veſta deſinebat[a]. Strues autem genera ſunt liborum digitorum coniunctorum non diſſimilia[b], quæ ſuperiecta panicula in tranſuerſum continẽtur. Struem commouere verbum Sacrorum eſt, quod ſignificare arbitror libamina Diis offerre & ad preces ſacrificãtis exaudiendas excitare. Struem mouere, commouere & obmouere eandem habere ſignificationem ex iis quæ ſecuntur colligi poteſt. Quæ omnia nihil aliud ſunt quàm libare, quod eſt ambabus manibus ſtruem Diis offerẽdo vel ferctum Ioui, primis quaſi labris deguſtare. Dicit enim Cato in fine huius capitis, ita vti priùs datũ fuit ob ſtruem obmouendam, & fertum libandum. Sequitur. *Iane pater te hac ſtrue commouenda &c.* Quod tractabimus vbi de precatione ſermo erit nobis. *Ferctum Ioui moueto.* Hoc libi genus eſt à ferendo dictum, quod crebriùs ad Sacra ferebatur, nec ſine ſtrue. Quare falſus eſt Paulus[c] apud Feſtũ qui Struſertarios dictos ſcripſit à ferto quodam Sacrificij genere. Nam Struefertari; dicti à ſtrue & ferto. Nec fertum genus fuit Sacrificij, ſed libi. Fertũ itaque Ioui mouetur, vt ſtrues Iano. Vtque mactus, id eſt, magis auctus effuſa prece, quæ oblationem ſequuta eſt. Nam & macti Dij precibus aut libis dicebantur vel thure & vino quoties oblationi primæ aliquid adiiceretur. *Poſtea Iano vinum dato ſic &c. macte vino inferiori eſto*, legendum inferio. Vinum in Sacrificiis ſæpius fundebatur, vt ſupra probamus. *Vbi exta proiecta erunt*, manifeſtus

[a] Seru. 4. Aeneid.

[b] Feſtus in verb. ſtrues.

[c] In verb. Struſertarios.

error, legendum porrecta. *Postea Cereri exta & vinum dato.* Illud ergo seruabatur in Sacris vt libatio & immolatio Diis principibus fieret Iano scilicet & Ioui: Exta redderentur siue Deo siue Deæ in cuius honorem sacra instituta essent: Libatio Diis omnibus fieret. Cereri vinum libatum negotium fecit Macrobio [a] qui de mulso intelligendum putauit. Sed nos scimus Cererem non ita abstemiam vt illi mulsum pro vino offerretur. Hoc solùm sacrificio vinum Cereri datum asserit Lilius Giraldus [b], quod sine authore: Dico cùm Seruio Pontificales libros non vetare, vt Cereri de vino sacrificaretur. Locus Plauti multos decepit qui Staphilam anum sic introducit loquentem [c].

[a] li. 3. saturnal. cap. 11.

[b] Syntag. 17

[c] In Aululatia.

Cererin' Strobile istas facturi nuptias?
Str. *Qui? Sta. quia temeti nihil allatum intelligo.*

Nodus inexplicabilis Lambino, qui alium græcorum alium Romanorum ritū sibi finxit in Cereris sacris; Cùm tamen Cereri Romæ Græco ritu sacrificaretur. Plautus loquitur de Cereris nuptiis quæ θυσίαι νυφάλεοι, In quibus vinum quidem adhiberi nefas erat, quia Orci erāt nuptiæ, quas Pontifices præsentia sui, ingenti sollemnitate celebrabant [d]. In cæterīs Cereris Sacris vinum & thus ad Sacrificia præibant. Antequam Cato de prēcidanea porca diceret, docuerat [e] quomodo dapem fieri oporteret. Daps [f] fuit res diuina quæ fiebat aut hyberna semente aut verna, Quæ quidem diuina res nihil differt à sacrificio communi. Fiebat quidem illa domi, vt ex multis Plauti locis

[d] Seruius 1. Georgic.

[e] cap. 132.

[f] Festus in verb. Daps.

comprobatur, ex quibus vnum afferam aut alterum. Primum ex Amphitruone.

Tu gubernatorem à naui huc euoca verbis meis
Blepharonem, vt re diuina facta prandeat.

Alterum ex Aulularia vbi Euclio:

Vascula intus purè propera atque elue.

Et paulò post.

Nunc lauabo vt rem diuinam faciam, ne affinem morer.

DE POPARVM ET VICTIMARIORUM MERCEDE.

CAP. IIII.

DVM Sacrorum rationem diligentiùs exquiro, Popæ & victimarij occurrunt cùm cultris & malleis qui mihi eum timorem non iniiciunt, quo me vetus inscriptio dudum perterruit. Hæc illa est.

D.
PRO. SANGVINE
ET. CORIVM
SI. HOLOCAVSTVM. -X-. X
PRO. SANGVINE. AGNI. ET. PELLE. -X-. II
SI. HOLOCAVSTVM. -X-. II. t
PRO. GALLO. HOLOCAVSTO. X. I. L ↄ
PRO. SANGVINE. A. XIII
PRO. CORONA. A. IIII
PRO. CALIDAMIN. HOMINEM. A. II

125. b.

Licet ſub pellibus literarum non multum otij nobis concedatur ad nugas & vanum laborem, properantémque me operiantur Popæ importuni: detrahenda tamen iſthæc quoquo modo pellis eſt. Nihil intra cutem vulneris faciam quod ab aliis facilè curari non poſſit. Monebat Rigaltius, meritò quem amo, cuíque totam hanc explicationem acceptam fero, Fragmẽtum eſſe de matricula ſiue breuiculo æruſcatoris cuiuſdam victimarij, qui pro opera quam mactandis victimis locauerat, ſummularum quarũdam per minuta æra taxationes propoſuerat. Abſque hac coniectura eruditiſſima eſſet, vt nihil prorſus hac de re intellexiſſem. Ex illa enim alia ſeſe offert mihi, quæ Pontificum augeat authoritatem. Quos miniſtris ſacrorum huiuſmodi mercedem cõſtituiſſe puto. Nam hi vt ſolet, ad rem auidiores vexabant populum pro operæpretio: certam mercedem pro ratione Sacrorum in quibus locabant operas, ex præſcripto præſtari voluerunt Pontifices, populúmque ab illorum moleſtia liberare. D. illud quæ prima eſt inſcriptionis litera, pro decreto accipio. PRO. SANGVINE. hoc eſt pro iugulanda victima, Denarij aliquot æſtimati qui in lapide corroſi. ET. CORIVM. quod relictum fuit templo; pellis enim cæſæ victimę detracta, inter religionis inſignia ponebatur. Nam ſtratis his pellibus, Diis incubabant. SI. HOLOCAVSTVM. in quo tota hoſtia flammis adolebatur: merces fuit denariorum decem. PRO. SANGVINE. AGNI ET. PELLE. detrahenda ſcilicet, Denarios duos accipiebant. SI. HOLOCAVSTVM. ex agno fieret dena-

rios duos totidem. PRO. GALLO. HOLOCAVSTO. denarium vnum & binas sextulas. Sic enim scriptum conïcit Rigaltius quem sequor X. I. IO. Cuiusmodi notæ reperiuntur apud Volusium Metianum. PRO. SANGVINE · · · · · A. XIIII. deest aliquid, atque vt pro maiori victima pretium primum constitutum est, sic istud pro minoribus arbitror, pro quibus soluebantur asses tredecim. PRO. CORONA asses quatuor, nos de Coronis hactenus, quas hoc loco accipimus pro iis quibus victimarij & victimæ ornabantur. PRO. CALIDAMIN. HOMINEM A. II. Ex imperitia fabri errorem scripturæ manasse putat Rigaltius, qui reponit PRO. CALIDA. IN. HOMINEM vt sit καθ' ἕκαστον ἄνδρα. Argutè quidem, nam licet calida in sacris non vterentur sed viua & pura: Illa tamen opus fuit ad victimarij pelues & cultros eluendos, atque hominum quorundam opera, ad hanc rem vtebatur, quibus singulis asses duo præstiti. In his Sacris cùm Apolline tibijs non contendo; Indico non iudico & tenera eruditionis cute laceros aut ægros lectionis artus operire ita studeo, vt admonitionis aut excitationis loco castigationes aut labores mei accipiantur.

DE VARIO SACRIFICIORVM GENERE. Minusculum sacrum. In sacris siue Deus siue Dea. Quod vinum Sacrificio adhiberetur.

CAP. V.

SOLLEMNIVM sacrorum omnium hic ritus fuit, qui in aliis diuersus, vt in statis, Imperatiuis aut repentinis, qui tot ceremoniis non constabant, nisi ipsi sollemnes essent. Nam quãdoque vinum & thus solum Diis offerebatur : aliquando puls mactabatur vt Calendis Iuliis publicè & priuatim pultem Diis mactasse author est Varro[a] libro primo de vita populi Rom. Casta mola Virgines Vestales faciebant[b]. Fuit quoddam genus sacrificij in quo Saliæ Virgines conductitiæ adhibebantur cùm apicibus paludatæ[c], quæ sacrificium in Regia cùm Pontificibus faciebant, vt Ælius Stilo scripsit. De hoc Sacro fortè Horatius[d]

Cresçam laude recens, dum Capitolium
Scandet cùm tacita virgine Pontifex.

Saliæ enim Virgines circa aras faculas tenentes, ferebantur quodam gestu & motu incomposito[e]. Quod genus Sacrificij quo veteres aras circumibant, & rursus reuertebantur, deinde consistebant Minusculum Sacrum[f] dicebatur. Saltatio est corporis motus paulò vehementior, in multis sacris viris & mulieribus

[a] In fragment.
[b] Festus in verb. Casta.
[c] Festus in verb. Saliæ virgines.
[d] 3. Carmin. od. 30.
[e] Virg. 1. Georgic.
[f] Seruius 4. Æneid.

permissa, tanquam religionis officium. Quod nullam, inquit Seruius[a], maiores nostri partem corporis esse voluerunt quæ non sentiret religionem. Non prætermittendum quod superis Diis impari numero semper sacrificatum: vt inferis, pari: Quod Pontificales indicant libri[b]. Imparem nempè numerum antiqui prosperiorem esse credebant & immortalem[c], quia ille diuidi integer non potest[d]. Quare impares numeros ad omnia vehementiores putauerunt[e] & ad ternarium numerum in superorum Sacrificiis multa retulerunt. Tria altaria Diis superis extructa[f], ter circum acta pyras exta reddebantur[g], ter hostia circumducebatur[h], ter circa easdem aras laneus orbis vinciebatur[i], ter vinum inferium datum[k], ter strues commota[l], τρὶς τὴν σελήνην βλέποντα ἐγχυμὼν τροσδόκοντα[m]. Ter ad lunam inhiantem vota faciebant. Vt Deorum omnis ferè potestas triplici signo ostendebatur. Iouis, Trifidum fulmen: Neptuni tridens: Plutonis etiam Canis triceps.

[a] Eclog. 5.
[b] Seru. eod.
[c] Festus in verb. imparem.
[d] Seru. eclog. 8.
[e] Plin. li. 28. cap. 2.
[f] Seruius eclog. 5.
[g] Statius 4. Thebaid.
[h] Virgil. 1. Georgic.
[i] Propertius eleg. 6. lib. 4
[k] Cato cap. 134.
[l] Cato. eod.
[m] Lucian. in φιλοψευδεῖ.

In omnibus vero Sacris nihil cautiùs agendum, quàm vt vnicuique Deo suo ritu sacrũ fieret. Vsque adeo res exigebat, propria Deorum nomina scire nec ambigere, de vniuscuiusque vi & nomine[n]. Nam si alienis ritibus fuissent inuocati, piaculis tenebant inexplicabilibus obligatos. Hæc causa fuit cur in Sacrificiis dicere solerent *Siue Deus siue Dea*. Vt cũ terra mouisse dicebatur, dei nomen cui ferias seruari, aut sacra fieri oporteret, Romani statuere & edicere quiescebant. Ne alium pro alio nominando, falsa

[n] Arnob. li. 3.

religione populum alligarent[a]. *Eas ferias si quis polluisset, piaculoque ob hanc rem opus esset: hostiam, si Deo si Deæ immolabat*: Idque ex decretis Pontificum Varro tradit, quoniam qua vi, & per quem Deorum terra tremeret, incertum esset. Imò Pontifices ipsi sic Iouem precari consueuerant. *Iupiter opt. maxime, siue quo nomine appellari volueris*[b]. Quem ritum tangit Virgilius[c] suo more.

[a] Agel. li. 2. ca. 28.

[b] Serv. in sched.

[c] lib. 4. Æneid. & ib. Serv.

Sequimur te sancte Deorum
Quisquis es.

Quod etiam in votis & consecrationibus retinuerunt. Lapis vetus.

1. 7.

SIVE. DEO
SIVE. DEÆ
C. TER. DEXTER
EX. VOTO
POSVIT

Fuit Clypeus in Capitolio consecratus cum hac inscriptione, GENIO. VRBIS. ROMÆ. SIVE. MAS. SIVE FOEMINA[d].

[d] Serv. in sched.

Sed vt vino Sacrorum caput hocce claudamus, Quod vel remota quandoque mensa à conuiuis degustari solet: addam quod ex imputata vite Diis libari, Numæ lex Posthumia nefas statuit[e]. Vt nefas prolibare Diis, vino vitis fulmine tactæ, quamque iuxta, hominis mors laqueo pependisset: Aut si vulneratis pedibus vitis calcata esset: aut vinum circumcisis vinaceis profluxisset, aut supernè deciduo immundiore

[e] Plin. li. 14. cap. 12.

mundiore lapsu aliquo, esset pollutum[a]. Vnde in Sacris dicebatur furore corripi qui sacrificaret de vino vitis imputatæ[b].

a Plin.li.14. ca.19.

b Seruius eclog 1.

DE SACRIS PRIVATIS, QVÆ certæ gentis aut familiæ fuerunt, Natalium, Nuptiarum aut funerum.

CAP. VI.

QVOD priuati suæ religionis causa Deo dedicant, id Pontifices Romani non existimant Sacrum, vt Gallus Ælius ait[c]: At si quæ Sacra priuata susceptа sunt, quæ ex instituto Pontificum, stato die, aut certo loco sint facienda, ea sacra appellari tanquam Sacrificium, Ille locus vbi ea sacra facienda sunt, vix videtur sacer esse. Sacra illa tanquam Sacrificium dicit Gallus, quod ex Catone notabamus esse rem diuinam facere. Sacrificia enim propriè fuerunt illa solemnia, quæ per Pontifices aut alios Sacerdotes publicos fiebant: vt res diuina à priuatis. Priuata illa sacra aut gentis vnius fuerunt aut familiæ aut singulorum. Gentilitia in Sacello aliquo, stato loco, anniuersaria factitabantur[d]. Illis totam gentem interesse solere, Fabiorum historia vetus memoratur, quos omnes ad hocce Sacrificium proficiscentes ad vnum occisos narrant. Quod probabile Dionysius[e] non putat, tot viros qui sub signis essent Sacrorum causa in vrbem sine Senatusconsulto reuersos.

c Festus in verb. Sacer mons.

d Cic. de Aruspic. resp.

e Dionys. li. 9.

Sed Cincius libro tertio de re militari dubitationem tollit[a]: Ita enim concipiebatur militum scriptorum iusiurandum. *Vt adessent illi præfinita die*, his additis exceptionibus, *nisi harumce aliqua causa fuerit, vt Sacrificium anniuersarium, quod rectè fieri non posset, nisi ipsus eo die esset.* Non quæro inter dissentientes authores in tanta vetustate, an Fabij ad hoc sacrum pergentes deleti sint: Sed cum Roma non longè abessent, non facilè potuerũt ab hoc Sacrificio excusari quod differre nefas erat. Quare Consules ipsos quibus cura belli mandata erat, hæc sacra quandoque in vrbe retinuerunt, vel è castris ad illa in vrbem ipsi, reuersi sunt.[b] Memorabile illud est quod de gente Seruilia Plinius ex Messala retulit, habuisse illam Trientem Sacrum, cui summa cùm cura magnificentiáque Sacra faciebant. Hunc ferunt alias creuisse alias decreuisse videri, & ex eo aut diminutionem familię significari aut honorem.

[a] Agel. li. 16 cap. 4.

[b] Plutarc. in Fab. Max. & li. 34. ca. 13

Priuata Sacra vnius erant certæ familiæ quæ perpetua manebant, heredémque sequebãtur, nec morte Patrisfamilias occidebant, nisi ex Scæuolæ sententia perimerentur. De his nihil repeto. Priuatorum Sacrorum alia stato die fuerũt & anniuersaria vt natalium & funerum, quæ Parentalia: Alia repentina, vt nuptiarum cæteráque innumera. Quæ omnia aut ad aras certo loco fiebant, qui quidem locus vix sacer videbatur: aut domi, foculo supra mensam imposito, quæ esset aræ loco. Nam quæ in Sacris publicis sollemnibus libamenta priuati Diis offerebãt, vnam tantum Sacrificiorum partem contingebant, quæ

fuit libatio. Priuati enim in his Sacris, aut ignem in aram inferebant, aut aram augebant quod est libamenta offerre, aut adolebant. Plautum in his Sacris expediendis aduocabo mihi ministrum, Sacerdotem & Aruspicem, qui his in rebus vt in omni genere doctrinæ ita diues est, vt ab eo solo mihi comparare possim nullo pretio, quæ necessaria videbuntur. Quare authores alios non morabor, qui lucem ab illo maximam accipere possunt. Ea fuit omni populo Rom. religio, vt publicè & priuatim accederent ad Deos puri, nec illotis, vt aiunt, Manibus. Megadorus[a]. [a] Plautus in Aululatia.

Ego nisi quiduis eo lauatum vt sacrusicem.

Euclio illius socer expectatus.

Nunc lauabo vt rem diuinam faciam.

Operiebant caput ad aras accessuri vel Deos inuocaturi. Alcumena[b]. [b] Plautus in Amphitruone.

Inuocat Deos immortales, vt sibi auxilium ferant
Manibus puris, Capite operto.

Quod ex Agarastocle adolescente amatore & Adephasio amica notamus, ille[c]. [c] Plautus in Pœnulo.

Ag. *age sustolle hoc amiculum*

Ad. *pura sum, comperce amabo me attrectare Agarastocles.*

Et paulò post.

Ad. non sum irata. Ag. non es? Da ergo vt credã Sauium
Ad. mox dabo cum ab re diuina rediero.
Ab. Paucis verbis rem diuinam facito.

Maturiùs properabant ad Aras. Meretrices duę Plauti nostri.

AN. *Nimia nos ſocordia hodie tenuit.* AD. *qua de re obſecro?*

AN. *Quia iamdudum ante lucem ad ædẽ Veneris venimus Primæ vt inferremus ignem in aram.*

Philocomaſium meretrix alia.

Inde ignem in aram.
Vt Epheſiæ Dianæ laudes latas
Gratéſque agam, eique vt arabico fumificem odore amœnæ[a].

[a] Plautus in Milite.

Illato igne thus iniiciebant, & hoc propriè fuit adolere.

[b] Martyrolog. 25. Decemb.

Natali domini Diocletianus Imperator[b], Nicomediæ cum Chriſtiani ad Dominicum conueniſſent, Ianuas eccleſiæ claudi iuſſit, & ignem circumcirca parari, tripodémque cùm thure præ foribus poni, vt Ioui thus adolerent.

Aram hoc Thure aut libamentis adaugere dicebantur. Quod & in publicis & priuatis ſacris fieri ſolebat. Dorippa mulier[c].

[c] Plautus in mercatore.

aliquid cedo
Qui hanc vicini noſtri aram augeam.
Syr. *Da ſanè hanc virgam lauri.*

Hæc quidem & in publicis & priuatis Sacris communiter obſeruata. Priuatorum ſacrorum quæ publicè fierent imagines multas habemus in nummis, vnum aut alterum adferam & multis.



In his rem diuinam facere, ſupplicare, ſalutare Deos diuerſa ſunt, quæ vno vocabulo exprimuntur, pacem Deorum quærere aut expetere. Amphitruo [a]. *Vt Iouis ſupremi multis hoſtiis pacem expetam.* Adelphaſium [b]. *Sunt hîc omnia quæ ad Deûm pacem oportet adeſſe?* Verbo vnico dicebant facere, quod eſt, rem diuinam religionibus exibere. Virgilius [c], *Cum faciam vitula.* Hadrianus Iunius legit. *Cum faciam vitulam*, probè. Cenſorinus, *Genio hoſtiam faciundum.* Adhibebantur his Sacris priuatis, miniſter, Aruſpex, Fidicina, Popa. De miniſtro *Salax* Iupiter apud Plautum [d]. *Atque vt miniſtres mihi cum mihi ſacruſicem.* Miniſter ille primus ex domeſticis aduocabatur, Panegyris mulier Gelaſino [e].

PA. *Intro Dinacium, iube famulos rem diuinam mihi apparent,*
Bene vale. Ge. vin' adminiſtrem? PA. *Satſeruorum habeo domi.*

De Aruſpice & Popa Plautum [f] intelligo.

[a] Plautus in Amphitr.
[b] Plaut. in Pœnulo.
[c] Eclog. 3.
[d] In Amphitr.
[e] Plaut. in Sticho.
[f] In Curculione.

In velabro vel piſtorem vel lanium vel Aruſpicem,
Vel qui ipſi vortant, vel qui alij ſubuerſentur, præbeant.

Hoc enim genus hominum ſtabat otioſum, vſque dum illos aliquis ad rem diuinam priuatam conduceret. Piſtorem vel fictorem puto qui fictas humilioribus hoſtias pararet. Perperam verſum alterum viri doctiſſimi intellexerunt [a]. Habet vetus lectio, *vel qui aliis ſubuertendos præbeant*, vtraque recta. Iocus Plauti in eo quod omnes hi conductitij inſeruiebant ſacris. Aruſpex Sacrificij & Ceremoniarum arbiter, quæ ex illius præſcripto pro diuerſitate numinum perficiebantur. Nullum Sacrificium ſine adoratione, quæ modò dextroverſum fiebat, modo alio ritu vt docebimus, vbi de illa agemus. Hinc vetus dictum *Dij bene vortant.* Et vortere eſt conſiderare [b], quo ſenſu Salluſtius dixit exercitum more maiorum vortere. Quod verò Lambinus magnum diſcrimen putat, inter vorſare & vortere; illúdque tractum dixit à piſcibus qui aſſantur & verſantur, frictas nuces narrat: Iſthæc enim eandem ſignificationem habẽt. Vt, *animum partes verſabat in omnes* dixit Virgilius, quod tranſlationi Aſſorum piſcium accommodari non poteſt. Et *verſare oues* [c], pro pecus huc & illuc agere. Vortere ergo & ſubuortere, ad Aruſpicem pertinet, qui & Ceremonias ſacrificantes edocebat, & victimarum exta conſiderabat, homóque ille nullius pretij, per interpoſitas perſonas plerúmque ſubuertebat, id eſt deludebat, & ad ea ſe vertebat, quæ vſus poſceret. Hic tamen aduocabatur & conſulebatur.

[a] Turneb. li. 11. aduerſ.

[b] Seru. 5. Æneid.

[c] Virgil. Ecloga. 10.

Hostiis pacem expetam,
Ego Tiresiam coniectorem aduocabo & consulam[a].

De Fidicina Epidicus Plauti[b].

Me iussit senex,
Conducere aliquam Fidicinam sibi huc domum,
Dum rem diuinam faceret, cantaret sibi.

[a] Plaut. in Amphitr.
[b] In Epidic.

Victimas enim aut domi aut ad Aras immolabant, & vbique hos omnes sibi ministros adsciscebant suo sumptu.

Priuata Sacra quæ ad aras, Natali, Nuptiali & Funerum die celebrabantur, Aut festo alicuius Dei quē colebant. Natale Sacrum vulgatum est, quod Genio fiebat sine victima, cui quotannis sacrificabatur[c]. Huic Deo merum fundendum, non hostiam faciundum Varro testatur in eo libro cui titulus est Atticus, & id moris antiqui tenuerunt, vt cum die natali munus Annale Genio soluerent, manum à cæde ac sanguine abstinerent: ne die qua ipsi lucem accepissent, aliis demerent[d].

[c] Censorin. de die nat. cap. 3.
[d] Censorin. cap. 2.

Nuptiarum ritus maiorem habuit ceremoniam religionémque. Nam & nuptialia Sacra[e] dicta sunt & Sanctimoniæ nuptiarum, & nuptialia Sacramenta[f], quæ captatis Auguriis & multis Ceremoniis firmabantur. In nuptiis enim augurium, Sacrificium & ad aras, & domi, votum requirebatur, si per coëmptionem fierent aut confarreationem. Nam quæ vsu mulier ducebatur parum à concubina differebat. *Auspices* Varro in libro de pudicitia in *nuptiis appellatos docet, quod Auspici** bisque à marito & noua nupta per hos Auspices captabantur in his nuptiis.* Sic laudatur

[e] Liuius li. lib. 30.
[f] Martianus Capel. li. 2.

a lib. 4. Æneid.

Varro à Seruio [a]. Legendum forte, cum locus sit mutilus. *Auspicia enim semel bisque à marito & noua nupta per Auspices hos captabantur.* Quod illa & foris ad aras & domi sacro iterato, etiamnum componebantur. Iura Auspiciorum ad opinionem vulgi retenta sunt ex patrio more: ea quibus in nuptiis vtebantur simulachra Auspiciorum fuerunt [b]. Aruspex his verbis aduocabatur: *Te volo mihi in auspicio esse: volo respondebat, audiui hæc.* In Auspiciis Tellus vocabatur, quam nuptiis præesse tradunt, Cui etiam virgines cum ire ad domum mariti cœpissent, vel iam ibi positæ essent, diuersis nominibus & ritu sacrificabant. Quare secūdum Etruscam disciplinam nihil tam incōgruum nubentibus quàm motus terræ [c]. Captatis Auguriis vxor duci in domum viri non poterat, nisi sacrificio peracto [d]. Quod quidem Sacrificium ad Aras, id est, in templis & ædibus publicis vbi victimæ immolabantur [e]. In his Sacris nihil religiosius confarreationis vinculo fuit, nouæque nuptæ farreum præferebant [f]. Farre conueniebatur in manum certis verbis, & testibus decem præsentibus, & sollemni Sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibebatur ille, quem noua nupta præferebat [g]. Vir & mulier per Pontificem max. coniungebantur per fruges & molam salsam & confarreatio dicebatur, ex quibus nuptiis patrimi & matrimi nascebantur. Coëmptio verò aut in manum conuentio vxorem viro loco filiæ dabat, & vir, patris in ius veniebat, ea lege, vt qui prior moreretur heredem alterum sibi haberet. Coëmptio illa fiebat per æs & libram his verbis sollemnibus, *vbi tu*

b Cic. lib. 2. de diuinat.

c Seru. 4. Æneid.

d Seru. 3. Æneid.

e Apuleius lib. 4. metamorph.

f Plin. li. 18. cap. 3.

g Vlpian li. regular. tit. 9.

Caius

Caius ego Caia. Nam Caias mulieres esse vocatas, & Caios viros ex nuptialibus sacris apparet[a]. Igni & aqua coëmptio perficiebatur[b], Vota deinde fiebant, à quibus prima & secunda vota pro nuptiis vsurpantur. A votis votita vxor dicta est; Elegans locus Plauti, cum Parasitus adolescenti satur meretricias leges scriberet, quæ verecundius aliquid continerent & sanctitatem haberent nuptiarum[c].

[a] Quintilia. lib. 1. inst. cap. 7.

[b] Serv. 4. AEneid.

[c] Plautus in Asinaria.

De me istuc, inquit adolescens,
Nolo habere illam causam & votitam dicere.

Mira est Lambini interpretatio, quæ Asinariâ Plauti rudere faceret. Versus iste citatur à Nonio, qui veteres religione aliqua prohibitum vel vetitum, votitum dixisse asserit. Videndum nobis est, quid sit causam habere, & propriè votitam dicere. Causam habere & causam dicere idem sunt. Plautus noster.

Non causam dico, verum qui insimules probri[d].

Idem[e].

Vxor viro si clam egressa est foras,
Viro sit causa, exigitur matrimonium.

[d] In Amphitr.

[e] In mercatore.

Causa est controuersia[f]: Græcis ὑπόθεσις. Crimen obiicere criminosè deferre & αἰτίαν ἔχειν reum postulare, controuersiam mouere. Hæc ergo est mês Plauti, nolo vt illa de me conqueratur, quod nimis illam pudicè habeam, vt ne quidem se mouere possit. Sed moueri illam gestio, cum sit meretrix, nec votitam dicere, id est, quasi vxorem habere, quæ verecundè & non intemperanter amet. Atque hæc nuptiarum sanctitas fecit, vt legibus Romanis nuptiæ

[f] Senec. in præfat. li. 1. controuers.

inter ciuem Romanam & peregrinum sint prohibitæ & nefariæ dictæ quod contra fas contractæ essent & sine farre pio. Quod mirè de nuptiis Antonij & Cleopatræ seruauit Virgilius[a].

[a] lib. 8. AEneid.

Sequitúrque nefas Ægyptia coniux.

Sollemni hoc Sacrificio priuato facto domi, aliud repetebatur tam à parentibus quàm ab ipsis viris, Euclio ille[b].

[b] In Aulularia.

Quamminimo sumptu filiam vt nuptum darem
Nunc thusculum emi, & hasce coronas floreas,
Hæc imponentur in foro nostro Lari,
Vt fortunatas faciat gnatæ nuptias.

[c] Apud Non. in verb. sacrificabãtur

Viri nuptiis sacrificabantur in cubiculo viduæ, ait Cato[c] antiquitatum diuinarum libro quartodecimo, pro sacrificabant. Idem hùius verbi rationem reddit[d]: *Reprehendunt quidam quod putarint idem esse Sacrifico & sacrificor, quod sit an non nihil commouet Analogium.* Sic viri vxores Sacris suis initiare dicebantur, in quo lusit lepidè M. Tullius[e], cum M. Luculli vxorem, Memmium sacris suis initiasse iocatur, cuius pudicitiæ vitium attulerat. De Sacris funerum alius erit dicendi locus.

[d] lib. 8. de ling. lat.

[e] li. 1. ad Attic. epist. 15.

Festo Dei quem colebant, Sacra facta Plautinus indicat leno[f], qui multum Sacrorum ritum produxit.

[f] In Pœnulo.

Dij illum infœlicitent omnes qui post hunc diem
Leno vllam Veneri, vnquam immolarit hostiam
Quíue vllum thuris granum sacrificauerit.
Nam ego hodie infœlix Dis meis iratissimis
Sex agnos immolaui, nec potui tamen

Propitiam Venerem facere vti esset mihi.
Quoniam litare nequeo, abij illinc illico
Iratus, vetui exta proscarier,
Neque ea aspicere volui, quoniam illa non bona
Aruspex dixit, deam esse indignam credidi.
Eo pacto auaræ Veneri pulchre adij manum
Quando id quod sat erat, satis habere noluit.
Ego pausam feci, sic ago, sic me decet.
Ego faxo posthac Di Deæque cæteri
Contentiores mage erunt, atque auidi minus
Cum scibunt Veneri, vt adierit Leno manum.
Condignè aruspex, non homo Trioboli
Omnibus in extis aiebat portendi mihi
Malum damnúmque & Deos esse iratos mihi.

Aruspex nõ Trioboli cariùs fortè quam in Velabro conductus qui ob artis peritiam nobilior notiorq;. Adire Veneris manum, facetè dixit leno, cum tot frustra victimas veneri mactasset, qui tandẽ ad Auaræ illius manus oscula delabitur. Quod pauperiores solebant, vel facultatibus exhaustis qui nihil haberent in bonis, quod diis offerrent. De quibus perdoctè multa Lipsius[a]: Cuius, vt potentioris manum, scripta hîc deosculor, quibus hoc vnũ Luciani[b] adiicio, ὁ δὲ πένης ἱλάσκετο τὴν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν χεῖρ' δεξίαν. Si quis pauper, is ita deo litat, vt dextram duntaxat suam ipsius exosculetur. Hæc priuatorum Sacra per Curiones fiebant, qui pro curialibus Sacra faciebant[c].

[a] lib. 2. Elector. ca. 2.
[b] In dialog. περὶ θυσιῶν.
[c] Dionys. li. 2.

DE SACRIS PRIVATIS quæ Domi fiebant.

CAP. VII.

DOMESTICA Sacra persequimur, quæ maiore ex parte expedita sunt, quia & illa antiquitate sua cõmendantur & innotescunt. Domi Sacra fiebant præcipuè Diis Laribus ob puerperium vel ex re qualibet imminente ad placandos Deos aut inuocandos: vt si lætiores res essent ad gratias agendas. Laribus Kalendis, Idibus, Nonis, festus dies cum erat, coronam in focum indebant, vel pro copia familiari supplicabant[a]. Si peregrinarentur, Dei alicuius imaginem secum ferebant, cui rem diuinam facerent. Apuleius[b] cum pietatem suam iudicibus ostentaret, *Morem*, inquit, *mihi habeo, quoquo eam, simulachrum alicuius Dei inter libellos conditum gestare: eique diebus festis thure & mero, aliquãdo victimis supplicare.*

[a] Catõ de re rustic. cap. 143.

[b] Apolog. 1.

Puerperium maiore pompa & sumptu celebrabatur, Phronesium Plauti[c].

[c] In Truculento.

Eúmq; ornatum gero, vt grauida quasi puerperio cubem,
Date mihi huc flactam atque ignem in Aram, vt venerem Lucinam meam;
Hic apponite atque abite ob oculis.

Deinde.

Fer huc verbenam mihi, thus & bellaria.

Date aquam manibus.

Qui Plautum tractarunt, hunc locum non attigerunt: Tentabo ex Varrone[a] libro secũdo de vita populi Rom. puerperam adiutare. Ille. *Mensæ anteponebantur cùm Culignis ac vino, in qua quæ veniebant ad fœtum amicæ gratulatum, Diis mactabant.* Quare aduocatur à Phronesio ancilla, quæ verbenam adferret, thus & bellaria, præberétque aquam aduenientibus, vt puris manibus supplicarent, & Culigna vinum cùm thure focis iniicerent. Tertullianus[b]. *Dum in partu Lucinæ & Dianæ eiulatur, dum per totam hebdomadem Iunoni mensa proponitur, dum vltima die fata scribunda aduocantur: Quis non filij caput obsignat, pro gentica, pro auita, pro publica aut priuata deuotione?* De aliis hac in re Sacrificiis, multa D. Augustinus[c], qui consulendus.

[a] Apud Nonium in verb. fœtum.

[b] lib. de anima. cap. 39.

[c] li. 4. de ciuitate, ca 11

Quæ ad inuocandos vel placandos Deos, vel gratias diis agendas, tot fuere quot res illis incertæ, speratæ, tristes, vel prosperæ accidissent. Exempla adferre minij esset otij, Duo tamen non prætermittam vnum ex Virgilio, alterum ex Plauto nostro. Primum est ex Didonis regia[d].

[d] Virgil. li. 1 Æneid.

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere & flammis adolere penates.

Legerem lubens: Cura penus adhibita distinctione, deinde struere & adolere. Strues commota à nobis est, quam certe vti priùs non obmouerem, si absque illa esset; Diis Penatibus adolere potuissent. Struem vocat Plautus bellaria, Strues enim crebriùs ad Sacra ferebatur, quare struere & adolere ex Sacrorum ra-

tione Virgilium copulasse hoc loco censeo, vt sit struere struem conficere: flammis adolere, ignem parare ad Sacrificium, quod vtrumque domestici solebant. Licet struere penum latinè & eleganter dictum sit. Sed ne mihi quispiam struat insidias, quas à me dimouere cupio, liberum illi sit aut coniecturam nostram fastidire aut admittere.

Ob res lætas Diis adolebant, vt si liberi inuenti essent & quasi postliminio reuersi. Hanc ob causam Dæmones senex[a].

[a] Plautus in rudente.

Aliquando osculando melius est vxor pausam fieri,
Atque adornare vt rem diuinam faciam, cum intro aduenero
Laribus familiaribus, cum auxerunt nostam familiam
Sunt domi agni & porci sacres.

Plautum aduocaui qui mihi testis esset, hostias etiam domi cædi. Et quoniam Sacrificium nullum fuit sine sale, vt aras aliquò augeam à Plauto, quæram vt aliquid cædat: Nec enim virgam lauri ab vllo expecto. Ille[b].

[b] In Trinummo.

Verecundari neminem apud mensam decet
Nam ibi de diuinis atque humanis agitur.

Apud Romanos cœna edita sublatisque mensis primis, omnes conticescebant, quoad ea quæ de cœna libata fuerant, ad focum ferrentur & igni darentur[c]. Tum puer Deos propitios nuntiabat, vtque Diis honos haberetur. Vulgatum est illud Arnobij[d]. *Mensas vestras Salinorum appositu & simulachris Deorum, sacras facitis.* Ab his dicta sunt *Sacra mensæ.*

[c] Seru. 1. Æneid.

[d] lib. 2.

Hi fuere Sacrorum veterum publicorum priua-

torúmque quos notaui ritus. In quibus licet sacrificare, rem diuinam facere, Deos salutare, supplicare, adolere, idem sonare videantur: Nonnihil tamen inter se discrepant, & minus est Salutare & supplicare quàm sacrificare aut facere, supplicationes & salutationes leuiùs fiebant. Cato[a]. *Paterfamilias vbi ad villam venerit, vbi larem familiarem salutauit*, id est, paucioribus verbis fecerit, *fundum eo die si potest circumeat*. De Supplicatione, Plauti nostri lar familiaris[b].

[a] De re rustic. cap. 2.

[b] In Aulularia.

ea mihi quotidie,
Aut thure aut vino, aut aliquo semper supplicat,
Dat mihi Coronas, huius honoris gratia. &c.

Honor hîc pro sacrificio, vt apud omnes authores inuenitur. Sic perfecto honore Virgilius[c] dicit pro peracto Sacrificio.

[c] lib. 3. Æneid.

Munera libo,
Intemerata focis perfecto lætus honore,
Anchisen feci certum.

DE *SACRIS DEORVM inferorum.*

CAP. VIII.

DIIS inferis sacra fiebant in Scrobilo[d] id est in effossa terra, Aræ illis vt superis Diis: Altaria superis tantùm consecrata[e]. Varro tamen Diis superis altaria, terrestribus aras, focos inferis dicari

[d] Lactant. Gram. 4. Theb.

[e] Seruius eclog. 5.

tradit: Quorum Sacra alio & contrario ritu celebrata, quo ſuperorum. Primum enim ararum numero Dij iſti differebant. Duæ quidem Diis inferis aræ ponebantur: Superis tres ex Pontificali diſciplina, vt cum duo altaria Phœbo Virgilins dicat, diſciplinæ huius peritus, infernam Apollinis indicat poteſtatem, vt Grammaticus notat[a]. Sacrificantes Diis ſuperis abluebantur aqua: inferis, tantùm aſpergebantur[b]: Superis Sacrificantes thure & vino ter præfabantur: Inferis

[a] Seruius 4. Æneid.

[b] Macrob. 3. ſatur. ca. 1.

[c] Virgil. eclog. 5.

Pocula bina, nouo ſpumantia lacte[c].

Id eſt lacte bis præfabantur. Inferis pari numero furnæ hoſtiæ immolabantur: Superis nigrantes nunquam, ſed vt plurimum candidæ & impares[d]. Quod ad hoſtiæ Deûm ſuperûm explorationem dicebant vina fundere, ſupina manu: Illud erat inferis vina vergere ὑπολίνεσθαι, conuerſáque in ſiniſtram partem manu ita fundere vt patera conuerteretur.

[d] Stat. 4. Thebaid.

[e] Virgil. 6. Æneid.

Frontíque inuergit vina Sacerdos[e].

Quod in Deorum Superûm Sacris citauimus non ex verbi ſignificatione, ſed ad ritum Sacrorum edocendum, in quibus ad hoſtiæ explorationem vinum fundebatur. Inuergere enim proprium eſt inferorum, vt Capularis illa Plauti[f] vini cupida peritè docet.

[f] In Curculione.

Liberi lepos, inquit, *veteris vetuſti cupida ſum.*
Nam omnium vnguentûm odor præ tuo, nautea eſt.
Tu mihi ſtacte, tu Bdellion: Nam vbi
Tu profuſus, ibi ego peruelim ſepultam.

Deinde

Deinde.

ipſum expeto
Tangere, inuergere in me liquores tuos.

Sino dudum. Diis Superis libari vino licebat, inferis non licebat[a]. Superis libabant ſolùm: inferis vero ſacrificantes, etiam vaſa in ignem conijciebant.

Congeſta cremantur
Thurea dona, dapes fuſo crateres oliuo[b].

Propertius dixit.

Fracto buſta piare Cado.

Superis libare, inferis delibare ſe dicebant[c]. Inferos Deos demiſſis ad terram manibus ſubmiſſiori voce inuocabant[d].

Tendóque ſupinas
Ad cœlum cùm voce manus, & munera libo
Intemerata focis.

Peritè munera, non vinum, libat focis, id eſt, congeſta cremantur, ſupina manu & ſupina voce. At ſuperos elata ad cœlum precabantur & pro qualitate numinum interdum ima, interdum ſumma reſpiciebant orantes[e]. In ſuperis litantia cùm exta ſunt læta promittitur: Inferis contraria exta erant potiora[f]. Dij ſuperi diurna ſacra, inferi nocturna ſemper ſibi retinuerunt[g]. Nam quæ inter noctem Diis ſuperis fiunt (vt Damium [h] Bonæ Deæ quod fiebat in operto, cuius Sacerdos Damiatrix) diebus adiiciuntur non noctibus. Nam quæ ſex poſterioribus horis noctis celebrantur, eo die fieri dicuntur, qui proximus eam noctem illuciſcit[i]. Diis ſuperis mactatæ ſolum victimę: inferis homines etiam immolati. Inferorum

[a] Seru. 5. & 8. Æneid.
[b] Virg. 3. Æneid.
[c] Val Max. lib. 2. cap. 1.
[d] Virgil. 3. Æneid.
[e] Seru. 3. & 4. Æneid.
[f] Sueton. in Othon. ca. 8
[g] Seruius 4. Æneid.
[h] Feſtus in verb. Damium.
[i] Agel. li. 3. cap. 2.

enim Sacris publicis hoc consuetum Senatusconsulto comprobatur, quod factum est Cn. Cornelio Lentulo & P. Licinio Crasso Coss. Anno vrbis DCLVII, ne homines immolarentur[a], monstráque sublata sunt. Quod genus Sacrificij ex fatalibus libris renouatum est & extraordinarium dictum, cum Gallus à Galla, Græcus à græca in foro Boario, sub terra viui dimissi sunt, in locum saxo conseptum[b]. De Aris Deûm inferorum in Scrobilo factis, Vetus inscriptio est.

a Plin. li. 28. cap. 2. & 30.

b Cic. pro fonteio. Liuius lib. 22.

1004. CONSO. AD. ARAM. SVBTERRANEAM
DEIS. MAGICIS. . . . . CRIPTÆ
. . . . . PEDES. . . . DEFOSSÆ

Ara Conso in circo defossa est ad primas metas sub terra, cùm inscriptione huiusmodi. CONSVS. CONSILIO. MARS. DVELLO. LARES. COMITIO. POTENTES. Sacrificabant apud eum Nonis Iuliis Sacerdotes publici 12. Kal. Sept[c]. Flamen Quirinalis & Virgines. Ara alia est.

c Tertullia. de spectacub. cap. 5.

1015. 7. PLVTONI. SVMMANO
ALIISQVE. DIS. STYGIIS

Item alia.

1015. 9. FATIS. DERVONIBVS

Fata illa sunt θεοὶ δαίμονες, dij euersores. Deruit enim est αἰαβέπει[d].

d Gloss. vet.

DE SACRIS MAGICIS, ET *mortuorum euocationibus. Silens luna.*

CAP. IX.

DIis Magicis, qui impij dicuntur, magica Sacra fiebant. Illa nocturna, venefica, nefaria, funeſta, cocyta, mala, impia, arcana, opertanea, deteſtãda, Diri Sacrorum ritus fuerunt, in quibus impiæ & ſceleratæ preces fundebantur. Peculiare magicæ vanitatis argumentum fuit, quod animalium cunctorum talpas maximè mirarentur[a]. Nullis enim æquè credebant extis, nullum religionis capacius animal iudicabant; Cuius Sacerdotes magicis cœnis initiati[b]; Alij Phyſyonomici fuerunt, alij talorum vates, ignium, circulorum, cribrorum, vultuſpices, manuſpices, peluium vates, & mortuorum φυσιογνωμονικοὶ, ἀστραγαλομάντεις, πυρομάντεις, γυρομάντεις, κοσκινομάντεις, μορφοσκόποι, χλεσκόποι, λεκανομάντεις νεκυομάντεις[c]. Horum inſtrumenta[d], lucerna, peluis, aqua, pila, lapilli, furculi, & id genus friuola[e], quibus inhalatis ad carminum incantamenta deſcendebant, queis diræ preces concipiebantur. Carmina iſthæc ἐπῳδὰς vocat Plato[f], in quibus præcipuus horum Sacrorum ritus. Veteres cantare de magico carmine proprie dicebant[g], cuius effectus excantatio, occantatio, obligatio. Apuleius

a Plin.li.30. cap.3.

b Plin.li.30. cap.2.

c Artemidor.li.2.ca. 74.

d Plin.li.28. cap.30.

e Apuleius 1. metamorph.

f In Symposio.

g Seruius eclog.8.

primi nominis magus, & carminis Sepulchralis perdoctus magiſter, nullo carmine decantatũ in aſinum
a li.3. metamorph. se commutatum miratur[a]. Digitis pectinatim inter
b Plin.li 28. cap.6. se implexis precabantur: quod veteres in ſacris aliis omnibus, votíſue prohibuerunt[b]. Mulieres his ſacris infamatæ ſunt, quas Philochorus libro tertio de diuinatione ἐγγαστριμύθους appellat, quáſque paſſim nobis poëtæ omnes offerunt, tale quidpiam operantes. Huic tamen ſceleri & Aruſpicem & Sacerdotem miniſtraſſe Plato atque Imperatores notant. Illi μυστοπόλοι, quorum princeps ſcientia in euocatione manium vertitur, defictionibus, excantationibus, & ſortibus. De his ea præcurram quæ leges Corneliæ
c In Sympoſ.
d l.3. C. Theod. de maleſic. & mathemat. rion vetant, & quæ ad veterum lectionem Pontificúmue authoritatem pertinere videbuntur. Nam & impiam ſuperſtitionem detegendo, illam etiamnum coarguemus.

Magica primum vires aſſumpſit religionis, ad quam maximè caligabat genus humanũ. Publicam illam in ſortibus Romani probauerunt, damnarunt priuatam, Pontificum iudicio, quibus multùm in his criminibus inquirendis tribuebant. In mortuorum euocationibus inferorum colloquia petebãtur. Huius duæ fuerunt ſpecies præcipuæ νεκυομαντία & σκιομαντία. Hanc Homerus exequitur[e], illam Lucanus[f]. In νεκυομαντία ad leuandum cadauer, ſanguis erat neceſſarius. In σκιομαντία quia vmbra tantùm vocabatur, ſolus interitus ſufficiebat[g]. Nefarium hũc ritum accuratè Heliodorus[h] deſcripſit Chriſtianus author.
e Odyſſ. λ.
f lib.6.
g Seru. 6. Æneid.
h lib.6.
ἀφεῖτα μὲν ἑῴθεν ὠρύξατο. ἔπειτα πυρκαϊὰν ὤκ ἡμέτερου μέρους

ὀξῆψε. καὶ μέσον ἀμφοῖν τὸν νεκρὸν δὴ παιδὸς τοῦ θεμένου, κρατῆρά τε ὀρθρινὸν ἐκ τρίποδος τοῦ κειμένου τρίποδος ἀνελόμενον, μέλιτος ἐπέχει τοῦ βόθρου. Καὶ αὖθις ὀξ ἑτέρου γάλακτος, καὶ οἴνου ἐκ τρίτου ἐπέσπενδεν. εἶτα πέμμα σφάτνιον εἰς ἀνδρὸς μίμημα πεπλασμένον, δάφνῃ καὶ μυρσίνῃ κατασέψασα, εἰς τὸν βόθρον ἐνέβαλεν. ἐφ' ἅπασι δὲ ξίφος ἀνελομένη, καὶ τοῦς ὃ ἐνθουσιάσδες σοβηθεῖσα, καὶ πολλὰ τοῦς τὴν σελήνην βαρβάροις τε καὶ ξενίζουσι τὴν ἀκολουθοῦσαν ὀνόμασι κατευξαμένη, τὸν βραχίονα ἔτεμεν, καὶ δάφνης ἀκρέμοσι τῷ αἵματος ἀποψήσασα τὴν πυρκαϊὰν ἐπέψεκαζεν. ἄλλα τε ἄττα τετελευσαμένη τοῦς τούτοις ὅπῃ ἔχει νεκρὸν τὸ παιδὸς τοῦ κρύψασα, καί τινα τοῦς ὃ ὃς ἐπάδουσα, ὀξῆλθε, καὶ ἀθρόον ἐξανῃ τῇ μαγείᾳ κατηνάγκαζεν. Primùm quidem ſcrobem fodit, poſtea rogum ex vtraque parte ſuccendit, & medium inter vtrumque cadauer filij collocans, & craterem fictilem ex quodam tripode, qui iuxta aderat promens, mel in foſſam infundebat: rurſus autem ex altero lac, ex tertio porrò vinum delibabat. Deinde piſtā quandam farinæ maſſam ad viri ſimilitudinem effectam, lauro & bdellio coronatā, in foſſam iniecit. Poſthæc gladio inter ſcuta ſublato, tanquam furore quodam percita, multa ad lunam peregrinis auditu nominibus precata, brachium incidit, & lauri ſurculo ſanguine abſterſo, rogum conſpergebat, aliáque multa portenti ſimilia, præter hæc faciens: tandem ad cadauer filij inclinata, & quædam illi ad aurem accinens excitauit, & ſubitò conſiſtere præſtigiarum vi coëgit. Duo in hac narratione maximè notanda. Primum quod ſaga illa ad lunam precata ſit; alterum quod brachium ſibi inciderit, ex quo ſanguis mana-

ret ad aſpergendum rogum ἐσχίσια ἐντεμοῦσα. Ex ho-
a Odyſſ. λ. rum ſacrorum ritu notat Euſtathius[a], ἱερεῖα τὰ ἐπ᾽ ᾅδου σφάγια, τόμια φασὶ καὶ ἔντομα. Hæc quidem ab emiſſo per inciſionem vel occiſionem humano ſanguine, quem anus illa ἐντεμοῦσα, quod neceſſarium in νεκυομαντία. At τόμια ad interitum ſpectant, qui in σκιομαντία ſufficiebat, mactatis ſcilicet victimis nigris. Heſychius. Τόμια τὰ ἀποτμήματα καὶ ἀκρωτηριάσματα τῶν νεκρῶν. At verò Ἐντομίδες ξύσμαι ὄφεως γινόμεναι, καὶ τοῖς λιπαροῖς σώμασιν ἐντεμνόμεναι, τοιαῦτα δ᾽ εἰώθασι ποιεῖν οἱ τοῖς νεκροῖς αὐτῶν οἱ ἄπιστοι. Quæ verba in ſacris Deorum ſuperorum vſurpata non ignoro, ſed impropriè illa & per tranſlationem. Ἐντόμια ergò fiebant aut per inciſionem aut per hominis occiſionem. De hac M. Tul-
b In Piſonē. lius[b]. *Quis tantus furor, vt cum inaudita ac nefaria ſacra ſuſceperis, cum inferorum animas elicere, cum puerorum extis, Diis manibus mactare ſoleas.* Inde ea quæ Appius,
c Cicer. 1. Tuſculana. ψυχομαντεία faciebat, inde Auerni lacus[c].

Vnde animæ excitantur, obſcura vmbra, aperto oſtio
Alti Acherontis, falſo ſanguine imagines mortuorum.

d li. 19. ad- Turnebus[d] emendat *falſo ſanguine*, ſed falsò. Nam falſus ſanguis pro impio & nefario dictus, quo ſenſu Virgilio eſt falſa proditio, falſus igitur ſanguis dicitur quod homines immolarentur, atque vt dicebat Cato ſuccidiæ σφαγίδες humanæ fierent. Non ani-
e li. 13. ca. 23 maduertit Agellius[e] quid eſſet ſuccidias humanas facere, cum verba Catonis alia refert, quæ omnia eandem rem ſignificare putat. Nam ſuccidias humanas facere, funera facere, aut capita libera interficere longè diuerſa ſunt.

Euocationes fiebant ad ſepulchra[a]: aduocabatur luna, triuiáque manium potens, Mercurius Carminum vector, Ilexque animi Venus[b], omnéſque veris ſuis nominibus ciebantur[c]. Quod certo & tempeſtiuo tempore fiebat, *quinta decima luna & ſilente tota die*[d]: Quod eſt plena luna vel interluuio. Horatius[e].

Simul ac noua luna decorum,
Protulit os, tunc oſſa legunt herbáſque nocentes.

Nam ſilens luna dicitur, cùm venit ad intermenſtruum, eſtque extrema & prima[f], quem diem Græci appellant ἕνη καὶ νέα πεμπάδος. Nos coïtum lunæ vel interlunium quo verè eſt ſilens luna. Hoc Seruium[g] fugit cum Virgilij verſum interpretatur.

Tacitæ per amica ſilentia lunæ,

Qui tacitam lunam pro ſerena accipit. Nam ſilentia lunę ſerenitatem omnem tollunt, cum nullum ipſius lunæ effulgeat lumen in ipſius coïtu. Tacitæ igitur per amica ſilentia lunæ ſunt obſcuriores tenebræ, quales ſunt nocte, deficiente luna, cuius tempus Sacrificiis nefariis oportunum, quæ fiebant περὶ μέσας νυκτὸς[h]. Ex his, Horatij locum non ſatis ab interpretibus intellectum facilè eſt interpretari.

Nox & Diana quæ ſilentium regis,
Arcana dum ſiunt ſacra[i].

Quod fruſtrà ex ritu illo Sacrorum dictum putat Turnebus[k] qui dum regere ſilentium in nocturnis ſacris, idem eſſe credit ac fauere linguis in ſuperis, canit verè errantem lunam, longè aliter quam ille Virgilij Ioppas. Non fauebat linguis populus, qui nul-

a Horat. epod. od. 5. & 17. Tibul. lib. 1. eleg. 2.
b Apuleius Apolog 1.
c Lactant. li. 2. de orig. error. ca. 17
d Plin. li. 27. ca. 10.
e li 1. ſatyr. 8
f Varro li. 1. de re ruſt. ca. 37. & li. 5 de ling. lat.
g lib. 2. Æneid.
h Lucian. in Necyomāt.
i Epod. 5.
k li. 14. aduerſ. cap. 9.

lus in his Sacris, quæ à maga sola, nullo adhibito ministro peragebantur. Diana silentium regit, hoc est, luna in coïtu est, Arcana dum fiunt Sacra, nocte & luna silente.

DE DEFIXIONIBVS ET excantationibus.

CAP. X.

DEFIXIONES aliud Sacrorum veneficorũ genus, hominum exitium portendebant. De his Tertullianus[a]. *Homicidium ferro, veneno, magicis defixionibus perficitur.* Recepta lectio habet *deuinxionibus*. Deuinctiones quæ excantationis sunt species, homicidium nullum committebant. Defictiones licet sint νεκυομαντίαι, καταδέσμους[b] incantatiò, promiscua verba vix & à bonis authoribus cõfunduntur. Dixit Plinius[c], *diris precationibus & sceleratis precibus defigi.* Tacitus[d], *Diros Sacrorum ritus confingere.* Nescio *an Diro Sacrorum ritu configere.* Moneo tantùm. Hos defictionis ritus expressit ille[e], vbi de scelere Pisonis & Plancinæ in Germanicum. *Reperiebantur*, inquit, *solo ac parietibus erutæ humanorum corporum reliquiæ, Carmina & deuotiones & nomen Germanici plumbeis literis insculptum, semiusti cineres, aliáque maleficia queis creditur animas numinibus infernis sacrari.* De his omnibus Sacris & excantationibus Paulus Iurisconsul.

a De spectacul. cap. 2.

b Gloss. vet.

c li. 28. ca. 2.

d li. 16. Annal.

e Tacit. 2. Annal.

Iuriſconſultus[a]. *Qui Sacra impia nocturnáue vt quem obcantarent, interficerent, obligarent, fecerint, faciendáue curauerint: aut cruci ſuffiguntur, aut beſtiis obiiciuntur.* Tres hic excantationis effectus Paulus notat, obcantare, interficere, obligare. Obcantatio tam ad fruges quam ad homines pertinet. Lex duodecim tabularum[b], *néue alienam ſegetem pellexeris.* Duo eiuſdem legis fragmenta Plinius profert[c], *Qui fruges excantaſſit*, & alibi, *qui malum carmen incantaſſit.* Hominis obcantatio excantatio vel incantatio animum ſubuertit. Plautus noſter[d].

[a] li. 5. ſententiar. tit. 23.

[b] Seruius eclog. 8.

[c] li. 28. ca. 2.

[d] In Amphitruon.

Præſtigiator fortè aut veneficus,
Hanc excantat tibi familiam.

Deſictio vergit ad interitum: Deuinctio ad obligationem vel nexum qui κατάδεσμος, quæ pudicos animos ad libidinem deflecteret. Tale eſt Virgilij carmen[e].

[e] Eclog. 8.

Necte tribus nodis ternos Amarylli colores,
Necte Amarylli modo, & Veneris, dic, vincula necto.

In quo carmine ternarius numerus difficultatem mihi adfert. Cum enim ille ſit Deorum Superûm, in inferis & meleficis Sacris hîc vſurpatur, ob triplicem fortaſſe Dianæ poteſtatem. Nam tria virginis ora Dianæ, quæ huius Sacri præſes erat.

Nec tamen incantatores ſeu præſtigiatores omnes capite puniebantur. Ii enim quos impoſtores vocabant, qui imprecabantur aut exorciſabant, vt hominis valetudini conſulerent, pœnæ nō erant obnoxij[f]: Inter medicos ſolùm illi non admittebantur. Nam qui remedia humanis corporibus quærebant, aut in

[f] l. 1. §. medicos. D. de var. & extraord. cog.

agrestibus locis innocenter adhibebant suffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut venti grandinísue lapidatione quaterentur, nullis criminationibus implicabantur, quia nullius salus aut existimatio læderetur. Sic verè magica altior sanctiorq; medicina dicebatur[a], quæ in magna parte gentium prævalet & vbique ferme imperat. Proh nefas! qui ad rabiem huius scientiæ se conferunt, hodie Philosophi vocantur, insanientis sapientiæ consultores, qui impunè ibi morantur, vnde vltrò profugere in vltimas terras debuissent. Publica iam literatura est[b], quæ priuata publicáque omnia tandem diruet, infamabit, extinguet, & veram lucem in vetustum Chaos merget.

[a] Plin. li. 30. cap. 1.

[b] Tertulliã. de anim. ca. 57.

DE PRIVATIS SORTIBVS.

CAP. XI.

SORTES priuatæ quædam permissæ fuerũt, quædam vetitæ. Permissæ quæ ad priuatorum vtilitatem pertinebant, quibus inquirebant aliquid, vel expediebant. In his potentes fuerunt vates ignium, cribrorum, circulorum, verè præstigiatores, qui verbis innitebantur sine Sacrificio. In vulgus effluxit, Sors & Situla[c], quam eò comouebo quod illam Plautus noster sortitus sit. Per Situlam Deorum voluntas exquirebatur, vt in nuptiis Casinæ. Nam licet serui nulla sacra haberent, illorum

[c] Plautus in Casin.

tamen contubernia, quandam retinuerunt sanctitatem. Situla aqua plena adferebatur ad ὑδρομαντίας speciem: De his enim hoc capite sortibus loquimur, quas græci κλήρους ἐπὶ μαντείας μισθοὺς vocant. Atque hæ quidem sortes ex duriore aliqua materia fiebant, quæ facilè mergeretur. Quare fallitur Lambinus qui ligneas sibi finxit, illum enim apertè Plautus arguit cui ligneæ sortes suspectæ.

OL. *Sed manedum. Num ista aut populnea sors aut abiegna est tua?*

CH. *Quid tu id curas?* OL. *Quia enim metuo aqua ne in summa natet.*

Terreas fuisse eas indicio est Chalini precatio.

CH. *Deos quæso vt tua sors ex sitella effugerit.*

OL. *Sed vtinam tua quidem sicut Herculeis prædicant Quondam prognatis, ista in sortiendo sors delicuerit.*

Nota est historia Cresphontis & Aristodemi[a], qui cum de Messenia contenderent totámque rem sorti commisissent: vna è coctili laterculo facta est, altera è siccata sole argilla, quæ Aristodemi fuit: Hæc in Situlam conjecta citò delicuit, Quæ prior sors foras exiisset, vincebat illa. [a] Pausanias in Messeniacis lib. 4.

At sortes prohibitæ sunt quibus de salute principis vel illius successore quæreretur, diro ritu. Huius rei exemplum præbet Patritij & Hilarij atrox factũ, ex ipsius Hilarij oratione ad iudices suos[b]. *Construximus*, inquit, *magnifici iudices, ad Cortinæ similitudinem Delphicæ diris auspiciis, de laureis virgulis, infaustam hanc mensulam quam videtis: & imprecationibus carminum se-* [b] Amian. Marcel. lib. 29.

cretorum, Choragiisque multis ac diuturnis ritualiter consecratam mouimus tandem. Mouendi autem quoties super rebus arcanis consulebatur erat institutio talis. Conlocabatur in medio domus emaculatæ odoribus Arabicis, vndique lance rotunda purè superimposita, ex diuersis metallicis materiis fabrefacta, cuius in ambitu rotunditatis extremo; elementorum vigintiquatuor scriptiles formæ incisæ, peritè diiungebantur spatiis examinatæ dimensis. Has linteis quidam indumentis amictus, calceatúsque itidem linteis soccis, torulo capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, litato cõceptis carminibus nomine, præscitionum authore Ceremoniali scientia superfistit cortinulas, pensilem anulum librans, artum ex Carpathio filo perquamleui, mysticis disciplinis initiatum: Qui per interualla distincta retinentibus singulis literis incidens saltuatim, heroos versus efficit, interrogationibus consonos, ad numeros & modos plenè concluſos, quales leguntur Pythici vel ex oraculis editi Brancidarum[a]*. Ibi tum quærentibus nobis, qui præsenti succedet imperio, quoniam omni parte expolitus fore memorabatur, adsiliens anulus duas perstrinxerat syllabas: & cum adiectione literæ postrema exclamauit, præsentium quidam, Theodorum præscribente fatali necessitate portendi. Nec vltra supra negotio est exploratum. Satis enim apud nos constabat hunc esse qui poscebatur.* Hæc fortè extra sortem libris nostris mandaui, vt ostenderem totam istam rem inuentam fallaciis, aut ad quæstum, aut ad Superstitionem, aut ad errorem.

[a] Plin. li. 5. ca. 29.

DE SORTIBVS PVBLICIS & impetrito.

CAP. XII.

QVID *vero est isthæc Sors?* ait Tullius[a], *idem pro-pemodum quod micare, quod talos iacere, quod tesseras, quibus in rebus temeritas & casus, non ratio & consilium valet.* Sors tamen ipsa pro Deo fuit[b], qua etiam plana de illo coniectatio esset. Atque harum Sortium aliæ ducuntur, aliæ vaticinatione funduntur. Hæ verius oracula dicebantur: illæ Sortes, quæ nobiliores fuerunt Præneſtinæ. Namque aliis in locis Fortunæ quidem fuerunt sed non illius, vt ita dicam, Primigeniæ, qua omnes Fortunæ monitu tolli dicebantur, id est, Fortunæ quodam iussu ex arca trahebantur, in qua tesseræ insculptis priscarum literarum notis, verba quædam continebant, quæ felicitatem denuntiarent aut calamitatem. Vt MAVORS. TELVM. SVVM. CONCVTIT[c].

[a] lib. 2. de diuinat.

[b] Plin li. 2. cap. 7.

[c] Liuius li. 22.

Prodigij loco habitum si Sortes essent extenuatæ, vel sua sponte, vel casu. Narrat Liuius[d] Phaleriis Sortes sua sponte extenuatas, vnámque excidisse. Casu, si illæ fortuito disturbatæ essent, vt cùm Simia sortes dissipauit Lacedæmoniorum, dum Iouem Dodoneum illorum legati de victoria sciscitarentur[e]. Non tulit Lipsius[f] extenuatas Sortes, aut attenuatas, & imperitiam arguit librariorum, audétque reſcribere

[d] li. 21. & 22.

[e] Cicer. 1. de diuinat.

[f] lib. 2. elector. cap. 12.

Extæniatas Sortes, quod interpretatur tæniis vittísque ſolutas & liberatas. Iuſti Lipſij humanitatem & eruditionem ſummã maximi facio faciámque ſemper: Sed hoc maximum in illo vitium eſt, quod diſſimulare non poſſum: Doctos viros temerè exagitat, aut veteres libros ſuis cõiecturis multùm extenuat, dum quod ignorat, aut ſcire ſe credit aut ſcire videri deſiderat. Quid iſthuc verbi eſt *Extæniatas Sortes*? Attenuare & extenuare vulgata ſunt & recepta: Extæniare vix apud authorem vllum inuenire eſt. Locus Suetonij [a] quo Lipſius ſe tuetur, debuerat illum in lectione Liuij retinere, quo Præneſtinas Sortes obſignatas deuectáſque Romam, non reperiiſſe in arca Tiberium tradit. An illæ non repertæ extaniatæ ſunt, an extenuatæ? Extenuare eſt euaneſcere, vt quidem illæ ſortes euanuerunt, quo modo & Lipſij vana emendatio euaneſcit in fumos. Extenuatæ igitur ſortes ſunt, quæ vt Plautus noſter loquitur, totæ ex arca effugerunt & delicuerunt. Attenuatæ quæ ſunt comminutæ vel exhauſtæ ἐκπεζυχωμένας. Pueri manu miſcebantur Sortes atque ducebantur poſteáque à ſortientibus tollebantur. Lapis vetus.

[a] In Tiber. cap. 63.

131.6.

SACRO
SVSCEPTO
SORTIBVS. SVBLATIS
C. GALLIO
ATTICVS
MEDIOLANIENS

Alius Præneste.

FORTVNÆ
IOVIS. PVERI
PRIMIGENIÆ
D. D
EX. SORTE. COMPOS
FACTVS
NOTHVS. RVFICANÆ
L. F. PLOTILLÆ

76. 7.

Fortunæ huius imaginem habemus in nummis.

Prænestinæ sortes nomen retinuerunt[a], atque id in vulgus: Cæteris vero in locis stante Rep. aliæ planè refricuerunt.

[a] Cicer. 2. de diuinat.

Impetrito voluntas Deorum accipiebatur, ab Auguribus cum ex auium volatu Deos consulerent, peractóque sacrificio propitios illos comperissent. Impetrire enim Augurale verbum[b] idem fuit, quod Pontificibus litare in Sacrificiis. Quod iam notius est quam vt notari debeat. Nam vt postea extis, sic olim auibus magnæ res impetriri solebant[c].

[b] Festus in verb. impetritum.

[c] Cicer. 1. de diuinat.

DE VOTIS. VER SACRVM.

Annua nuncupatio Votorum. Votorum Dies.

CAP. XIII.

ALIA causa fuit cur rebus diuinis opera daretur: Nam vt voluntas Deorum extis & sortibus impetrito inquirebatur, sic voto illa exposcebatur. Tum verò præcipue votorum locus erat, cum spei nullus esset[a]: Inopsque Senatus auxilij humani ad Deos populum & vota conuertebat. Votum autem præeunte Pontifice maximo Consul nuncupabat, quale fuit illud quod susceptum est, cum populus Romanus bellum cùm Anthioco Rege iussisset[b]. *Si duellum quod cùm Antiocho Rege sumi populus iussit, id ex sententia Senatus populique Romani confectum: Tum tibi Iupiter Populus Romanus ludos magnos dies* X. *Continuos faciet: donáque ad omnia Tuluinaria dabuntur, de pecunia quantam Senatus decreuerit, quisquis magistratus eos ludos quanto vbique faxit, hi ludi rectè facti, donáque data rectè sunto.* Nec enim nisi votis in Capitolio nuncupatis Consules ad bellum proficiscebantur[c]. Quod M. Tullius[d] Antonio exprobrabat, qui neque Sacrificiis sollemnibus factis, neque votis nuncupatis profectus esset. Illa vt plurimum in ipso pugnæ discrimine fiebant. Plautus noster[e].

[a] Plin. li. 8. cap. 16.

[b] Liuius li. 36.

[c] Liuius lib. 4.

[d] Philip. 5.

[e] In Amphitruon.

Imperator

Imperator vtrimque hinc & illinc Ioui
Vota ſuſcipere.

Huiuſmodi fuit Votum Appij Conſulis[a]. *Bellona ſi hodie nobis victoriam duis, aſt ego tibi Templum voueo.* Illa quidem inconſulto Senatu ſuſcepta, niſi poſtea comprobarentur, vel de manubiis, vel de ſua pecunia ſoluebat Conſul. Prætor aliquando vota ſuſcipere iuſſus, ſi in decem annos Reſp. eodem ſtetiſſet ſtatu[b]. Primus Pompeius labente Repub. publicis votis honoratus eſt, cùm graui morbo laboraret, quod nulli antea factum[c].

[a] Liuius li. 36.

[b] Liuius lib. 21.

[c] Dio li. 45.

Ver Sacrum in ſummis Reipub. periculis, de Senatus ſententia populíque iuſſu vouebatur[d], vt quodcúmque pecus vere proximo naſceretur inter Kalendas Martias & Kalend. Maias, ſe Diis immolaturos promitterent. Huius voti verba ſollemnia habet Liuius[e]. Hoc Siſenna *Religioſum votum* dixit[f]. Vota tandem omnia ad Imperatorum adulationem conuerſa ſunt & tranſlata, & fœdè plerúmque profanata, cùm illíſque annus aperiebatur. Hæc erant incipientis anni ſollemnia[h], quorum prima in principiis, ſecunda in Capitoliis nuncupabantur. Hæc loca fuerunt, iſthæc votorum verba. *Hunc tibi Iupiter, boucm cornibus auro decoratis vouemus eſſe futurum.* Corrigit Lipſius[i], *vouemus eſſe facturum*: quod veteres inſcriptiones non admittunt.

[d] Liuius li. 33. & 34.

[e] lib. 22.

[f] Non. in verb. ver ſacrum.

[g] l. vnic. de oblat. votor. C. lib. 12

[h] Tertulliã. de coron. milit. ca. 12.

[i] Ad Tacit. lib. 16. Ann.

. . . . . .

119. . . . BA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM. . . . . .
. . . . TIBI. IN. EADEM. VERBA. NOMINE. FR. . . .
. . . VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM. . . . . .
. . . BOVE. AVRATO. VOVIMVS. ESSE. FVTV. . .
. . . ACXIS. TVNC. TIBI. IN. EADEM. VERBA. . . .
. . . AVRATA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM

Votorũ dies fuit III. Non. Ian. ex Caio Iuriſconſulto[a], quo die pro ſalute principis vota concipiantur. Kalendis ipſis in acta principis nirabatur[b], vota ſoluebantur, atque iterum nuncupabantur in illius domo. Quod vtrumque Fratrum Arualium veteres inſcriptiones probant. Nam Pontifices eorúmque exemplo cæteri Sacerdotes hæc vota ſuſcipiebant[c].

a l. 233. §. poſt Calendas. D. de verb. ſig.

b Tacit. li. 4 Annal.

c Dio lib. 58.

KAL. IANVAR

118. SVLPICIVS. CAMERINVS. MAGISTER. COLL. EGI FRATRVM. ARVALIVM. IMMOLAVIT. IN. CAPITOLIO. . . COS. NERONIS. CLAVDI. CAESARIS AVG. GERMANICI. IOVI. B. MAREM. IVNONI VACCAM. MINERVAE. VACCAM. GENIO. IPSIVS TAVRVM. IN. COLLEGIO. ADFVERVNT. SVLPITIVS. . . . . .

ISDEM. COS. III. NONAS. IANVAR
SVLPITIVS. CAMERINVS. MAGISTER. COLLEGI
FRATRVM. ARVALIVM. NOMINE. VOTA. NVNCV
PAVIT. PRO. SALVTE. NERONIS. CLAVDI. DIVI
CLAVDI · F · . . . . . .
. . . . . .
VICTIMIS. IMMOLATIS. IN. CAPITOLIO
QVAE. SVPERIORIS. ANNI. MAGISTRI. VOVER
ANT. PERSOLVIT. ET. IN. PROXIMVM. ANNVM
NVNCVPAVIT. PRÆVNTE. M. APONIO. SATVR
NINO. IOVI. MARES. DVO. IVNONI. VACCAS
II. MINERAAE. VACCAS. II. SALVTI. PVBLI
CAE. VACCAS. II. IN. TEMPLO. NOVO. DIVO. AV
GVSTO. B. MARES. II. IN. COLLEGIO. ADPV. SVL
PITIVS. . . . . .

ISDEM. COS. III. IDVS. IANVAR.
ADSTANTIBVS. SVLPITIO. CAMERINO. MAGISTRO
. . . . . .
IN. CAPITOLIO. OB. NATALEM. NERON
IS. IOVI. B. M. IVNONI. VACCAM. MINERVAE
VACCAM. FELICITATI. PVBLICAE. VACCAM. CON
CORDIAE. VACCAM. GENIO. IPSIVS. TAV
RVM. . . . . .

Aliud fragmentum.

. . . . . .

..... IN. CAPITOLIO. VOTORVM. NVNCVPANDO RVM. CAVSA. . . FRATRES. ARVALES. CONVE NERVNT. IN ... PRONAO. ÆDIS. CONCORDIÆ. FRA TRES. . . . CANDIDVS. PROMAG. MANIBVS. LAV . . . . . SACRIFICIVM. DEÆ. DIÆ. CVM. COLLEG ..... QVOD. BONVM. FAVSTVM. FELIX. FORTV

. . . . . .

Hæc fuere vota ſollemnia quibus, precabantur Imperatoribus vitam prolixam[a], imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, Orbem quietum. Illa & Kalendis Ianuarij & III. nonas ſuſcepta ſunt. Quare Kalendarum Ianuar. conſuetos dies, otio Imperatores manciparunt[b]. Duplex autem fuit votorum illorum nuncupatio. Prima in principiis, ſecunda in Capitolio[c], id eſt, prima in Caſtris, altera in vrbe. Hæc Pontifice præeunte: illa, curante Commilitonum pietate[d], quibus non alium quàm principem Diis oportuit commendari. Quare aduertit grauiter Tiberius, quod cũ pro ſua incolumitate Pontifices vota ſuſcepiſſent, Neronem quoque & Druſum ſuis precibus inſeruerunt[e], æquarique Adoleſcentes Senectæ ſuæ, impatienter indoluit: & in Senatu oratione monuit in poſterum, ne quis mobiles adoleſcentium animos præmaturis honoribus ad ſuperbiam extolleret. In votis præterea ſollemnibus offerebatur libra Auri

[a] Tertulliã. in Apologetic. ca. 30

[b] l. 7. C. de feriis.

[c] Tertull. de coron. milit. cap. 12.

[d] Plin. li. 10 epiſt.

[e] Tacit. li. 4 Annal.

Imperatori in solidis obryziacis [a], hoc est, aureis meris & purissimè coctis [b]. Quod strenarum locum occupauit, quæ Kalendis Ianuariis principi dabantur, primùm in Capitolio, postea in illius ædibus [c]. Edixit Caligula [d] strenas se recepturum ineunte anno, stetítque in vestibulo ædium Kalendis Ianuar. ad captandas stipes, quas plenis ante eum manibus, omnis generis turba fundebat. Qui mos in aurum obrusum vel ad obrusam conuersus est.

[a] l. vnic. de oblat. votor. C. li. 12.
[b] Cuiac. de veter. numismat. pot. C. li. 11.
[c] Dio li. 57.
[d] Sueton. in Caio. ca. 42

Alia fuerunt vota natalium Principis, alia vota decennalia, Vicennalia, Tricennalia, quæ in nummis; quorum rationem Dio exequitur [e]. Tandem ista in vota populus ita effusus est, vt illa quocumque tempore & quacunque de causa publicè & priuatim nuncuparet. Pro itu & reditu Imperatoris, pro Salute sua & gentis suæ, innumeráque alia, quæ in antiquis inscriptionibus signata sunt. Vna est Romæ.

[e] lib. 53.

TI. CLAVDIVS. TI. F. NERO
PONTIFEX. COS. ITERVM
IMP. ITERVM
LVDOS. VOTIVOS. PRO. REDITV
IMP. CÆSARIS. DIVI. F. AVGVSTI
PONTIFICIS. MAXIMI
IOVI. OPTIMO. MAXIMO. FECIT.
EX. S. C

II. I.

In omnibus etiam ad principem epistolis, scriptum semper ab eo qui mitteret *se vota facere*, ὃ νομιζόμενον

[a] Dio lib. 57 δίκας αὐτῶν ποιῆσαι[a], Tributúmque clementiæ Tiberij, quod Rhodiorum magistratus qui in scribendo id obmisissent, indemnes dimisisset.

De Priuatis amplissimus esset dicendi locus, vt de illorum assignatione, primitiis & exuuiis quibus non immoror, quia ab aliis repeti possunt, qui de hac re multa[b]. Aliam solum inscriptionem adfero, in qua.

[b] Senec. epist. 10. Persius satyr. 2. Horat. 1. epist. 16. Lucian. in philosopho. Lactantius 3. Thebaid. 24. 5.

IVNONI
IBVS. CA
BIABV S
MASIVS
VOTVM
RETVLIT

Scribendum IVNONIBVS ex inscriptionibus aliis, queis votum referre est votum reddere, soluere, vel, vt M. Tullius loquitur[c], tabellis pictis dissoluere. Inter vota non malè ea ponũtur, quæ ad Deorum iram secundam à Senatu edicebantur, vt cum lectisternia imperabantur, quorum originem & appparatum Liuius complexus est[d]. Cum Nouendiale sacrum à Pontifice vel Prætore ex Senatusconsulto decernebatur: Cum ob nimiam siccitatem pluuiæ poscerentur Manali Sacro, quod dictum est à Manali lapide, quem Pontifices trahebant extra portam Capenam iuxta ædem Martis[e], Nudipedalia Tertullianus appellat[f]. Cum etiam Cereri ieiunium institutum, quod quinto quoque anno seruaretur[g]. Quæ licet ad Sacra pertinere videantur, quia tamen in

[c] 3. de natur. deor.

[d] lib. 5.

[e] Seru. 3. Æneid. Festusin verb. Manalem.

[f] In Apologetic. ca. 40

[g] Liuius li. 36.

aduersis facta aut edicta, cùm votis coniungi rectè possunt.

DE OBSECRATIONIBVS ET precationibus. Precatio maxima. Precatio extrema.

CAP. XIIII.

DIVINIS rebus opera dabatur, quatuor præcipuè modis; tres à nobis sunt explicati, Vota, Sortes, & sollemnis ille ritus, qui Sacrificium propriè vocabatur. Precatio restat, qua quid Diis commendabatur, & quæ in omnibus Sacris vsurpabatur, qui sine precatione non fiebant. *Victimas tamen*, ait Plinius [a], *sine precatione cædi non videtur referri, nec Deos ritè consuli. Præterea alia sunt verba impetrantis, alia depulsoris, alia commentationis.* Pliniana lectio varia est in manuscriptis libris. Quidam habent, *Alia sunt verba impetritis, alia depulsoriis, alia commendationibus.* Sic legitur in manuscripto regio Mediceæ Bibliothecæ. Hermolaus Barbarus cuius & diligentiam & doctrinam summam veneror & miror, lectionem veterem adfert, in qua non *Commentationis aut commendationibus, sed incantationis* scriptum est. In hac lectionum varietate nil mihi tam suspectum est, quam quod ab omnibus approbatum, *victimas cædi sine precatione non videri referre.* Hoc enim falsum ex ipso Plinio probari potest, vt Sacrorum

[a] li. 23. ca. 2.

ratio etiamnum apertè docet. Quod enim Sacrificium ſine precatione factum vel fictum? Quare verbum iſtud, *referre*, omninò delendum eſt. Nam ex ſumma imperitia eſt vſque hoc, & cui Plinij mens maxime aduerſatur. Ille enim hoc capite vnum hoc quærit, an aliquid valeant verba & carminum incantamenta. Nulla quidem illa ſine precatione. Quare & carmina & verba varia fuiſſe docet ex illorum Sacrorum ratione, de quibus agit, quæ verbis perficiebantur. Vnde alia aliis verba fuiſſe docet Impetritis, Depulſoriis & Commentationibus. Quanto magis magíſque cogito nimirum dat mihi hic locus magnam cuiuſuis lectionis difficultatem. Nam ſi Apollo ipſe Pythicus conſuleretur, ambiguum vt ſolebat, reſponſum porrò daret. Diuinandum tamen nobis eſt, vt conſilia de diuinis locis firmiora eſſe poſſint. Inhæro menti Plinij qui de Sacris extraordinariis loquitur, in quibus alia ſunt verba impetritis, id eſt, in iis ſacris, quibus Deorum voluntatem extis vel ſortibus inquirebant. Quæ ſint alia Depulſoria non ſatis vulgata ſunt, Arcana enim Sacra hæc omnia fuerunt, Atque hæc ad Auerruncos Deos trahere poſſem, quos præfati, ſic preces concipere ſolebant[a]. *Te precor quæsóque vti ſies volens propitius mihi familiæque noſtræ, vti tu morbos viſos inuiſóſque, viduertatem vaſtitudinémque, calamitates intemperantiáſque prohibeßis, defendas auerruncéſque.* Dij iſti Auerrunci ſeu depellentes[b], ἀλεξίκακοι, δυσεξίκακοι, δύσιοι, φύξιοι, δαίμονες[c]. Depulſoria, vt puto, Sacra, vocat Plinius ea carmina, quibus in deuotionibus vtebantur, quale durat immeſo exemplo

[a] Cato de re ruſtic. cap. 140.

[b] Perſius ſatyr. 5.

[c] Iul. Pollux

exẽplo Deciorũ, patris filiíque. Quale fuit Tuciæ Vestalis inceſtę precatio[a], qua vſa aquâ tulit in cribro. Et illa quę cõcepta eſt, cũ in foro Boario Gręcus à Gręca, Gallus à Galla defoſſi ſunt, quorũ ſacrorũ precationẽ ſolebat præire Quindecimuirorũ Collegij magiſter. [a] Liuius lib. 22.

Vltima Sacra commendationibus aut commentationibus, vel incantationibus peragebantur. Hac in lectione ex tribus vnam ſortiri licet, & magis placet incantatio ex Veteri Hermolai libro, niſi ſi de publicis Sacris Plinius tractaret, in quibus verba magnam vim habuiſſe crediderunt: Quod demonſtrant ea quæ ſecuntur. *Vidimus*, inquit, *certis precationibus obſecrare ſummos magiſtratus.* Hæc igitur Sacra ad obſecrationem pertinent aut commendationem ſcilicet aut commentationem. Commentum antiqui dicebant pro communitum[b]. Hinc commentaculum virga, qua Flamines Sacra facturi præmuniebantur. Commendare tamen Sacrorum verbum, quod eſt, Deorum Numini rebus in aduerſis fortunam Reip. committere, qui ipſam adiuuarent ἀπιλημβάνονται, commendatio ἀπίλημψις, quæ obſecratione perficiebatur. Obſecratio autem dolentia eſt[c]: Oramus enim placidos Deos, Obſecramus iratos. [b] Nonius. [c] Donat. in Enuch.

Si falſa illa Sacra ex veris adiuuare licet, inſignis eſt locus D. Pauli[d]. Παρακαλῶ οὖν πρῶτον πάντων, ποιεῖσθαι, δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων. Notant Græci[e] Δέησιν eſſe obſecrationem ſiue deprecationem, quę offertur pro liberatione à triſtibus & duris. Προσευχὴ petitionem bonorũ, ἔντευξιν poſtulationem ſiue interpellationem aut ac- [d] 1. Timoth. 2. [e] Theophylact. in hũc loc.

cusationem impiè agentium: χαριστίαν Gratiarum actionem. D. Augustinus hunc locum interpretatus est, & δεήσεις vertit deprecationes, precationibúsque vsos ait in optandis bonis, deprecationibus in deuitandis. Quæ omnia sigillatim sunt nobis exponenda.

Obsecratio certis precationibus à summis magi-
[a] Plin. d. li. 23. stratibus fiebat[a], & ne quid verborum præteriretur aut præposterum diceretur, scripto præibat aliquis rursúsque alius. Custos dabatur qui attenderet, alius verò præponebatur qui fauere linguis iuberet, Tibicen caneret, ne quid aliud exaudiretur. Et quoties deprecatio errauisset extis adimebantur capita vel corda, tanta fuit verborum vis vel incantatio. Edixit
[b] Sueton. in Claudio. ca. 22. Claudius Imperator[b] in vrbe, dira aui aut in Capitolio visa, vt obsecratio haberetur, eamque vt ipse iure Pontificis maximi commonito pro Rostris populo præiret. Quod etiam fieri solebat cum agri no-
[c] Cicer. de Arusp. resp. uo quodam motu contremiscerent[c], tum enim procurationes & obsecrationes constituebantur, & ob-
[d] Liuius li. 4 secratio à populo Duumuiris præeuntibus facta[d]. Idem in rebus aduersis factum aut in pauore publico, vt cum Romani duces se in Falisco rum insidias
[e] Liuius li. 5 & 31. præcipitarunt[e]: Obsecrationes in templis factæ sunt, petitúmque precibus ab Diis vt exitium ab vrbis tectis templísque ac Romanis mœnibus arcerent. Ob-
[f] Liuius lib. 27. secratio verò in vnum diem aut plures indicebatur[f]. In illa hoc verbo vti solebant *ob vos sacro* pro *vos obse-*
[g] Festus in verb. ob vos sacro. *cro*, vt *sub vos placo*, in quibusdam precationibus pro *supplico*[g]. Quod quidem verbum religionem habebat

qua obligabantur ij quos obsecrabant ad id præstandum, quod petebatur. Quare, qui populum obsecrauerat, vt Comitiis periculo aliquo liberaretur, iubebat Magistratus eum resecrare[a], id est, soluere religione, vt liberum de illo esset iudicium. Ex Plauto nostro hoc Festus probat.

[a] Festus in verb. resecrare.

[b] In Aulularia.

Resecróque mater quod dudum obsecraueram.

Precationes sunt περευχαὶ[c], quas à precibus distinguere omninò difficile est. Precationes tamen coniicio dictas, eas quæ in libris Sacerdotum habebantur, In quibus leguntur[d]. Lacia Saturni, Salacia Neptuni, Hora Quirini, aliáque Sabina verba obsoleta. Verba precationum sollemnia erant, *Precor venerórque vt volens propitiúsque sies Populo Romano Quiritibúsque.* Nam in omnibus precationibus, vt in omnibus sacrificiis publicis populi Rom. mentio fiebat[e]. Atque vt varia Sacrorum genera pro numinum diuersitate fuerunt, sic variæ precationum formulæ, vt in Sacris Tiburtibus sic Iunonem precabantur[f]. *Iuno Cúrulis tuo curru clipeóque tuere meos vernulas sane.* Cum verò plures Deos quam in cæteris partibus Augurium precabantur, euentúsque rei bonæ poscebatur: *Vt Dij melius iuuarent meliúsque fortunarent*, quod in precationibus, *Precatio maxima* vocabatur[g]. At Extrema Precatio & sacrificatio in Vesta Dea erat, quæ rerum credebatur custos intimarum[h]. Nam cum in omnibus rebus vim habere maximam putarent prima & extrema, vt principem in sacrificando Ianum esse voluerunt, ita omnis precatio in Vesta desinebat. Quod Plautus opportunè seruauit[i],

[c] D. Augustin. ad Faustin.

[d] Agel li. 13 cap. 12.

[e] Tacit. 4. histori. Seruius 1. Æneid. Festus in verb. dici.

[f] Seru. in sched.

[g] Seru. 12. Æneid.

[h] Cicer. li. 2 de natur. deor.

[i] In milit.

Nam cum miles ſeruo libertatem promitteret, argutè ille,

Deos ſperabo, teque poſtremò tamen.

Quod idem in imprecatione notauit. Nam cum iurgij quid eſſet inter ſenes duos vnus in hæc verba deſijt.

[a] In Caſin. *Quin hercle Di te perdant poſtremò quidem*[a].

Sic multa verba ſunt apud authores bonos, quæ aliam vim habent & elegantiam, quàm nos cenſemus.

Fuit & alius precationis modus pro rerum vel temporum opportunitate, qualis eſt precatio Scipionis in Africam traijcientis[b]. *Dij Deæque qui maria terráſque colitis, vos precor quæſóque, quæ in meo imperio geſta ſunt, geruntur, poſtque gerentur, ea mihi populo plebíque Rom. ſociis nominíque latino, qui populi Rom. quíque meam ſectam imperium auſpiciúmque terra mari amnibúſque ſequuntur bene verruncent.* At cum precatio à Senatu præſcribebatur, monitore opus erat, quem in Chriſtianorum precibus Tertullianus non admittit[c]. Huius vnam formulam afferemus, ex qua alias concipere poſſumus. Cum Philippo Regi bellum indictum eſt, decreuit Senatus vti Conſules maioribus hoſtiis rem diuinam facerẽt, quibus Diis ipſis videretur, cùm precatione ea[d], *Quam rem Senatus populúſque Rom. de Repub. déque ineundo nouo bello in animo haberet: ea res vti populo Rom. ſociíſque ac nomini latino bene ac feliciter eueniret.* Preces quæ priuatorum fuerunt, apud omnes authores paſſim occurrunt, nec longiorem laborem merentur.

[b] Liuius li. 29.

[c] In Apologetic. ca. 30.

[d] Liuius li. 31.

DE POSTVLATIONIBVS PO-stulionibus & Deuotionibus.

CAP. XV.

POSTVLATIONEM precationi adiũgemus, quã ἔντευξιν, alij interpellationem dixerũt, minus rectè: aliud enim est interpellare aliud postulare[a]. Ἔντευξις ἀπαίτησις τῶν πεπλημμεληκότων δέησις δὲ δίκησιν[b]. Expostulatio querela est aduersus eum quem incusamus[c], & apud illũ ipsum qui peccauit: postulatio de altero apud alterum dicitur, estque iusta interpositio querelarum. Sic apud veteres Deorum postulationes fuerunt, quæ antiquo & Sacrorum verbo POSTVLIONES dicebantur. Cuius verbi vim cum Adrianus Turnebus[d] non aduerteret satis, lectionem Varronis deprauauit. Varro[e] Deos manes postulionem postulare dixit, mutat Turnebus, & Postileonem reponit, quod postis appelletur terræ hiatus, qui censebatur Orci Ianua. Cuius emendationem Scaliger meritò respuit. Nec enim postis Manium pro Orci ostio legitur, quod manale dicebatur. Et postulionis antiquum verbum agnoscit Arnobius[f]. *In ceremoniis*, inquit, *vestris, rebúsque diuinis Postulionibus locus est.* Diis inferis Postulio, Superis postulatio fiebat. M. Tullius[g] Augurali hoc verbo vsus est. Cum enim exauditus esset in agro propinquo & suburbano strepitus quidam recõditus & horribilis fremitus

a D. Augustin. ad Paulin.
b Hesych.
c Donatus in Andr. & hecyr.
d li. 20. aduers. cap 22
e lib. 4. de ling. lat.
f lib. 4.
g de Aruspic. resp.

armorum: *Quis eſt*, inquit, *ex Gygantibus illis quos poëtæ ferunt bellum Diis immortalibus intuliſſe, tum impius, qui hoc tam nouo tantóque motu nō magnum aliquid Deos populo Romano præmonſtrare & præcinere fateatur? De ea re ita ſcriptum eſt* POSTVLATIONES *decretas eſſe Ioui, Saturno, Neptuno, Telluri, Diis cœleſtibus.* Et paulò poſt. *Eodem oſtento* POSTVLATIO *Telluri deberi dicitur.* Poſtulio inferorum fuit, cum hominem aliquem peterent, qui iis deuoueretur. De hac Iocus Plauti, apud quem cum ſeruus Tranio Theuropidi ſeni capitales ædes factas fingeret, quod in illis hoſpes necaſſet hoſpitem, ab illarúmque foribus abigeret ſenem, ne filium opprimeret cùm amica conuiuantem: Clamitabat ſeruus eum qui has ædes tetigiſſet, piaculum committere vel ſuo capite expiandum.

Sceleſtæ hæ ſunt ædes[a], inquit, *impia habitatio*
Quæ hîc monſtra fiunt anno vix poſſem eloqui.

[a] Plautus in Moſtellaria

Cúmque illum vocaret ſenex, Seruus ille nequam.

Non me appellabis, ſi ſapis
Nihil ego commerui, neque iſtas percuſſi fores.

THEVR. *Quæſo quid ægrè eſt? quæ res te agitat Tranio?*
TR. *An quæſo tu appellaueras?*
Ita me Di amabunt mortuum illum credidi
Expoſtulare, quia percuſſiſſes fores.

Sacra hæc Depulſoria dicebantur, quorum verba alia ab aliis Plinius dicebat, Propriè DEVOTIO dicebantur. Quæ quidem duplex fuit coacta, ſcilicet aut voluntaria. Coacta ex libris Fatalibus vel Aruſpicum reſponſis, vt cum ex Senatuſconſulto in foro Boario viui aliquando defoſſi ſunt[b]. Voluntaria Diis expo-

[b] Plin. li. 28 cap. 2.

ſtulantibus, hominum in Rempub. vel principem obſequio & charitate. Prima & antiquiſſima deuotio, Gallorum Senonum fuit aduentu, quo maiores natu ampliſſimis vſi honoribus in forum coïerunt, ibíque M. Fabio Pontifice Max. carmen præeunte deuouerunt ſe pro patria, Quiritibúſque Rom[a]. Frequens apud alias gentes exemplum. Maſſilienſes cũ peſtilentia laborarent, vnus ſe ex pauperibus offerebat alendus, anno integro publicis & purioribus cibis. Hic poſtea verbenis circumdatus, ſacríſque veſtibus, per totam ciuitatem cùm execrationibus circumducebatur, vt in ipſum recíderent mala, ſicque proiiciebatur, vt ex Petronio Seruius[b] refert. De deuotis apud Gallos qui Soldurij appellantur, otioſum eſſet aliquid addere, ad ea quæ Iulius Cæſar nobis ſcripta reliquit[c]. De Hiſpanis ſatis Plutarchus[d]. Deorum Poſtulione primus M. Curtius ſe deouit[e]. Cum enim ex Senatuſconſulto ad Aruſpices relatum eſſet, illíque ex terræ hiatu Deos Manes poſtulionem poſtulare reſpondiſſent, id eſt Ciuem fortiſſimum eò mitti, pro patria Curtius mortem oppetiit.

a Liuius li. 5 Plutarch. in Camillo.

b lib. 3. Æneid.

c li. 3. de bello Gallic.

d In Sertorio.

e Liuius li. 7.

f Varro li. 4 de ling. lat.

Deuotionis ritum alio modo apud Liuium, alio apud Sammonium Serenum habemus[g] libro quarto rerum reconditarum. *Cum qui deuouetur Tellurem dicit* (ait Serenus) *manibus terram tangit: Cum Iouem dicit, manus ad cœlum tollit. Cum votum recipere dicit, manibus pectus tangit.* At Liuius Curtium proponit nobis Capitolium intuentem, manus nunc in Cœlum nunc in patentes terræ hiatus ad Deos Manes porrigentem.

g Macrob. li. 3. ſaturn. cap. 9.

Pontifex precationem præibat, cuius formulam Liuius refert[a]. Illúdque adiicit *licere Cõsuli Dictatoríque & Prætori cum legiones hostium deuoueant non vtique se, sed quem velit ex legione Rom. scriptũ ciuem deuouere. Si is homo qui deuotus est moritur, probè factum videri: Ni moritur, tum signum septem pedes altum, aut maius in terram defodi, & piaculum hostia cædi: vbi illud signum defossum erit, eò magistratum Rom. descendere fas non esse. Sin autem sese deuouere velit, sicut Decius deuouit, ni moritur, neque suum neque publicum diuinum purè faciet, qui sese deuouerit. Vulcano arma sive cui alij Deo deuouere vellet, ius esto.* Signum septem pedes altum rectè opinatur Sigonius imaginem eius hominis esse, qui deuotus non occubuit, morte eius defossione imaginis, simulata.

[a] lib. 8.

Eorum qui se pro principe deuouerunt exempla multa. Sexti Pacunij meminit Dio[b] qui Hispanorum more Augusto Cæsari se deuouit, ὃν γὰρ πρὸ σωτηρίας ἑαυτόν τε οἱ τὸν τῶν Ἰβήρων ἔθνον κατῳσώσατο. Interpres vertit consecrauit, malo deuouit, quod proprium & peculiare verbum huic rei. Deuotio κατῳσιώσις, Deuotus κατῳσιωμένος. Pacuuium æmulati quidam sibi malè consuluerunt. Nam votum exegit Caligula ab eo, qui pro salute sua se deuouerat[c], cunctantémque pueris tradidit, verbenatum infulatúmque quo votum reposcẽtes Massilienſium more per vicos agerent, quoad ex aggere præcipitaretur. Quod posteros non terruit ab huiusmodi voto, cui se integræ étiam Legiones aliquando obstrinxerunt, vt ex antiquis inscriptionibus patet.

[b] lib. 53.

[c] Suetoo. in Caligul ca. 27. Dio lib. 59.

FORTV

FORTVNAE
AVG 71.
OMNIPOTENT
VBI. ERAS
RHANNV
SIA
VBI. ERAS
QVANTVM. ABFVIT
NE. ROMA. LVGERET
SED. VIVIT. TRAIANVS
VE. TIBI. DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET. XIII. G
DEVOTIS. CAPITIBVS

Inde manauit vt qui Imperatori omne obſequium pollicerentur, illi ſe deuotos eſſe dicerent τοῦ τρέπομενοι τὸν κρατοῦντα, λέγειν εἰώθασιν, ὅτι σοι καθωσιώμεθα[a]. Verba interpretis non ſequor, qui τοῦ τρέπειν verbis adhortari & καθωσιοῦν Sacrum eſſe reddidit, multum enim differt ſacer homo à deuoto. Deuoti quoque dicti ſunt qui ſe numini perpetuo colendo dedicarunt. Inſcriptio Romæ. [a] Dio li. 53.

DECRETVM
. . . . . 228.
ITEM. DEDICATIONE. STATVARVM. CÆSARVM. ET AVGVSTARVM. MVLSVM. ET. CRVSTVLA. PECVNIA NOSTRA. DEVOTIS. OMNIBVS. ET. POPVLO. DEDIMVS

In absurdam adulationem homines deinde progressi publicis monumentis testati sunt se deuotos numini maiestatíque Augustarum. Alia inscriptio.

272.5. FVRIÆ. SABINÆ. TRANQVILINÆ. SANTISS. AVGVSTÆ. CONIVGI. D.N. M.ANTONI. GORDIANI..... DECVRIALES. AEDILIVM. PLEBIS CERIALIVM. DEVOTI. NVMINI MAIESTATIQVE. EORVM.

DE GRATVLATIONE, PRIMITIIS, Vitulatione, Supplicatione.

CAP. XVI.

GRATVLATIO quæ ἐυαγγελισία, gratiarum est actio, qua Deos venerabantur, vel ob voti solutionem, vel publicam lætitiam, aut bellum prosperè gestum. Ob votum cum redderetur, propriè Gratulatio: Ob liberalitatem Primitiæ. In sollēnibus ludis vitulationes: ob bellum prosperè gestum supplicationes fiebant. *In gratulationibus mentum Herculis*, inquit Tullius[a], *oscularí solent*. Odiosum hoc verbum Lipsio[b], qui vocem magis cōuenientem putat *Gratationes*, cum Diis agerent grates. Mirùm quo euadat Criticorum pruritus, qui nihil rectum putant, quod non satis intelligunt. Quis vnquam author latinè sciens Gratationis

[a] act. 9. In Verrem.

[b] lib. 2. Elector. cap. 6.

verbo vſus eſt? Quod Lipſius adiuuenit vt mentum Herculis cùm Ciceronis lectione non attereret ſolum, ſed dilaceraret. Gratulatio nulla reprehendi ſolet, quæ Diis immortalibus reddebatur, cùm votis annuiſſent, vel ſuæ beneuolentiæ ſignum oſtendiſſent. Si ſecundum vota aut preces res ſucceſſiſſet, Gratulatio ob impetrationem debebatur. Impetrare enim Pontificium verbum eſt, vt impetrire Augurum. Plautus noſter[a],

a In Epidic.

P. Deos quidem oro. EP. *impetra.*

Et paulò poſt.

Prò Di Immortales mihi hanc diem dediſtis luculentum
Vtque facilem atque impetrabilem.

Rectè M. Tullius preces à Gratulationibus ſeparauit vt ſpeciē à genere: Nam vt Gratulatio in votis exauditis, ſic in precibus, ſi eas Dij exaudiſſent Primitiæ ſoluebantur, & in futurum nouam Deorum benignitatem exoptabant, publica exultatione illam expetentes[b].

b Tibul. li. 1 eleg. 1.

Agna cadet vobis, quam circum ruſtica pubes
Clamet Io meſſes & bona vina date.

Non ſum audacior in caſtigandis libris, ne mihi vitio detur quod in aliis non probo. Licet tamen coniecturis niti, vt librariorum errorem ſubleuemus, vt in hoc verſu ſuſpicor ſcriptum fuiſſe *& noua vina date*, ſcriptum fortaſſe fuit interuerſa litera *& nona* ex quo librarius fecit *& bona*. Rationem coniecturæ meæ à Plinio accipio[c]. Ille. *Ad pomorum primitias hæc vetera eſſe dicebant, noua exoptantes.* Rem non no-

c li. 18. ca. 2.

nam aggredior, si cui vetus lectio placet, illam retineo.

Vitulatio in sollemnibus ludis & insperata priuatorum lætitia erumpebat: Quod Plautus [a] monet.

[a] In Persa.

Ioui opulento, inclito, Opegnato, supremo, valido, viro potenti
Opes, spes bonas, copias commodanti, lubens vitulórque merito.

[b] Macrob. Saturn. ca. 2. Vitulari Pontificium verbum est[b], quod græci dicunt παιανίζειν. Licet enim Pæan propriè sit Apollinis, laus[c] omnibus tamen Diis congruit: Quare Pindarus opus suum Pæana vocauit, quod & hominum continet laudes[d]. Addit Plautus, *lubens meritò*, verba in votorum solutione vsitata, quæ in antiquis Inscriptionibus sæpissime his literis notantur V. S. L. M. quod est, *votum soluit lubens meritò*.

[c] Eustath. Iliad. α.

[d] Seru. 10. Æneid.

At gratiarum actio aliis verbis exprimitur. Inscriptio vetus Romæ.

70.4. ÆSCVLAPIO. SANCTO
L. IVNIVS. AGATHOPVS. ET. TERENTIA. RVFINA. GRATIAS. AGENTES. NVMINI. TVO. D.D.

Quod si inexpectatum aliquod bonum contigisset, beneficij gratiam sacro posito agnoscebant. Lapis ad Danubium.

IOVI. INVENTORI
DITI. PATRI
TERRÆ. MA
TRI
DETECTIS. DAC
THESAVRIS
CÆSAR. NER
VA. TRAIANVS
AVG
SAC. P

21, 8.

Sed nos Inſcriptiones à vitulatione lubentes meritò auocarunt, in qua Hymni ad Deorum honorẽ canebantur ſpondaïcis verſibus cõpoſiti[a]: vt ſpondæum pedem Pontificium Numa dicitur appellaſſe[b]: Hi in ludis publicis aut ſupplicationibus quibuſdam perſonabant. Supplicationum enim duæ fuerunt cauſæ: vna ad euertendum malum quod immineret, quæ frequentior obſecrationi & votis coniungitur: Altera ob rem feliciter adminiſtratam. Atque in hac vitulari ſolebant, vt ſi parta eſſet victoria, præterquam in Ciuili bello; Nam ſupplicatio ne victoris quidem literis poſtulata. Decreuit tamen illam M. Tullius ad omnia puluinaria, eorum nomine qui Antonium ad Mutinam deuicerant[c].

[a] Diomedes Gram. lib. 3
[b] Marius Victorinus.
[c] Cic. Philip. 14.

Et quoniam de ſupplicatione dicendum nobis eſt, & quaſi à lætitia ad luctum tranſeundum, nihil officient gratulationi ea quæ in commodiorem locum cogere non potuimus. Supplicatio ergò quæ

in rebus aduersis edicebatur, etiam cùm lachrimis[a], has ferè habuit causas, aut ad placandos Deos scilicet, aut ad prodigia procuranda, & morbos auertendos. Ciuitas religiosa in principiis maximè nouorum bellorum illam decernebat: Vt cum latum est ad populum[b], *vellent, iuberent populo Carthaginiensi bellum indici*, eius belli causa supplicatio per vrbem habita, atque adorati Dij, vt benè ac fœliciter eueniret.

[a] Donat. in Andr.

[b] Liuius lib. 21.

Ob prodigiorum procurationem, Decreto Pontificum supplicatio indicebatur: cuius ritū Liuius descripsit[c]. Ad morbos expellēdos pro Collegio Decēuirorum imperabatur[d], si libros adiissent, aut per cōpita tota vrbe aut circa omnia puluinaria, aut per omnia fora conciliabulaq; in triduum vel biduum[e]. Atque in his purè & castè à matronis sacrificatum[f], quæ nonnunquam ipsemet supplicauere[g], id est, manibus amplexæ & coronatæ hymnos certis carminibus conceptos modulantes dixerunt. Ædium vitia sacrarum Vitruuius reprehendit[h], quod matres familiarum cum ad supplicationem gradibus ascenderent, non possent per intercolumnia amplexæ adire, nisi ordines feciſſent. Nobis vero, vt nostrum ordinem obtineamus, hoc loco demigrandum est, & ad alia veniendum.

[c] lib. 27.

[d] Liuius li. 38.

[e] Liuius lib. 40.

[f] Liuius lib. 27.

[g] Liuius li. 25.

[h] lib. 3. ca. 2.

DE ADORATIONE.

CAP. XVII.

B Carthaginiense bellum susceptum, supplicationem per vrbem indictam, atque adoratos Deos ex Liuio modò dicebamus. Supplicatio carmine perficiebatur: Adoratio cum præsentia numina precibus adloquerentur. Nam adorat, significat alloquitur, vel quasi ad os orat[a]. Adorationis formula ob ereptum turbine Æneam Turnus vtitur[b].

[a] Festus in verb. adora re. Apuleius lib. 3. & 8. met.

[b] Virg. 10. Æneid.

Vos ô potius misereſcite venti
In rupes in ſaxa volans, vos Turnus adoro,
Ferte ratem.

Adoratio tamen in Ceremoniis commendatur, quæ venerationem maximam habet, geſtúque aliquo deſignatur, vt oſculo, manus extentione, corporis inuerſione, genu inflexione. De illa Lipſius diligenter collegit multa[c], primúmque Ciceronis attulit locũ, quo Herculis ſimulachri rictus ac mentum paulò attritius aſſerit, quod in precibus & gratulationibus non ſolum id venerari, verum etiam oſculari ſoleret. Qui locus obſcurum alium Plauti noſtri dilucidè explicat[d], apud quem cum Tranio poſtulione deluderet ſenem, monet porro illum.

[c] li. 2. Elector. cap. 6.

[d] In moſtellaria.

Fugies,
Atque Herculem inuocabis. TH. *Hercules te inuoco.*

Quod facere consuerunt ij qui magnum aliquod periculum effugissent. Gratulando ergò Herculem senex obtundit, quod illum mortuus hospes non expostulasset.

Osculo adorabant Deos, dextram ad os admouendo[a], Manu vel expansa vel supina, dum ne digiti pectinatim inter sese essent implexi. Vel illa simulachrum tangebant, quod Genus adorationis Plautinus Leno vocat, *Adire manum Deorum*[b]. Corpus circumagebant ad dexteram[c], Adolescens Phædromus[d].

[a] Plin. li. 28 cap. 2. Apuleius Apolog. 1.

[b] In Pœnulo.

[c] Plin. d. lib. 28.

[d] Plautus in Curculion.

Quo me vortam nescio.

P. *Si Deos salutas dextrouorsum censeo.*

In genibus religio inest obseruatione gentium[e], Hæc supplices attingunt, ad hæc manus tendunt, hæc vt aras adorant. Vnde simulachrorum plantas & genua contingebant & contrectabant orantes[f], precésque & vota in cera infigebant, quod Iuuenalis dixit *Genua incerare Deorum*[g]. Vnde quidam putant apud Prudentium[h] malè legi, *genua incuruare Dianæ*, & reponunt *incerare*. Sed illi malè. Nam Prudentius ex ludeorum consuetudine loquitur, quos refellit, & incuruare genua ante Baal scripturæ verbum notissimum[i]. Quare Dianæ genua incuruare est genu flexo Dianam adorare vel precari: Vt in sacris certaminibus posito genu supplicare[k]. Omnis autem adoratio operto capite fiebat præterquam in Saturni sacris, Plautus[l].

[e] Plin. li. 11. cap. 45.

[f] Arnob. li. 6

[g] Satyr. 10.

[h] Aduers. Iudæos.

[i] 3. Regum.

[k] Quintil. lib. 9. cap. 4

[l] In Curcul.

Quis hic est qui operto capite Æsculapium,
Salutat?

Sic

Sic Vitellius miri in adulando ingenij C. Cæsarem adorare vt Deum instituit[a], cum reuersus ex Syria non aliter adire ausus esset, quàm capite velato, circumuerténsque se deinde procumbens. In summis periculis procumbere supplicum fuit, limina oscularí, caput allidere, ad aram repere, crinibus templa verrere, aliáque signa mœstitiæ exibere, quam Deus ab omnibus bonis auertat, vt in perduelles ætérnùm cadat.

[a] Sueton. in Vitel. cap. 2.

DE VICTIMIS. SVOVETAVRILIA maiora & minora. Lactentes hostiæ. Magnæ opimæ. Bos Sescenar. Porcus fœmina.

CAP. XVIII.

PONTIFICVM cura fuit, quibus hostiis immolandum esset, cuíque Deo: cui maioribus: cui, lactentibus[b]: cui, maribus; cui, fœminis; quibus diebus, ad quæ tẽpla, atque vnde in eos sumptus pecunia erogaretur. Nec enim omnibus Diis omnes hostiæ sed quibusdam quædam Sacrorum legibus feriuntur[c]. Ille Tauris Deus, hœdis ille aut ouibus: hic lactentibus porculis; ille, intonsis agnis: hic, virginibus bubulis: Capris ille cornutis: hic sterilibus vacculis: at ille, ingentibus Scrophis: hic albentibus, ille atris: Alter fœminini generis, alter verò

[b] Cic. 2. de legib. Liuius lib. 1.

[c] Arnob. li. 7

animantibus masculis honoratur. Nam Deabus fœminas, Diis mares victimas immolare, abstrusa & interior Sacrorum ratio fuit. Ioui taurum, Verrem, arietem immolare non licuit, vt vult Atteius Capito libro primo de iure Sacrificiorum[a]: Taurus enim nõ nisi Apollini, Neptuno, Marti immolatur[b]. Adijcit Labeo SI. QVIS. IOVI. TAVRO. FECERIT. PIACVLVM. DATO. Nam vbique Ioui legimus mactatum iuuencum quod cum parum animaduerteret Arnobius[c] piaculum commisit ex Labeonis sententia. Ille enim: *Quid applicitum*, inquit, *Iupiter habet ad Tauri sanguinem vt ei debeat immolari, non debeat, Mercurio?* Taurus enim victima Ioui non cędebatur sed iuuencus: Etsi taurus daretur Ioui aut caper, qui Patri libero: aut si bos sterilis Vnxiæ nuptiarum Deæ, quam Proserpinæ tribuebant, confundebantur Sacrorum iura[d]: Nec parui piaculi erat officia rituum procurationúmque miscere. Quia generis certi hostias, certis numinibus consecrare ius erat, certa vt supplicamenta præstari[e]. Quidam maioribus, lactentibus alij mactabantur. Dijs maioribus maiores victimę sacrabantur, minoribus minores, vt Marti Syluano, quem inter minores repono, Suouetaurilibus lactentibus satisfactum est[f], quæ minora dicebantur. SAVLITAVRALIA. MAIORA[g] habemus in fratrum Arnalium votis. Lex Numæ à Scaligero apud Festum[h] restituta. SECVNDA. SPOLIA. IN. MARTIS. ARAM. IN. CAMPO. SOLITAVRILIA. VTRA. VOLVERIT. CÆDITO. Maiora Solitaurilia θυσία ἐκ συὸς κριοῦ καὶ ταύρου[i], quæ essent hostiæ maiores. Maior enim hostia est, vt

a Macrob. lib. 3. satur. ca. 10.
b Seru. 3. Æneid.
c lib. 7.
d Martian. Capel. li. 2
e Arnob. li. 7.
f Cato de re rustic. cap. 141.
g Inscript. 121.
h In verb. Opima.
i Gloss. vet.

recte Turnebus putat[a], quę adoleuit, & perfectæ ætatis est ἱερσον πέλεθον. Lactentes, minores erant, quas cum M. Tullius maioribus oppoſuerit, non ſequor viri doctiſſimi opinionem, à qua ingratiis recedere ſoleo, vt maior victima dicatur de maioribus animalibus, hoc eſt de armentis, etiam ſi lactentes eſſent[b]. Nam vt maior hoſtia ætatis adultæ, ex bouili pecore eſt Taurus aut iuuencus: Ita ouis ex ouili opima & præcipua, & Sus ex porcino. Inſcriptio vetus. MAGNAS. OPIMAS. IMMOLARVNT[c], de his omnibus intelligitur. Non negauerim Varroni[d] magnas Opimas videri, boues altiles publicè ad ſacrificandum ſaginatos, ſed quæ de bobus affirmat, de cæteris non negat. Tertullianus[e] enim de omnibus, *Quibus*, ait, *hanc ſaginatiorem & auratiorem hoſtiam cædis?*

[a] li. 28. adverſ. cap. 20.

[b] Scaliger in Feſtum in verb. Maxima hoſtia.

[c] 124.

[d] Varro li. 2 de re ruſtic. cap. 1.

[e] lib. de Idolatr. ca. 6.

Offendo inter maiores haſce hoſtias bouem Seſcenarem, qui cum à Cn. Cornelio Conſule immolatus eſſet[f], illius iecur in olla defluxit, vbi exta coquebantur. Seſcenar bos iſte, cornu ferit, nec ipſe cauere poſſum, quin prehenſis cornibus traham. Vox Sacrorum eſt *Seſcenar*, quam ex Feſto interpretor[g]. Illi enim Scena ſeu ſacena genus eſt cultri, ſed vtrum ſecuris an dolabra ſit ambiguum dicit. Nam Cincius in libro qui ei eſt de verbis priſcis, dolabram, ait eſſe Pontificiam. Liuius in Lydio: Corruit quaſi ictus Scena. Sed Dolabra ſecuris fuit qua boues cæderentur, vt ex antiquis Sacrorum figuris conſtat: Hoſtiæ aliæ aut malleo aut cultro. Quod igitur Feſtus ſcribit Scenam dictam eſſe à Sacena fortè à Seſcena ſcriptum. Veteres enim in geminatis primam ſyllabam

[f] Liuius lib. 41.

[g] In verb. ſcena.

seruare solent ex vsu Grammaticorum, vnde coniicio Sescenarem bouem dictum Sescena à victimariis percussum. Qui auderet legere bouis Sagenaris non reprehenderem, vt esset opimi bouis & publicè sagi-
[a] lib.1.de re rustic.cap.1. nati. Nam Varro dixit Sagenantur pro saginantur[a]; & in Sacris vocabula in ar multa desinebant, vt lar,
[b] Sosipater. lib.1. puluinar, far, bustar vbi corpora cremabantur[b]. Superstitiosus sum, si vera prædico. Qui magnam opimam interpretationem attulerit, effugiet mea, aut vt iecur illud bouis omnino defluet. Nec enim omni operi est ἄλφιτον ἅπτειν.

In Commentariis Sacrorum Pontificalium frequenter inuenitur hæc agnus hæc porcus, hic ouis,
[c] Agel.li.11. cap.1. quæ etiam in mulcta, viri genere appellabatur[c]. Sic porcum fœminam, agnum marem non temerè dicebant, quæ vt vitia accipere non debemus, sed ad numinum qualitatem referre, & ad latini sermonis vsum, ex quo verba æstimantur, quibus antiquitas dignitatem addit & sanctitatem. Sic M. Tullius por-
[d] lib.2. de legib. co fœmina piaculum heredem pati optimè dixit[d]. Lex Numæ fuit. PELLEX. ARAM. IVNONIS. NE. TANGITO. SI. TANGET. AGNVM. FOEMINAM. CRINIBVS. DEMISSIS. CÆDITO. Hac in re lapsum Virgilium Sacrorum veterum peritissimum Seruius credit, cum dixerit *& cæsa iungebant fœdera porca.* Falsò,
[e] 3. Æneid. inquit Seruius[e], nam porcus ad hoc genus Sacrificij adhibebatur. Porcus quidem cædebatur in fœderibus, sed fœmina. Quare certum est scripsisse Virgilium *& Cæsa iungebant fœdera porco.* Adstipulatorem
[f] li.8.Instit. cap.3. habeo Quintilianum[f], cuius lectio etiamnum cor-

rupta est. Ille, *Quædam*, inquit, *non tam ratione quàm sensu iudicantur, vt illud cæsa iungebant fœdera porca. Fecit elegans fictio nominis: quod si fuisset porco, vile erat*, In Fabio error manifestus est transpositione nominum porco & porca. Si enim esset *Cæsa porca*, quæ fictio nominis elegantiam faceret? Quid vile fuisset in versu, si porco legeretur, qui hoc verbo elegantior assurgit? Nam cæsa, fœdera, porca, humiliora sunt, & versum insuauiorem reddunt. At cæsa iungebant fœdera porco elegantiam redolent, quæ non tam ratione quã sensu iudicatur, si Fabio credimus. Etenim ratio manifesta est cæsa porco rectum sermonem esse, & in Sacris vsitãtũ, quod purioris sermonis amatores non semper tenuerunt. Verba enim hæc solis Sacerdotibus suis cognita. Idem error ad omnes fere authores manauit librariorum incuria. Vt in Suetonio[a]. *Cùm Regibus fœdus in foro icit cæsa porca.* In Festo[b]. *Inter quos pax fieret, cæsa porca fœdus firmare solebant*, vbique reponendum est *porco*, si rationem sequamur Sacrorum, non latinitatis vsum. Alius error in Liuio[c], qui formulam fœderis nobis proponit, *vt ego hunc porcum hodie feriam.* Legendum *hanc porcum.* Nam in sanciendo fœdere fœmina, Cereri immolabatur, cui sine piaculo mas dari non potuit. Mares enim Diis, fœminas Deabus mactare, Pontificalis obseruatio est, Vt videmus ex votis fratrum Arualium[d]. Qui Ioui bouem, Iunoni vaccam, Mineruæ vaccam, Concordiæ vaccam, Genio taurum vouerunt & persoluerunt. In omnibus tamen Sacrificiis cum fœminini generis plus valerent victimæ: Si per

[a] In Claudio. cap. 25.
[b] In verb. Porci effigies.
[c] lib. 1.
[d] Inscript. 118.

marem litare non posſent, ſuccidanea dabatur fœmina[a]. Quod ſi per fœminam non litarent, ſuccidanea nulla poterat adhiberi, ſicque Succidaneæ Diis fœminæ dari ſolebant.

[a] Seruius 8. Æneid.

At verò Diis maribus fœminas mactatas docet vetus Senatuſconſultum[b] quo præceptum Decemuiris vt ſacrum facerent Apollini, boue aurato & capris duabus albis auratis. Sed additum græco ritu, qui à Romano multùm diſcrepabat. In victimis & iſtud requirebatur, vt certæ ætatis & naturæ animalia, certis numinibus immolarẽtur[c], vt Telluri Scropha ingens fœta: Mineruæ virgini, vitula virgo, nullis vnquam ſtimulis, nulliis operis exercitata, iniugis hoſtia. Sus prægnans Maiæ menſe maio cædebatur[d], quæ horda dicitur, aliis forda[e]: Sterilis taura dabatur Proſerpinæ. Dis Manibus caſtrata animalia immolabant[f] σπομίδας vt Veruecem Sectarium, quem Petronem Plautus[g] vocat.

[b] Macrob. lib. 1. ſat. cap. 17.

[c] Seruius 2. Æneid. Macrob. 1. ſat. cap. 12.

[d] Feſtus in verb: Sus prægnans.

[e] Varro li. 2 de re ruſtic. cap. 4.

[f] Suidas.

[g] In Captiueis.

DE TAVROPOLIO.

CAP. XIX.

VT Diis maribus fœminas, ſic fœminis mares græco ritu immolatas ſumptibus magnis ſæpè in antiquis inſcriptionibus legimus, vt Mineruæ & Dianæ taurus cæſus, quæ propterea ταυροπόλοι dictæ[h], vt genus

[h] Heſych.

hoc Sacrificij Ταυροπόλιον quod Dianæ præcipuè fiebat. Narbone.

IMPERIO. D. M
TAVROPOLIVM. PROVINCIÆ. NARBONENSIS
FACTVM. PER. C. BATONIVM. PRIMVM
FLAMINEM. AVGG. PRO. SALVTE. DOMI
NORVM. IMPP. L. SEPTIMII. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARABICI. HADIABENI
PARTHICI. MAXIMI. ET. M. AVRELIANI
AVG

29.12.

Alia Inſcriptio eſt, apud Lactoratenſes in Nouempopulania.

29.13.

S. M. D
IVNIA. DOMITIA. TAVROPOL
ACCEPIT. HOSTIIS. SVIS. SACER
DOTE. TRAIANO. NONDI
NIO. D. N. GORDIANO. II
ET. POMPEIANO. COS. VI. ID
DEC

Hæc ſacra ex inſcriptionum notis Matri magnæ Dianæ factæ ſunt, quæ tribus nominibus celebrata triplexq; Taurobolium illi vno eodémque ſacro fieri conſuetum apud Æginam, vt alia inſcriptio demonſtrat. Romæ.

APVD. ÆGINAM. DEABVS. TAVROBOLITÆ. ISI
ACÆ. HIEROPHANTRIAE. DEÆ. HECATE
GRAECO. SACRANEÆ. DEÆ. CERERIS

509.2.

Quare post inscriptionem Iuniæ Domitiæ duæ aliæ sequentes leguntur iisdem verbis conceptæ, mutato solum nomine eius, quæ Tauropolium accepit. Prima Domitia Isidi: Secunda Flora Dianæ: tertia Modesta Cereri hoc sacrum fecere (nam tribus aris extructis Sacrum istud peragebatur) & hostiis suis accepêre, quod amplius est quàm facere. Nam accipere est pascere, & sollemni conuiuio celebrare. Virgilius[a].

a 3. Æneid.

Illos porticibus rex accipiebat in amplis,
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus.

Obseruo in omnibus Tauropoliis illud adiectum, quo Sacerdote facta sint, plærumque quibus Consulibus, quo mense, & die. Sacerdos pater Sacrorum, Taurobolinus inuicti Mithræ vocatus[b]. Carmen est Aurelij Symmachi de Baulis.

b Inscript. 28.2.

Persidicique Mithræ Antistes Babylonie templi
Taurobolique simul magni Dux Mystice Sacri.

Isidi Taurobolium & Criobolium taurus & aries sacrabantur. Lapis Romæ.

27.5.

M. D. M. I. ET. ATTINIS
L. CORNELIVS. SCIPIO. ORFITVS
V. C. AVGVR. TAVROBOLIVM
SIVE. CRIOBOLIVM. FECIT
DIE. IIII. KAL. MART
TVSCO. ET. ANVLINO. COSS

Dianæ ludis sæcularibus Romę taurum immolatum videmus

videmus in Nummis. Serratum argenteum habeo, quem Nicolaus Camusius Torcyus Senator integerrimus & iuris scientissimus, mihi dono dedit, in quo bos ad aram, & magister Quindecimuirorum signati sunt, qui ludis præerat, in quibus boues albi Apollini & Dianæ Sacrificari solebant, græco ritu. Nummi prima pars habet Dianæ effigiem, altera Sacrificium, in qua bos, ara & XV. vir denotantur.

DE VICTIMARVM RATIONE & probatione. Quæ essent puræ, Eximiæ, Regiæ.

CAP. XX.

GRAECORVM ritus me à Romano & Pontificio paululùm diuertit, vt ostenderē quomodo Diis Maribus fœminæ, fœminis mares contra communem Sacrorum legem immolarentur. Illorum rationem persequamur, quæ pro

qualitate numinum habebantur[a]. Hæ itaque hostiæ cædebantur, quæ oberant eorum numinibus vt porcus fœmina Cereri, Caper Baccho: Aut certè ad similitudinem, vt inferis nigræ pecudes: superis albæ: Tempestati atræ: Candidæ Serenitati. Varia illarum genera fuerunt quæ suis formularum libris complexus est Barnabas Brissonius in nostra Parisiensi curia Præses olim secundus, vir vt doctrina commendandus sic fatorum acerbitate miserabilis. Ille ad literarum immortale decus, bono publico natus, mortalis, heu! miserrimi casus subiit, pessimo publico. Felix! si prima sequentem in secundis consistere honestum duxisset. Sed datur belli ciuilis victima, effugiarum succidanea quæ ad Aras virtutis & victoriæ Cæsarodunum Turonum fortiter profugerant. Pro tanto viro vt piaculum dari nullum potuit, ita de illo sine piaculo facere nec debeo nec possum. Non annotauit vir doctissimus cùm de Succidaneis loquitur eas piaculares dictas, quod Plautus monet[b].

[a] Seru. in schedis.

[b] In Epidico.

Men' piacularem fieri ob stultitiam tuam,
Vt meum tergum stultitiæ tuæ subdas succidaneum?

Piacularia Auspicia[c], id est, Sacrificia appellabant, antiqua loquendi consuetudine, cum aut hostia effugisset, aut percussa mugitum dedisset, aut in aliam quam oportebat corporis partem decidisset, aut esset reluctata[d]: Tum enim Succidanea opus erat.

[c] Festus in verb. piacularia.

[d] Iunius Philagrius lib. 2. Georgic.

De victimarum probatione quæ vino fiebat nonnihil attigimus: Hic quoque notandum vitulos ad

aras hominis humeris allatos, non ferè litare, ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia Deos placari, nec ſe trahente ab Aris[a], vel παρ' κολούρῳ quæ nullam caudam aut mutilam haberet. Ariſtophanes[b].

[a] Plin. li.8. ca.42.

[b] In Acharnenſib.

Δι. Αλλ' οὐδὲ θύσιμός ἐστιν αὖτη. Με. Σαμαί.
Πᾶδ' ὐχὶ θύσιμος ἐστί; Δι. κέρκον οὐκ ἔχει.

D. *At ſacrificari iſthæc nequit.* M. *Quî dum nequit,*
Sacrificari? cedo. D. *Quia caudam non habet.*

Scholiaſtes: τὰ γὰρ κόλουρα ἐν ταῖς ἱερουργίαις θύεται, ἢ κολόλου ὥσφ αὐ ἢ μὴ τέλεον ἢ ὑγιὲς, θύεται τοῖς θεοῖς. Pura præterea victima afferri debuit. Nam in illarum ætatibus obſeruatum, vt ſuis fœtus Sacrificio die quinto purus eſſet: pecoris die octauo: Bouis triceſimo[c]. At Ruminales hoſtias donec Bidentes fuiſſent Corruncanius puras negat. Suis tamen fœtus Varroni[d], à partu, decimo die habetur purus, ab eoque appellantur ab Antiquis *Porci ſacres & ſinceri*[e], quod tum ad Sacrificia idonei dicuntur primùm.

[c] Plin. li.8. cap.51.

[d] li.2.de re ruſtic.ca.4.

[e] Plautus in Menech.

Catulos lactantes adeò puros æſtimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hoſtiarum vice his vterentur[f]. Genito mane catulo res diuina fit, & in cœna Deûm etiamnum ponitur Catulina. At Gallinæ ad rem diuinam luteo, roſtro, pedibúſque puræ non videbantur[g].

[f] Plin li.29. cap.4.

[g] Plin.li.10. cap.56.

Hoſtiæ puræ ſeu perfectæ duorum generum fuerunt. Vnæ in quibus voluntas Deorum per exta exquirebatur. Aliæ quibus ſola anima Diis ſacrabatur, quas animales hoſtias Aruſpices dicebant. Atque

hæ immolabãtur tantum, & caro Sacerdotibus pro-
a Seru.3. & 4.Æneid. Macrob. li. 3. sat.cap.5. b 6. Æneid. ficiebat[a]. Ex perfectis eligi debuerunt eximiæ, Hinc Virgilio *lectæ de more Bidentes*[b]. Qua in re à Brissonio viro eximio dissentio, quia eximios boues tantùm dictos scribit, oues vero lectas. Nam eximium inde dictum est, quod in Sacrificiis optimum pecus è Gre-
c Festus in verb. eximium. ge eximeretur[c]: Quod Veranius in Pontificalibus
d Macrob.3 sat.cap.5. docet[d]. Oues eximiæ, boues opimi potiùs dicebantur, vt ouis maior hostia, taurus maxima. Inter hostias eximias præstãtiores θοροχαὶ, quas Regia Ani-
e Vopiscus in Aurelian. malia appellabant[e], Epistola Aureliani Imperatoris. *Inspiciantur libri, quæ facienda fuerint, celebrentur, quælibet animalia regia non abnuo.* Vir doctissimus cuius libros non minore cura inspicio, quàm olim xv. viri Sibyllinos, regia animalia intelligit, quæ necessaria essent ad Sacrificium pro regis salute faciendum aut Reip. Mallem regia animalia pro his accipere quæ magno sumptu & difficilè comparantur, quales Ho-
f li.3.Carm. od.23. ratius[f] *Sumptuosas* dixit, vel Tacitus[g], *cæsas victimas*
g li.2.histo-riar. *regium in minorem.* Vt *Basilica facinora* Plauto[h], facta sunt egregia & magnifica. Et Regalia exta vocantur[i] quæ petentibus insperatum honorem pollicentur
h In Trinumm. i Festus in verb.Regalia. priuatis & humilioribus bonam fortunam. Vt Regales dij dicti sunt[k], qui Græcis ἡμίθεοι καὶ βασιλῆοι θεοὶ[l]. Quos Petri Puteani monitu agnosco, Regum
k Iustinus lib.12. l Plutarch. in Alexand. proprios, & principes Deos.

HOSTIAS AVGERE. CVM CAPITE & lituo sacrificare. Manilię venales leges de victimis. Vnde in Sacrificiorum sumptus pecunia erogaretur.

CAP. XXI.

SACRIFICIO non litante, priusquam ad succidaneas deuenirent, augeri hostias imperabant[a]. Potiore admodùm iure, cum beatus Felix capite plecteretur, & obuius quidam Christianus qui se talem professus est, pariter morte affectus esset, huius nomen ignorantes Christiani eum Adauctum appellarunt[b]. Quid verò sit hostias cùm capite & lituo cædere apud Liuium[c] in oratione Publij Decij Muris, illud ex veteribus nummis Cn. Pisonis intelligetur.

[a] Sueton. in August. ca. 96.

[b] Martyrolog. 30. Augusti.

[c] lib. 10.

Sed vt de hostiarum emptione nonnihil afferamus, qui Manilij actiones sequebantur Lanij, qui ad cul-

trum bouem emebant, & qui ad altaria, hostiæ sa-
[a] Varro li. 2 de re rustic. cap. 5. nitatem non solebant stipulari[a]. Maniliæ enim leges venalium fuerunt, quæ in hostiis locum non habue-
[b] Cicer. li. 1. de orator. runt, quas emptor auersione emebat[b]. Quod de priuatis emptoribus accipiendum est: Nam publicæ victimæ non solùm saginabantur ad Sacrificium & legebantur, sed magno sumptu ornabantur auro, vt quo charius, eò gratius Sacrificium Diis crederetur. Deorum enim honori excogitatum vt auratis cor-
[c] Plin. lib. 33 cap. 3. nibus maiores dumtaxat immolarentur[c]. Inscriptionum veterem adduximus, in qua.

.... BOVE. AVRATO. VOVIMVS. ESSE. FVTVR
.... AVRATA. VOVIMVS. ESSE. FVTVRVM

Vnde hi sumptus peterentur, quærendum est, cum
[d] Liuius li. 1 illud ad Pontifices nostros reiecerit Numa[d]. Hoc quærendum omissis diebus & templis, ad quæ sacra fierent: Quod à Varrone, Ouidio, & Kalendario vetere explicatur. Certum est in Sacris publicis ex Ae-
[e] Liuius li. 31. rario quantúmque Senatus censuisset impendi[e]. Sub Imperatoribus à Præfecto Ærarij Imperatoris literis
[f] Vopiscus in Aurelian. pecunia decernebatur[f]. Sed vt Numæ temporibus inops Respub. magnos sumptus ferre non poterat, Sacrorúmque multitudo, apparatus & sumptus cùm ipsa Rep. creuerunt in immensum: tradit Sinnius
[g] Festus in verb. supplicia. Capito[g], cum ciuis necaretur, institutum fuisse vt Semoniæ res sacra fieret, veruece, bidente, patrimo-
[h] Seruius 1. Æneid. niúmque cui delibatum esset, fieret Sacrum[h]. Ab eo
[i] In Catilin. sacrificia dicta supplicia Sallustio[i]. *In suppliciis Deo-*
[k] li. 2. de re rust. cap. 6. *rum magnifici, domi parci.* Varro[k]. *Ad victimas farciunt*

atque ad Deorum ſeruant ſupplicia. Notum eſt ex eodem Varrone[a] pecuniam vocari Sacramẽtum, quod ſignificat æs, quod in litibus pœnæ nomine pendebatur. In iudiciis enim qui petebat & qui inficiabatur, vterque quingentos æris ad Pontificem deponebant[b]. Sic emendat Varronem P. Pithœus[c] popularis meus literarum ſtabilitati ſine æmulo genitus: quem olim ſtudiorum meorũ inſtigatorem, vt Franciſcum fratrem hodie probatorẽ veneror, vtrũque doctrinæ & amicitiæ gloria excellentem. Vulgata quidẽ Varronis lectio abſurda eſt, quæ habet ad Pontem. Hæc pecunia propter ærarij inopiam & Sacrorũ publicorum multitudinẽ, in rebus diuinis conſumebatur: Si deeſſet, ex conſecratis damnatorum bonis cogebatur, quæ poſſeſſiones ſacræ dictæ ſunt, quarum reditus Sacrificiis inſeruiebat[d], ἱερὰ κτήματα ἐξ ὧν αἱ θυσίαι τοῖς θεοῖς ἐγίγνοντο, quandoque pecunia ad Sacra publica præſtabatur à priuatis qui Ærarium ſubleuabant. Romæ.

[a] lib. 4. de ling. lat.

[b] Feſtus in verb. ſacramentum.

[c] lib 1. ad 4 uerſ. cap. 18.

[d] Dionyſ. li. 3.

DECRETVM

ÆDICVLAM. ET. STATVAS. HAS. HOSTIAM. DEDI CATIONI. VICTIMAE. NATALI. AVG. VIII. KAL. OCTOB. DVÆ. QVÆ. PP. IMMOLARI. CONSVETAE SVNT. AD. ARAM. QVÆ. NVMINI. AVG. DEDICATA EST. VIIII. KAL. OCT. IMMOLETVR. ITEM. NATALI TIBERI. CAES. PERPET. ACTVRI. DECVRIONES ET. POP. CENET. QVAM. IMPENSAM. C. CASCELLIO LABEONI. IN. PERPET. POLLICENTI. GRATIAE AGANTVR. MVNIFICENTIÆ. EIVS

228.8.

Nerua Imperator cum esset ea Sacrorum multitudo vt maximam ærarij partem exhauriret, multa sustulit, quo sumptus huiusmodi minuerentur[a].

[a] Xiphilin. in Nerua.

DE CONSECRATIONE ET illius ritu.

CAP. XXII.

CONSECRATIONEM hîc intelligo Idolorum ἐμψύχωσιν qua rei inanimæ diuinam infundi naturam potestatémque credebant. Alia fuit consecratio quæ est bonorum, quæ hostium fuissent, vel ciuis damnati, ademptio, quorum fundi, pecunia, familia, Deo alicui dicabatur. Vt Sacrum & execrandum dictum est, quia sacræ res de bonis execrandorum fiebant[b]. Hæ fuerunt possessiones sacræ, ex quibus sumptus ad Sacra parabantur. Varias Consecrationis species hoc loco enumerare inutile non erit, vt Pontificalem hac in re obseruationem dignoscamus. Consecratio omnis aut ad honorem pertinet aut ad contumeliam, vtraque aut ad res aut ad personas refertur. Quæ honoris fuit, homines respicit aut Deos; ex hominibus Sacerdotes, Principes, aut priuatos. In Deos relatio ἀποθέωσις principum erat; Inauguratio Sacerdotum: Deuotio priuatorum. Quæ Deorum fuit, illa in statuis & imaginibus perficiebatur, κατίδρυσις ἐγκαινισμὸς.

[b] Seru. 1. Æneid.

Ad res

Ad res ſpectat mobilium immobilium aut mouentium dedicatio καθιέρωσις. Conſecratio quæ contumeliam adferebat, rerum etiam eſt aut hominum, qui in leges peccauerant. Quæ rerum ἱερῶν, hominum βλασφημία. De inauguratione, deuotione, imaginibus & ſtatuis Deorum, dedicatione, animalium conſecratione hactenus agebamus. Principum in Deos relationem ad librũ de funeribus reijcimus.

De conſecrationis Idolorum ritu breuiter annotamus, quæ ex Chriſtianis authoribus ſelegimus. Profani Sacramenti ſignum erat θεὸς ἐκ πέτρας[a]. Lapidem enim vel lignum aliúſue materiæ ſimulachrũ ritu & ſolemnibus verbis Deum fieri credebant. Itaque conſecratum vulgus orare & publicè colere non dubitabat, tanquam in ligno aut lapide præſentis numinis vis adeſſet. Simulachrum dum funditur, fabricatur, ſculpitur, nondum Deus eſt[b]. Plumbatur, conſternitur, erigitur, nec adhuc Deus eſt. Ecce ornatur, conſecratur, oratur, & poſtremò Deus erat, cum homo voluiſſet aut dedicaſſet. Tria ergò in lapide requirebantur vt in Deum euaderet, ornatus, conſecratio, oratio. Primum enim adornabant Idolũ varia ſupellectile & pretioſa, quæ imperitæ multitudinis animos obumbraret: Sic exornatum & depexum Idolum conſecrabatur. Apud Rom. nil fuit tam ſollemne quàm dies conſecrationis[c]. Verba ſollemnia cùm Idolorum vanitate perierunt, ſi quæ fuerunt illa, quæ forte nulla, vt ex Principum conſecratione colligi poteſt, in qua nulla verborum conceptio ſollemnis.

[a] Iul. Firmic. de error. profan. relig. ca. 21.

[b] Minu. Felix. in Octauio.

[c] Seruius 8. Æneid.

In Isidis Sacris narrat Firmicus illius simulachrum in lectica poni solere: Et cum populus per numeros digestis fletibus esset lamentatus, hymnos cecinisset, & ficta se lamentatione satiasset, iacentis statuæ membra componebantur, saxúmque corrigebatur. (Corrigo hanc Firmici lectionem ex Minutio & lego saxúmque erigebatur, ornabatur.) Tum Pontifex omnium qui flebant fauces vngebat, quibus perunctis hoc lento murmure insusurrabat. *Confidite initiati Sacris numinis seruatoris: est enim nobis ex labore salus.* Orationes deinde fundebantur ex libris Sacerdotum Popu. Romani, quæ cùm libris ipsis euanuerunt.

Consecratio ad contumeliam ad hostes extenditur vel ad ciues. De hostibus vulgatum est, quo modo P. Scipio Africanus veterem Carthaginem de consilij sententia consecrarit, vt ipse locus vestigia calamitatis ostenderet[a]. Agros ex hostibus captos sic etiam Diis dedicabant. Huius consecrationis ritum coniicere possumus, ex ea, quæ in ciuis damnati bonis seruabatur. Hæc à Tribuno pleb. fiebat capite velato[b], aduocata concione, foculo posito pro Rostris, Pontifice verba præeunte[c], adhibito tibicine, qui cùm Tribuno obtestaretur, Tribunúsque preces & prisca verba efferebat, bonáque Deo alicui Deæ ue addicebat. Atque hoc est quod M. Tullius[d] Sacrosanctum fieri dicit aut genere ipso, aut obtestatione & consecratione legis aut pœnæ. Obtestatio hic pro detestatione accipitur, à qua tamen Festus[e] eam differre putauit. Quæ à Tribu-

[a] Cic. pro dom. su.
[b] Cic. eod.
[c] Dio li. 57.
[d] pro Cornelio. Balb.
[e] In verb. obtestatio.

nopleb. fiebat, si concionanti illi apud populum contradiceret aliquis, aut dicentem interpellaret. Tum enim si multam dixisset, & damnatus soluendo non esset, illius bona consecrabantur[a], τὰ χρήματα αὐτοῦ ἱερᾶ. Quare cum Rutilius Tribunus pleb. auocatam à se concionem à Censoribus quereretur, & in ordinem se coactum: postero die Tib. Gracchi Censoris bona consecrauit[b], quod eum multa pignoribúsque eius, qui Tribunum appellasset, intercessioni non parendo, se in ordinem cõegisset. Hanc tamen consecrationem sine populi iussu fieri non potuisse M. Tullius adfirmauit, & obtinuit ex Lege Papyria Tribunitia, quæ ad omnem omninò consecrationem extendebatur. Senatus tamen fracta Repub. cùm C. Lectorius adolescens Patritij generis, in deprecanda grauiore adulterij pœna, præter ætatem atque natales, hoc quoque patribus conscriptis allegaret, se esse possessorem ac velut Aedituum soli, quod primum D. Augustus nascens attigisset, peterétque donari quasi proprio suo & peculiari Deo, Decreuit, vt ea pars domus consecraretur, quæ consecratio à Tribunopleb. sollemni ritu peracta est[c].

[a] Dionys. li. 7.

[b] Liuius lib. 43.

[c] Sueton. in Auguſt. ca. 5.

Hominum consecratio siue potius execratio, deuotio etiam dicta est; Deuouescunt ἐβλασφήμησαν, κατηράσαντο[d], quæ non ad priuatos solùm vel hostes, sed ad impios quoque Imperatores porrecta. Maximinus cùm filio Diis inferis à Senatu deuotus est, postquam à Senatu hostis primum esset iudi-

[d] Gloss. vet.

catus[a]. Hostes enim diris insequi mos fuit, ex lege Sacrorum, illísque, repetitis execrationibus, mala imprecari. Detestatio illa ἀρὰ ἢ κατηρὰ & deuoti κατηρώμενοι[b], qui alij erant à καθωσιωμένοις, hi enim donis ac frugibus à multitudine virorum mulierúmque onerabantur: illi probris & conuitiis detestabiles & execrandi erant[c], quos nec ad sacra nec ad libamina, nec ad larem domesticum quocumque præuenissent admittere cuiquam fas erat iusto & pio[d].

[a] Capitolin. in Gordian.

[b] Lexic. Græcolat.

[c] Liuius li. 7

[d] Dionys. li. 8.

DE EPVLIS. DE IOVIS. EPVLO aliorúmque Deorum. Decima. Herculi Pollucere.

CAP. XXIII.

PERACTO Sacrificio cœna semper parabatur, & ad exta familiares aut conuiuas sibi quærebant[e]. Hos Idolis immolatos cibos execrati Christiani, profanam cœnam appellarunt[f], & cœnasse in Idolio[g] arguebant eos, qui his epulis interfuissent. Habuere quoque Dij Gentium suas epulas sollemni die & festas dapes[h]. Celebratiores fuerunt Iouis aut Herculis. Iouis non alibi quàm in Capitolio, cum in Sacrificiis sollemnibus non dies magis stati, quàm loci sunt, in quibus fiant. Illo Epulo quod δεῖπνα, δαῖτες, Iupiter in lectulum, Iuno, Mineruáque in Sellas in Capitolio in-

[e] Plautus in milite, in Pœnulo, in Rudente.

[f] Martyrolog. 4. Sept.

[g] Concilii Ancyran. can. 4. & 6.

[h] Agel. li. 12 cap. 8.

uitabantur[a], & populo denuntiabatur à Sacerdotibus pridiè quam celebraretur [b]. Epuli Deorum locus, cœnatio Iouis vocabatur[c], vbi scilicet Ioui ipsi cœna apponeretur, ad quam Triumuiri Epulones instituti, qui illud Sacrificium facerent epulare[d]. Nomẽ enim illi sortiti sunt, ab eo quod epulas indicendi Ioui cæterísque Diis potestatem haberent. Idibus Nouembris Epulum indictum notamus in Kalendario vetere Rom. quod Iouis Epulum fuit ex Kalendario rustico, in quo mense Septembri legitur Epulum Mineruæ. Hac de re Dionysius[e]. Ἐγὼ γοῦν ἐθαυμάμην ὁρῶν ἱερεῖς οἰκίαις δεῖπνα παρασκείμενα θεοῖς, ὀπτοῖς ξυλίνοις ἀρχαϊκοῖς, ὀπτοῖς καινοῖς καὶ πινακίσκοις κεραμίοις ὀψίτων μάζας, καὶ πόπανα, καὶ ζέας, καὶ κεκριθῶν ἄλευρα ἀπαρχάς, καὶ ἄλλα τοιαῦτα λιτά, καὶ ἀδάπανα καὶ πάσης ἀπολειφθείσας ἀπολλαγμένα. Καὶ σπονδὰς εἶδον ἐγκεκραμένας οὐκ ὀπτοῖς ἀργυροῖς καὶ χρυσοῖς ἀγγείοις, ἀλλ' ὀπτοῖς ὀστρακίναις κυλίσκαις καὶ παρόχοις, καὶ πάνυ πιθάνως τῶν ἀνδρῶν, ὅτι Ἀθηναίοις ὀπτοῖς πατρίοις ἔθεσιν, οὐδὲν ἐξαλλάττοντες τῶν ἀρχαίων ἱερῶν εἰς τὸν ἁπλοῦν πολυτέλειαν. Ipse spectaui in sacris ædibus cœnas Diis appositas in mensis ligneis antiqui operis, pultémque in canistris & fictilibus quadrulis liba item & far, fructuúmque quorũdam primitias & alia huiusmodi tenuïa paratúque facilia, & omnis inertiæ expertia. Libationes etiam vidi non argenteis aureísue infusas vasis, sed culignis & guturniis testaceis: Multum delectatus hominum in ritu patrio constantia, nihil ex antiquis sacris in insolentem luxum demutantium. Aliquando Ioui epulum constitutum est ludorum causa[f]. Cúmque sollemni die epulum illud

[a] Val. Maximus li. 2. cap. 1.
[b] Arnob li. 7.
[c] Capitolin. in Pertinace.
[d] Cic. 3. de Orator.
[e] lib. 2.
[f] Liuius lib. 31. & 32.

libaretur, Senatus in Capitolio epulabatur, quod ius epulandi seruauit Augustus Senatoribus, Orcinis vt spectandi in Orchestra [a].

[a] Sueton. in August. ca. 35.

Nobilius fuit Herculis epulum de quo Næuius in Colace [b], *qui decumas partes, quantum alieni fuit, polluxit, Tibi à publicando epulo Herculis decumas.* Ex authorum fragmentis rarò recta lactio seruari potest, vt sine piaculo emendari. Lego tamen. *Qui decumas partes quantum alieni fuit, polluxit, Tibia publicando epulo, Herculi decumat.* Nam huiusmodi epulum tibia publicabatur, vt Iouis; & Tibicen in omnibus sacris supplicationibus, epulis [c]. Hæc ne cui ex nostris otiosa videantur, meminerit ille verborum Vlpiani [d] Iurisconsulti. *Si Decimam quis bonorum vouit, decima non prius esse in bonis desinit, quam fuerit separata. Etsi forte qui decimam vouit, decesserit ante sepositionem, heres ipsius hereditario nomine Decimæ obstrictus est. Voti enim obligationem ad heredem transire constat.* Hæc verba *ante sepositionem decesserit ex* Næuio interpretor, Si priùs mortuus fuerit, quàm tibia publicando epulo Herculi decumasset. Hanc poëtæ veteris emendationem ex veteri meo Codice facio, ne quis me tibia vel pipulo differat. Herculi autem votiuum epulum tanto sumptu fiebat, vt Herculanarum Decimarum & pollectorum, impensas tabularij supputarent [e]. Hinc Plauto [f]. *Pollucibiliter opsonare est* omnem rem intempestiuis conuiuiis deperdere.

[b] Apud Priscianū. li. 9.

[c] Cęsorinus cap. 12.

[d] l. 2. §. fi decimam. D. de pollicitat.

[e] Tertulliā. in Apologet. cap. 39.

[f] In Mostellar.

Pollucendi morem vetustissimum arguit lex Numæ [g], qui constituit vt *Pisces qui squammosi non essent, ni pollucerent.* Vt omnia conuiuia publica & priuata,

[g] Plin. li. 32. cap. 2.

cœnæque ad puluinaria faciliùs compararentur. Vulgata Plinij lectio habet *ni pollucerent patrimonia, Commentus & conuiuia publica*, &c. Hermolaus Barbarus vir humaniſſimus in omni literatura legendum arbitrarur, partim ex vetuſtis codicibus, partim ex coniectura. *Numa conſtituit vt piſces qui ſquammoſi non eſſent, ni pollincerent patrimonia.* vt ſenſus verborum ſit. Numam inſtituiſſe, ne piſces qui ſquammoſi non eſſent emerentur ad pollinctum, à patrimoniis, patrefamilias defuncto. Verborum vicinitate deceptus vir doctiſſimus, id ſomniauit quod longè abeſt à vero. Feliciùs Scaliger [a]. *Piſces qui ſquammoſi non eſſent, ni pollucerent, Parſimonia commentus vti conuiuia.* &c.

[a] Apud Feſtū in verbo Pollucere.

Neque Herculi ſolùm cui omnia eſculenta & poculenta, ſed & cæteris Diis veteres pollucere ſolebant, Vt Ioui Dapali, Agricolæ [b]. Nam pollucere dapem, eſt ſine contagione illam profanare, id eſt, ſacro eximere & populo exponere. Mercurio pollucebant mercatores [c]: Frequentiùs tamen omnes Herculi, Iocus Plauti [d].

[b] Cato de re ruſtic. cap. 132.

[c] Plaut. in Amphitruõ & in Bacchidib.

Si frugi eſt, Herculem fecit ex patre, decumam partem ei dedit, ſibi nouem abſtulit.

[d] In Stichodo.

Quærebat ſeruus quantum auri filius reddiderat ſuo patri. Idem [e].

[e] In Truculento.

Dum quidem hercle quiſque veniat cùm vino ſuo.
Nam huic quidem
Hodie pollu&tura præter nos iam dabitur nemini.

Pollucturam, partem Herculanam vocat [f], quam Budæus de ferali cœna fruſtra interpretatur. Nihil enim

[f] l. quicumque. D. de inſtit. act.

Libitinariis commercij fuit in Comœdia, nihil in Stichi conuiuio, in quo omnia vino hilariore agebantur. Pollu&ctum reponendum eſt apud Varronem [a], vbi malè ſcriptum eſt, *Profanum quod in ſacrario pollutum, atque inde Herculi decuma data ab eo eſt, quod ſacrificio quodam fanatur.* Retinendum in Plauto [b].

[a] lib. 5. de ling. lat.

[b] In Rudente.

Non ego ſum pollu&ta pago, potin' vt me abſtineas manum?

Nec abſtinuit manum Lipſius [c], quamuis ſit pura lectio quæ non debuit attrectari. Duriuſcula illi videtur, quæ minus ab eo intellecta. Corrigit ille. *Non ego ſum polluta potin' apage me abſtineas manum.* At magis apage dico, cum ad confirmationem emendationis, locum alterũ Plauti allatum video de Adelphaſio, quæ pura ſacrificatum ire occœperat. In noſtra enim lectione cum mulier ad Veneris Sacerdotem portaret aquam, occurrit ſeruus qui ludos faceret, cui illa, *Non ego ſum pollu&ta pago*, non ſum ego ſcortum pagi publicum, vel tanquam daps profanata omnibus expoſita, vt ſentit Scaliger, aut publicæ libidinis victima, vt Tertullianus. Quod & Turnebus probat [d], à quibus non temerè Lipſius debuit diſſentire. Sed cadunt omnes, cecidi ego, cadet qui ſequitur: Neque Herculi decimam quiſquam vouit vnquam, vt magnarum artium ſcientiam atque explorationem perfectam habere poſſet. Quin ipſum Plautum, quem tantoperè miror, cum aliis in hoc verbo cecidiſſe dubito. Ille enim in fine comœdiæ [e].

[c] lib. 2. antiq. lect. cap. 3.

[d] lib. 11. aduerſ. cap. 7.

[e] In Rudẽte

Spectatores

Spectatores vos quoque ad cœnam vocem
Ni daturus nihil sum, neque sit quicquam pollucti domi.

Mallem tamen illum impropriè locutum, & ex vsu theatri. Nam pollúctum omne in fano consumebatur. Depilatas Deo decumas dicunt Græci Συλήσας τοις θεὸς τὰς δεκάπας[a]. [a] Priscian. lib. 18.

DE VASIS, INSTRVMENTIS, *Insignibus, Cæteráque Sacrorum Supellectile.*

CAP. XXIIII.

VASA colligenda sunt nobis, sed supellex priùs eluenda quàm concludatur, quæ habet aliquod antiquitatis instrumentum. Nihil ex illa deperdetur, vasa enim sacra literis notata sunt & facilè dignosci possunt. Plautus noster[b] de vrna Veneris, [b] In Rudente.

Hæc literata est, abs se cantat Cuia sit.

Atque vt primum thus locum obtinet in Sacrificiis, sic in Supellectile thuribulum siue Acerra λιβανώτεις, acceptuaria in glossis malè, restituit Scaliger, Acerra thuraria.

Natali suo scribit Martialis septimã se focis acerram addidisse & quinquagesima liba. Hoc quinquagesimum Sacrificium rectè interpretati sunt, quo numerus amorum designatur. Sed acerram septimam,

quæ paulò calidior erat, non attigerunt. Ex Poëtæ verbis mens tamen aperta est.

[a] Martial. li. 10. epist. 24.

Natales mihi Martiæ Kalendæ[a].
Quinquagesima liba, septimámque
Vestris addimus hanc focis acerram.
His vos, si tamen expedit roganti,
Annos addite ter precor nouenos,
Post hæc tempora, nec diem rogabo.

Innuit poëta se septies septem ætatis annos attigisse quem perfectiorem numerum veteres existimarunt[b], optat ille ad perfectissimum peruenire. Ter noueni etenim anni quinquaginta additi vndecies septem faciunt. Septimo quoque anno solebāt vitæ sibi spatium à Diis deprecari, vt ex libris fatalibus Varro docet[c], qui ætatem hominis duodecim hebdomadibus describi commemorat, quæ duo ad decies septenos annos posset fatalia deprecando rebus diuinis proferri. Ab anno autem octuagesimo nec postulari debere nec posse ab Diis impetrari.

[b] Macrob. lib. 1. in Somn.

[c] Censorin. cap. 14.

Alias iam supellectilis species explicemus. Pateram, patellam, Anclabrim, Armillum, Atanuuium, Calices, Præfericulum, Subsiles vel Ipsiles, Capital, Malluuium latum, Culticulam. Quæ omnia à Festo explicantur. Aquiminale χερνίβιον vel Aquimanile[d]: Lepista genus vasis aquarij: Guttus, Gutturnium, Vas Vinarium, quo vinum dabant, vt minutatim funderent, & quo sumebant minutatim; Simpuuium vel Simpulum in Sacris remansit, vt Capedines, Hydriæ, Crateres[e], Canthari[f], Scyphi, Briæ[g], extaris olla[h], vas futile quod erat lato ore, fundo angusto,

[d] l. 2. D. de supellect. leg.

[e] Cic. act. 9. in Verrem.

[f] Apul. 5 Metamorph.

[g] Arnob. li. 7.

[h] Plautus in Rudente.

quo vtebantur in Sacris Veſtæ, quia aqua ad Sacra Veſtæ hauſta in terram non ponebatur[a], quod ſi fieret piaculum committebatur. Vnde excogitatum vas quod ſtare non poſſet, ſed poſitum ſtatim effunderetur. Quod ex Lactantio[b] Grammatico Scaliger in Feſtum annotauit. Capis, cuius diminutiuum eſt Capidula, vaſis genus Pontificalis[c], à quo capedines & Capedunculæ. Cotta apud M. Tullium[d]. *Docebo*, inquit, *meliora me didiciſſe, de colendis Diis immortalibus, iure Pontificio & maiorum more, Capedunculis iis, quas Numa nobis reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quàm rationibus Stoicorum.* Cuius oratiunculæ apud Nonium[e] fragmenta reſtant. *Oratio extat Lælij*, inquit, *quam Simpuuia Diis immortalibus grata ſunt, Samiæque, vt hic ſcribit Capedines.* Fictiles erant illæ ex Bachidibus Plauti[f].

CH. *Eho an inueniſti Bachiden?* P. *Samiam quidem*
CH. *Vide quæſo, ne quis tractet indiligens,*
Scis tu vt confringi vas citò Samium ſolet.

Fictas Vrnulas vocat Tullius[g]. Irnula Feſto genus vaſis in Sacris, quæ cum aſpiratione ſcribi debet, ab Hirnea fictili[h]. Canephoræ dicebantur queis Sacra repoſita in capitibus ſuſtinebant[i]. Menſæ Delphicæ in templis[k] & Panniceæ, quæ cùm Aris conſecrabantur, eo die quo templa ipſa. Menſa in ſacris conuelli dicitur, cum tollitur[l].

Domus erat nulla paulo locupletior, in qua Sacrorum vaſa non eſſent, quibus ad rem diuinam vterentur, quæ omnia antiquo opere & ſummo artificio facta. Quare cũ Heri auaritiam ſeruus improbaret[m].

a Seruius 11. Æneid.
b li 8. Thebaid.
c Priſcian. lib. 6.
d li. 3. de natur. deor.
e In verb. Samium.
f Plautus in Bacchidib.
g In Paradox.
h Cato. de re ruſtic. cap. 81.
i Cic. act. 9. in Verrem.
k Cic. eod.
l Seru. 8. & 11. Æneid.
m Plautus in Captiu.

Quin etiã, inquit, *vt magis noſcas, Genio vbi ſuo quãdo Sacrificat,*
Ad rem diuinam, quibus opus eſt, Samiis vaſis vtitur.

Quare cùm Auream ſupellectilem Tiberius interdiceret, quę ad rem diuinam parata erat, edicto illam noluit contineri[a].

[a] Dio lib. 57

Non ita inſtructa humiliorum ſupellex Sacrorum fuit quam inuicem ſibi commodabant. Dæmones Plauti[b].

[b] In Rudẽte

Si qui ſacrificant ſemper petunt,
Aquam hinc aut ignem aut vaſcula aut cultrũ aut veru
Aut Ollam extarem, aut aliquid, quid verbis opus eſt?
Veneri parauí vaſa, & puteum, non mihi.

Omnem hanc ſupellectilem templorum ſtragulis inuoluamus, de quibus Plinius[c]. *In Orchomeno tota arua ſubruunt Talpæ, quarum è pellibus cubicularia vidimus ſtragula, Adeò nec religio quidem à portentis ſummouet delitias.*

[c] li. 8. ca. 58.

Cætera ſupellex Sacrorum ad Pontificis pertinet, quorum fuerunt Acceres ἀξίνη ἱερεφαίτων[d], Dolabra vel ſecuris, Seceſpita. Mallei enim cultríque, Popæ fuerunt & victimarij, vt Clunaculum, quo carnes hoſtiarum diuidebant, à Clunibus illarum parte potiore. Aſperſorium quo populus luſtrabatur, Aquiminarium vel Amula Ἀρδάνιον Heſychio vas luſtrale deportandæ aquæ, religionis expiationiſque ergo deputatum. Diſci in quibus exta hoſtiarum recipiebantur & exportabantur, Magmentarium, in quo Proſiciæ referebantur ἐφ' ᾧ τὰ σπλάγχνα ὑθέλυα τοῖς βωμοῖς προσφέρονται. Infulæ hoſtiarum, τέμιμα τὰ aliam

[d] Gloſſ. vet.

ſupellectilis partem conſtituunt, vt Tenſæ, aliáque vehicula vel fercula. Tympana Sacra quæ Baccho & Cybele dicata. Inſignia Pontificum in nummis Lepidi & Auguſti hæc vulgaria fuerunt.



Peruenerat librarius ad ἐξαπτηλικὸν, ecce monitor quidam ex Ardelionum natione, qui multa agendo nihil agũt, percurrit raptim vnam aut alteram librorum paginam, exclamátque illicò: ô hominem audacem & impurum! qui cum aperto Marte Regiam poteſtatem euertere non poſſit, ſubdolè illam cuniculis tentat oppugnare. Abripit folium, aufugit, minatur. Continuò accurrit ad me librarius atque illè cõmotior: libri tui ab iniquis obſeruantur, qui multa in peiorem partem interpretantur. Itáne verò? Inquam, augebunt fortè illi induſtriam, Laceſſitus enim bonus animus ipſo vulnere vires aſſumit.

Et difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius
A noxiorum premitur inſolentia.

Sed ecquid reprehendunt quod animaduerſione dignum exiſtiment? Tum ille: Vt eſt audacia! dictum

inueniunt, aliquam causam, quamobrē gestiant scripta existimationémque dilacerare: Aduertunt grauiter quæ non censeas. Nam cùm scripseris in honorum ciuilium enumeratione Pontificis max. dignitatem primum locum obtinere, illúdque Iulij & Augusti Cæsarum nummis comprobaris: id aiunt illi improbè factum, téque in Iulias maiestatis leges aliquatenus incidisse contendunt. Saltem, inquā ridens, effugi Corneliam de falsis, cùm nummi authoritate publica à Triumuiris percussi sint. At verò, inquit ille, cauendum tibi est, ne isti percutiant animum: etenim nescio quid fallaciæ meditantur. Cui ego: faciant, fingant, iuueniant, efficiant qui mihi contumeliam inferre conantur, id agam verò seriò, vt in illos grauior illa recidat. Adeóne hominem ignarum aut infelicem quemquam, adeóne ignauum & ferum, si pudor paululùm adest, vt alienum laborem vltrò carpere, nullo iudicio, mala mente, animo infrunito audeat? Tantáne vecordia innata cuiquam, vt impudētissimam istius orationem audiat? Errantis imperitiam satiùs duxeram silentio spernere, quàm dementis iniuriam hanc expostulare. Sed postera die vnus item & alter ad me venit; atque, heus tu, conqueritur homo quispiam quod fiscum Rom. Pōtificibus constitueris, téque Rom. Iuris insciū vbique prædicat. Noua, inquam, deintegrò quæ prodit iniuria risum commouet magis. At miserùm esset cùm ingenijs huiusmodi hominum conflictari, qui neque literas neque antiquitatem & virtutem sciunt. Nam quid me sollicitarē nebulonis imperiti amentia? Quæsiui

tamen quid hominis esset, qui tãtas, rerum omnium ignoratione, turbas excitaret. Moncaudi gentilem dixerunt, poëtæ illius famosi, quem olim Iosephus Scaliger meritis plagis onerauit. Optimè inquam: Istius ego flagitium retundere, & redigere possem, vt quo se verteret, nesciret: & NIHIL FICTVM in illum componere. Sed cùm hominẽ intra omnes infimos putem, illius ineptias negligam & aspernabor. Si dederint nobiliores alij aliquam pugnam denuò, videro quid cum illis agere debeam, quibúsue coloribus ceram tingere. Lapsum me in antiquitatis cognitione eruenda nusquam diffitebor: at verò cum tranquillam vitam atque otium semper secutus sim, in maiestatem me peccasse, nemo homo sobrius somniabit. Nisi ex eorum sit grege qui nasuti scripta aliena fastidiosè distringunt, aut

Qui stultitiam nauseant
Et vt putentur sapere, cælum vituperant.

Illi suis insomniis torqueantur: viuam meo more, & potestates omnes à Deo constitutas ita colam, vt si de illis quandoque sermo inciderit, qui nullus his in libris esse potest, anteacta vita & scriptis probem, me nullam vnquam partem Patriæ deseruisse, quam boni isti qui videri volunt, multis & magnis conuitiis & dolis vastant & depopulantur. Quos porrò moneo, vt quem bonum ciuem semper experti sunt, me bonum etiam virum esse patiantur.

Colligam ipse me, Antoni Præses optime & amplissime, cùm domestico Numismatum, Lapidum, & librorum instrumento, quæ in supellectile non

sunt. Vulgaria fortè illa in pretio erunt non magno, cùm inter forenses literas non annumerentur, Vendibilioráque sint, ait Tullius, quæ de iure ciuili quæruntur, quàm quæ de sapientia, aut veteri & antiquata rerum cognitione. Sed tua me ratio & authoritas magnopere mouit, vt multis deuinctus beneficiis, Pontifices meos aduocarem, obsequij ergà te mei fideiussores. Quos ita in Repub. optima & potentissima versatos iudicabis, vt perpetuâ illorum operâ maximè stabiliretur illa & augeretur.

FINIS.

INDEX

INDEX LEGVM DIGESTORVM & Cod. quæ in his libris citantur aut exponuntur ordine Alphabetico.

Prior numerûs legem, posterior paginam indicat.

Acquirendo rer. dom.
l. statuas. 28.277
Actionib. empt.
l. fundi. §. si ruta. 285
Adoptionibus.
l. 2. 173
l. is qui. cod.
l. nam fœminæ. 190
l. Paterfam. 194
l. qui adoptionem. 195
Ad leg. Falcid.
l. 1. §. si debitor. 185
Ad leg. Iul. maiest.
l. 1. & 5. 275. 276
Ad leg. Iul. Peculat.
l. Diui. 276
l. Sacrilegi. 243
Ad S. C. Tertull.
l. 5. 182
Annu. leg.
l. quidam. 329
Aur. & arg. leg.
l. cum autem. 184
l. cum in testamento. 355
l. & si. §. argento. 184
l. Q. Mucius. Cod. eod.

Captiuis.
l. si quis ingenuam. §. in ciuilibus. 151
Colleg. & coop. illicit.
l. 1. 11
l. 3. 217
Condit. & demonstr.
l. Publius Meuius. 347

Decurionibus Cod. Theod.
l. 2. 27
l. 74. 43
l. 92. 11
Decurionib. & denti Cod. Theod.
l. 1. 295
Dignitatibus lib. 12. Cod.
l. 12. 43
De dolo.
l. quid si cùm seq. 165
Donat. int. vir. & vxor.
l. sed si vir. §. si vir vxori. 321

Eo cui mandat. est Iurisdictio.
l. qui mandatum. 158
l. fin. 62
Episcop. audient. Cod.
l. 3. 11
l. 26. 281
Episcop. iudic.
Nouel. Valentin. 156

Excusationibus.
l. 6. 119
l. Spadonem. §. Ciuitatis. 137

Excusat. lud. public. C. lib. 11.
l. vnic. 356
Ex quib. caus. maior.
l. sed & si feriæ. 327
Extraordin. criminib.
l. Saccularij. 254
De feriis Cod. Theod.
l. 2. 327
l. 7. Cod. Iust. 428
Gradib. affin.
l. 4. 195
l. Iurisconsult. 196

Hæretic. Cod. Theod.
l. 8. 286
Heredit. act.
l. 5. 185
His qui notant. infam.
l. Athletas. 24
l. liberorum. §. etsi. 194
l. soler. cad.

Honorib. codicillor. C. Theod.
l. 8. 43
In ius vocand.
l. 2. 61
l. 4. §. 1. 201
In quib. caus. Tut. hab.
l. 3. Cod. 318
Institor. act.
l. quicumque. 471
Instruct. & instrum. leg.
l. continetur. 253
l. quæsitum. §. conseruandi. 384
l. quæsitum. §. Papinianus. 275
Interdict. matr.
l. 3. C. 55

Iudiciis.
l. 2. §. fin. 157
Iure fisc.
l. 31. 277
Iureiurando.
l. si duo. §. fin. 165
Iurisdict. omn. iudic.
l. 2. 157
Iustit. & iur.
l. 1. §. huiusmodi. 4. 58. 73. 75
Legat. 1.
l. ciuitatibus. 353
l. legatarius. 179
l. Senatus. §. Marcellus. 253
Legat. 2.
l. 4. 179
Legat. 3.
l. lignis. §. lignis. 253
Legibus.
l. 2. 58
Legibus & Decretis. C. Theod.
l. 8. 286

Malefic. & Mathemat.
l. 3. 412
Mortuo inferend.
l. fin. 209
Munerib. & honorib.
l. sponte. 346
l. fin. 286

Munerib. Patrimon. Cod. lib. 10.
l. 8. 343
Nat. restit.
l. 2 189
Natur. liber. C.
l. 1. 119
Neg. gest.
l. qui aliena. §. libertos. 202
Ne quid in loc. publ.
l. 1. §. 1. 256

l. 2. 293
Nouell. 105
Oblat. vot. C. lib. 11.
l. vnic. 425. 429
Offic. diuersor. iudic. Cod.
l. fin. 286
Offic. Proconsul.
l. 2. 182
Operib. public. C. Theod. & Iust.
l. 4. 312
l. 3. 311
Origin. iur.
l. 2. 12. 57. 73. 90. 134. 210. 211. 324
Pactis conuent.
l. 4. 55
Pagan. Sacrific. C. Theod.
l. 4. 172
Pœnis.
l. 6. §. fin. 161
l. ante damnum. §. 1. 206
l. in seruorum. 163
l. 11. Cod. Theod. 286
Perie. succeff. parent. C. lib. 10.
l. 1. 346
Petit. hered.
l. hereditas. 197
Pollicitat.
l. 2. si decimam. 470
l. Septitia. 354
Præfect. Præt. C. Theod.
l. 1. 43
Præpoſit. Sacr. Cubicul. C.
l. 26. 295
Prætorib. & Quæſtorib. C. Theod.
l. 22. 356
Quemadmod. muner. ciuil. iudic. C. Theod.
l. 2. 119
Quib. ex cauſ. in poſſeſſ.
l. cum legati. 101
Reb. Credit. C.
l. 2. 165
Rei vendi.
l. in fundo. 296
Religioſis.
l. Oſſa. 201
l. fin. 303
l. 35. 277
Rerum diuiſ.
l. 1. 4. 237. 292
l. 9. §. propriè. 237
Reſtitut. in integ.
l. Diuus. 194
Re iudicat.
l. 5. 156
Rit. nuptiar.
l. 1. 193
l. oratione. 192
Sentent. paſſis.
l. fin. 195
Sepulch. violat.
l. Prætor. §. non perpetuæ. 201. 218
l. ſepulchra. 274
l. ſepulchri. 208
Spectacul. Cod. Theod.
l. 4. 356
Si quis cautionib.
l. 2. §. ſi quis. 318
Stat. & imaginib.
l. 1. 281
Su. & legitim.
l. 3. §. fin. 194
Supellect. leg.
l. 2. 474
Teſtament. C. Theod.
l. 3. & 5. 207
Tutorib.
l. ſcire oportet. §. præfectoriũ. 137

Vacat. munter.
l. 6. 118
l. in honoribus. 349
Vacat. public. muner. C.
l. vnic. 118
Var. & extraord. cog.
l. 1. §. mediocri. 417
Vbi senatus vel clarissimi.
l. fin. 286
Verb. oblig.
l. ex parte. §. 1. 72
Verb. signif.
l. 22. 171
l. 40. 184
l. 85. 10. 82
l. 144. 193
l. 211. 264
l. 233. §. post Kalendas. 426
l. 244. 160. 212
l. 245. 275
Vnd. Cog.
l. 1. §. Cognationem. 174
Vsu & habit.
l. plenum. § 1. 254
Vsufruct.
l. æquissimum. §. sed si ædium. 253. 254

INDEX

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

A Bibliotheca. 311.312
A libris Pontificalibus. 225
Abdomen. 114
Abſentium ratio habita in ſacerdotiis. 39
Accipere hoſtiis ſuis. 456
Accipere & tradere. 103
Adiutor Aruſpicum. 232
Adolere. 268
Adolere focos. 381
Adoptio. 173
Adoptio principum in templo. 177
Adoratio. 447
Adſignare ædem. 246
Aduentus Auguſti. 329
Ædes ſacræ in triplici differentia. 243
Ædes ſacræ non omnes ſunt templa. 240
Ædes fotũdæ quibus diis. pag. ead.
Ædiculæ. 243
Ædium priuatarum ſanctitas. 296
Æquitas tripertita. 238
Aerarium Pontificum. 219
Afflare fulminis verbum. 241
Afflatum templum. pag. ead.
Africanæ beſtiæ. 348
Agendi cùm populo ius habuit Pontifex. 56
Agrorum luſtratio. 171
Alabarchia. 117
Albogalerus. 124
Altaria 268. vnde dicta. 238
Altaria cùm fumario. 269
Ἀνάθημα. 245
Ancilia ſacra. 50.51
Anclabris. 268
Annales maximi. 88.89
Anteſiniſtra Cornix. 250
Antiſtes fortunæ perpetuæ. 28
Apparitor Pontificum. 225
Apertiones templorum. 366
Apex. 123
Aptum Sacrificium. 377
Ara 267. Ara infima 268. Ara priuata 271. Aræ dedicatio. pag. ead. Aræ ornamenta 291. Ara Pudicitiæ plebeiæ 366. Aræ impari numero ſuperis, inferis pari. 267.268. Aras renebant ſacrificantes 376. Aræ Verbenis & lanea corona cingebantur. 374
Areæ Templorum. 264.265
Arbitrium. 207
Arbitria funeris. 205. mortis 206. Arbitria ſplendida. 207
Arbitratus Pontificum. 96
Arbores coronatæ. 157.159
Arca Pontificum. 217
Arcarius Pontificalis. 220
Arcus Diis dicati. 292
Archibucolus Dei Liberi. 28

Archierei Synodi. pag.ead.
Ἀρχιερεὺς μέγας. 35
Ἀρχιερεὺς ξύλῳ Ζεύς. 26
Arrogatio. 173
Aruſpex Pontificum. 232
Aruſpicum magiſter publicus. 10
Aruſpicum ordo. pag.ead.
Aruſpicum ſummũ Collegium. 9
Aſiarchia. 119
Atria templorum. 267
Attica religio. 152
Augere hoſtias. 461
Augures Auſpiciorum Preſides. 49
Auguria & Auſpicia. 249
Augurium vbi agere liceret. pag. ead.
Auguſta mœnia. 292
Aulæ in templis. 290
Aurum obruſum. 429
Auſpicia vrbana. 249

B

BACCHANALIA Sacra 148. detecta Romæ & damnata. 186
Baſilica Pauli. 310
Bdellium in Sacris. 408
Bibliotheca prima dedicata. 312
Bithyniarchia. 117
Bonæ Deæ ſacrũ in Pontificis max. domo. 73
Bos lautiſſima victima. 117
Bos Seſcenar. 451
Βεκβευτικὰ. 25

C

CÆLI ſpatia. 250
Calatores. 22
Calatores Pontificum. 225
Calata Comitia. 30
Calcei Punicei in dedicatione. 300
Calendæ Ianuarij.
Calendæ Martiæ.
Calendæ à Pontificibus calabatur. [illegible]
Calendaris Iuno. pag. [illegible]
Callum aprugnum. [illegible]
Camilli. 222.22[illegible]
Cantare propriè de magico carmine dicitur. 411
Cappadocarchia. 117
Capitolium ſedes Deorum. 244
Caſa Romuli. 247
Caſus multiplices Dialis Flaminis. 137
Caſta mola. 390
Catulina adiicialibus cœnis. 114
Cauſam habere. 401
Cella vna duobus Diis non dicabatur. 247
Cenſoria notio. 210
Cenſoria animaduerſio. 216
Cenſoribus Pontifices ſubiecti. 217
Cenſorem dedicatione prohibet Pontifex. 169
Ceremoniæ. 52.55
Ceremoniæ denariæ & tricenariæ. 52
De Ceremoniis Pontifex max. edicebat. 53
Ceremoniarum magiſtri. 54
Ceres Dea & illius Sacra. 386
Cereris nuptiæ. 386. vigiliæ. 369
Cereri de vino ſacrificabatur. 386
Cerus Deus. 52
Circiter dictio. 350
Ciſta ſacrorum Iſidis. 117
Clypei dedicatio. 284
Clypeus Martius. pag.ead.
Κνασμὸς. 381
Codicillares Pontificatus. 42. Codicillares facere. Codicillorum inſignia. Codicilli imaginarij. pag. ead.
Coëmptionales ſenes. 180

Cœna Pontificum. 110
Cœna profana. 115.468
Cœnare in Idolio. pag.cad.
Cœnatio Iouis. 469
Cohum. 242
Collegia Sacerdotũ quatuor ſumma Romæ 7. tria ampliſſima. 8
Collegia, Corpora, Ordines, Sodalitia differunt. 10
Collegium Capitolinorum. 335
Collegium Pontificum ſupra Pontificem max. 170
Comitia Curiata & Centuriata. 30
Comitia Curiata quomodo Auſpiciorum cauſa remanſerunt. 33.
Comitia Curiata vel à Pontificibus vel à maioribus Magiſtratibus habita. 117. Illorum cauſæ. pag. ead.
Comitia arbitris Pontificibus. 32
Comitia Pontificia. 31
Comitia Quæſtoria. 60
Comitia Tributa Sacerdotum. 31
Comitiales dies. 151
Comitialis homo. 90
Commentatio, Commentum, Cõmendare. 433
Commiſſiones ludorum. 355
Compoſcere Lucum. 299
Compitalia ludi. 336
Conſecratio. 100
Conſecratio animalium. 316
Conſecratio bonorum. 466
Conſecratio hominum. 467
Conſecratio ad contumeliam. 466
Conſecratio Templorum. 315
Conſecrationis ſpecies variæ. 316. 464
Conſecrata domus Senatus iudicio. 467
Conſignatio Sacrorum Iſidis. 106
Conſilium Pontificum. 97
Coracica Sacra. 102
Corolitica Simulachta. 282
Cubiculares imagines. 282
Culpa læſarum religionum. 195
Cultores Imaginum domus Auguſtæ. 283
Cultrarius Sacrorum miniſter. 230
Curatores Pontificum. 219
Curiæ duorum generum. 116
Curia Pontificum. 117
Curiarum Flamines. pag.ead.
Curionia Sacra. 363

D

DAMIVM. Damiatrix ſacerdos. 309
Daps. 321. quomodo fiebat. 386
Dapem profanare ſine Contagione. 386
Dapes feſtæ : Capitolinæ. 31
Datio, diminutio. 187
Decemuiri Sacrorum ſupplicationes edicunt. 53
Decretum Pontificum. 94
Decumæ depilatæ. 473
Decurio Cubiculariorum. 295. Pontificum. 227. Sacri Palatij. 295
Decuria Curiatia. 226
Dedicatio populi iuſſu aut plebis ſcitu fiebat. 297
Dedicationis formula. 298
Dedicatione Conſulem & Cenſorem Pontifex prohibet. 169
Dedicationis lex. 198
Dedicatio honoraria. 310. publica. pag.ead.
in Dedicatione quinque requiruntur. 300
Dedicationum varia genera. 309
Dedicatio veſte triumphali. 300
qui Dedicare poſſent. 309
Deductio. 179
Defixio. 416
Defunctæ Carinæ. 348

Defunctæ Africanæ. pag.ead.
Delubrum. 244
Designator. 25
Designati Sacerdotes. 37
Destinatus Flamen. 37
Detestatio. 468
Deuinctio. 417
Deuotio. 438. illius ritus. 439
Deuotæ integræ legiones. 440. 441
Deuoti. pag.ead.
Deuotus numini maiestatique. 442
Dianæ Ephesiæ simulachrum. 280
Dianium. 253
Dictator ludorum causa. 346
Dies Agonales. 136. alieni, diffisi, diffusi, intercisi. 136.137.138. atri. 93. Infames, religiosi, vitiosi. 130. fasti, nefasti, profesti. 89. Pandiculares. 326
Dies necis celebratus. 331
Dij Auerrunci. 432. Cubicularij. 295
Delicati, fortes, medij. 264. Indigetes. 84. impij. 410. Regales. 460. Stygij. 410. tributarij, vectigales. 276.277
Diræ. 468
Disomum vas. 96
Diuisiones die natali. 329
Dominæ. 246
Domus Pontificis maximi publica & laureata. 73
Donarium. 285
Dores Templorum. 265
Duumuiri æ dis locandæ, dedicandæ. 304

E

EFFARI. 242
Effata. pag.ead.
Effata loca. 239
Εγλασρίμυθοι. 412
Eiectitia vulua. 114
Eliaca sacra. 105
Emere ad cultrum. 462
Enubere. 185
Enuptio. 189
Ἐπήμια. 414
Ἐπωπικὰ ἱερά. 104
Epoptæ. 106
Epoptarum suspicia. 107
Ἐπωδαί. 411
Epulum Ioui. 468. Herculis. 470. Mineruæ. 469
Epulum Dicis causa. 115
Euocatio. 65
Euocationes mortuorum. 414
Εὐοχία. 115
Excantatio. 411
Excantationis effectus. 417
Excitationes Deorum matutinæ. 370
Exercitum imperãdi an ius habuerit Pontifex. 63
Expostulatio. 437
Exploratio hostiæ. 377
Exquilinus Pontifex. 167
Exta reddere. 380. quibus Diis redderentur. 386
Extraneus qui primus Pontifex Romæ. 40
Extraordinarium sacrificium. 410

F

FACERE. 397
Falsus sanguis. 414
Familiam in potestate habere. 161
Fanum. 245. Fana sistere. 246. exaugurare. pag.ead.
Fanum Dominarum. 246
Fas. 55
Fasti Pontificum. 89
Fastis dies à Pontificibus additi. 93
Fastigium. 289
Fata Deruonia. 410
Fauere. 376

Februare in ſacris. 381
Feriæ. 319. Conceptiuæ. 324. imperatiuæ. 325. Imperiales. 326. priuatæ. 332. præcidaneæ. 327
Ferctum. 385
Ferre & efferre. 251
Fictores Pontificum. 232
Filij Sacrorum. 28.29
Fines Templares. 256
Fiſcus Pontificum. 218
Flagellatio durior fuſtium caſtigatione. 163
Flamen capiebatur & prodebatur. 140
Flamen deſtinatus. 37
Flaminis Dialis caſus & ceremoniæ. 138
Flamen Dialis per alium iurabat. 138. 139
Flamen Dialis Rex ſæculi. 139
Flamen Dialis cur non ſit attributus Collegio Pontificum. pag. ead.
Flamines duo maiores attributi Collegio Pontif. 135
Flamines quomodo dicti perpetui. 30
Flaminales viri. 140
Foci. 296
Fornacarij. 253
Forum ornatum in ludis. 354
Fortuna redux. 330
Frequens Collegium Pontificum. 76
Fulmen Comitiorum vitium. 48. 241
Fulminum genera. pag. ead.
Funeris arbitria. 205
Funus commouere. 203

G

GAMMATVS lapis. 258
Γάμοι ἱεροὶ. 193
Geniis merum fundebatur. 328
Genij viris tributi. pag. ead.
Gentem dare & gentem minuere. 189. 190
ex Gente eadem duo Pontifices eſſe non potuerunt. 77
Gentilitia Sacra. 29
Geſtatio. 254. 255
Genua Deorum incerare. 448
Genua Dianæ incuruare. pag. ead.
Genu poſito ſupplicare. pag. ead.
Gradus cognationum Pontificum fuerunt. 196
Γυναῖκας ἄφεπι. 317

H

HADRIANVS primus Pontificis max. officium peregit. 67
Hæc agnus hæc porcus. 452
Hanula. 346
Heredes Dij inſtitui poſſunt. 185
Heredes Sacris adſtricti. 175
Heredem ſacra ſequebantur Romę tantùm. 176
Hereditaria Sacra. 175
Hereditas pecuniæ, nominis, Sacrorum. 173
Hereditas ſiue Sacris. 176
Hierocerix. 103
Hierophanta Hecate. 103
Hierophantæ. 172
Hoc age Sacrorum verbum. 375
Honor pro Sacrificio. 407
Honoraria funeris. 205
Hortæ Deæ Tẽplum ſemper apertum. 367
Hoſtia Agonia. 136. eximia, maior, maxima, opima. 460
piacularis. 458. pura. 459. ſuccidanea. 454
Hoſtiæ Animales. 459
Hoſtias augere. 461

Hostias cum capite & lituo cædere. 461
Hostiarum exploratio. 377
Hostici ludi. 342
Hymni Deorum. 370

I

IANVS in omnibus Sacris primus rogabatur. 382
Iana. 88
Idolorum consecratio. 465
Iecorus. 232
Ilicet. 382
Imagines consecratæ, honorariæ aut profanæ. 275
Imagines priuatæ. pag.ead.
Immolare. 378
Imminutas Pontif. & sacerdotum. 118
Impar numerus. 391
Imperare arma. 64
Imperatores omnibus amplissimis Sacerdotiis ornati. 67.70
Ex Imperatoribus duobus vnus Pontificatum max. gerebat. 71
Imperatores Augures 67. Decemuiri S. F. 70
Imperium merum Pontifices habuerunt. 157
Impostores. 417
Impetrire. 423.445
Impubes Pontifex creatus. 76
Inauguratio Pontificis max. 97
Inaugurationi Pontificibus Augures aderant. 49.99
Inauguratio Regis Sacrorũ & Flaminum ad Pontificem pertinet. 46
Inaugurationis ritus. 97
Inaugurandus Rex Sacrorum se Magistratu abdicabat. 99
Inchoare ædes. 242
Inchoare aras. pag.ead.
Inchoare. 309
Incestus. 196
Incubare Ioui. 369.370
Indigetare Deos. 84
Indigetes Dij. pag.ead.
Indigetamenta. 85
Indulgentia Pontificum. 96
Ingenui qui. 191
Inscriptio nominis in Templo. 306. 311
Inscribendi nominis consuetudo. 307
Inscriptionum gloria. 308
Instaurare diem donis. 360
Instauratio Sacrorum penes Pontifices. 86
Intercalario. 87
Intercalandi ratio ad Põtifices pertinet. pag.ead.
Interuenire de cœlo. 48
Interpretatio Pontificum. 94
Ioui Capitolino Taurus immolatur. 314
Isidis Sacra. 101
Iuno Kalendaris. 91
Iunones fœminis tributtæ. 328
Iunonis Sacrarius. 91
Iurare alteri pro altero quandò licuerit. 139
Iurare in leges magistratus coactus intrà quinque dies. 138.139
Iurisdictio. 156
Iurisdictionem Pontifices habuerunt. 157
Iurisconsulti domus. 73
Iurisconsultus Sacerdos ciuitatis. pag.ead.
Ius ciuile primùm professi Pontifices. 4
Ius Ciuile Papyrianum. 9
Ius publicum in Sacris & Sacerdotibus consistit. 4

L

LAENA. 119
Lapis auſpicatus. 259. ordinatus 257. pertuſus. 262. ſcriptus, velatus. 258, vnctus. 259
Lapis Dianæ Paphiæ. 260
Lapides Diui. 260
Lararia. 294
Lararium maius, lararium minus. 324
Lares auiti. 296. permarini. 299
Latinæ Feriæ. 324.365
Lectiſternia duorum generum. 288
Lege agere. 211
Leges ſanctæ & ſacratæ. 237
Leontica ſacra. 108
Lex Æmylia. 113
Antonia. 59
Antia. 113
Atilia. 192
Aurelia. 210
Canuleia. 40
Carboniana. 184
Caſſia tabellaria. 163. 214
Centuriata. 33
Claudia. 360
Cornelia. 59.113
Didia. 113
Domitia. 30.38
Iulia. 39.113
Labiena. 38
Licinia. 40.113
Manlia. 18
Manilia. 461
Orchia. 113
Ogulnia. 40
Papia. 46
Papyria Tribunitia. 184
Porcia. 210
Poſthumia. 392
Priſci Tarquinij. 161
Prædiatoria. 111
Roſcia. 349
Sempronia. 210
Valeria. pag.ead.
Vatinia. 59
Lex Aræ. 299
Lex dedicationis. 298
Libare. 378. libare & delibare. 409
Libationes duæ in Sacris. 378
Libamenta quo tempore offerentur. 380
Λιβατοφόρος. 473
Libertini Patronorum gentiles. 191
Libri Ceremoniarum. 90. Pontificalium. 89. Sacrorum. 13.14
Liſt or Pontificum. 225
Limites decumani. 158
litare. 378.382
Litationes. pag.ead.
Literæ perraræ. 89
Locorum diuiſio. 236
Locorias. 282
Lucorum ſacerdos. 253
Ludi Circenſes aut ſcenici. 334 338. Ludorum cura. 334. Ludorum genera tria Diis Inferis. 336. Ludi inferorum ead pag. fortuiti, honoratij. 338
Ludos dare Sacerdotes coacti. 345
Ludorum dies. 340.341
Ludorum dies ſummus. 338
Ludi Commiſſi. 355
Ludi inſtauratiui. 359
Ludorum exibitio patrimonij munus fuit. 345
Ludi publici cauea Circoque diuiſi. 355
Ludis publicis quando priuati præeſſe potuerunt. 354
Ludi priuati. 342. hoſtici, miſcelli, pag.ead. Pontificales. 344.345
Ludi Romani ſcenici. 339. votiui. 340
Ludi Sacerdotales. 346
Ludos ſemel ediderunt Tribuni-

plcb. 355. Ludi ſollemnes & pleui. 351
Ludorum ſumptus S.C. finiti. 342
Ludij. 350
Lumbus Aprugnus. 313
Lunæ defectus. 92
Luna ſilens. 415
Luſtralia. 381
Luſtralia populo data. 337

M

Macte Dij. 385
Mactata puls. 390
Magiſter Fani. 247
Magiſter Iunonis Sacrorum. 92
Magiſter Larum. 295
Magiſtri religionum colendarum. 80
Magiſtri vicorum. 324
Magiſtratus exequebatur Pontificum iudicium. 170
Magiſtratus omnes Pontifex præcedebat. 44.45
Magiſtratus ſacri. 156
Magica ſacra. 411
Magica altior ſanctiórque medicina. 418
Maiorum Pontificum munus. 91
Magmentum. 321
Magna ſilentia religionis. 104
Manale. 437
Manum adire. 403
Manumiſſio Sacrorum cauſa. 182
in Matrimonij cauſis quæ notio Pontificum. 194
Matronarum ſupplicationes. 153
Matutiùs vigilare. 369
Matutinæ excitationes Deorum. 370
Matutinæ vigiliæ. 368
Maximum crimen. 16
Maxima ſcientia. 18
Maximus Pontifex. 17. max. Prætor. pag. ead.
Maximus Pontifex Sabinorum. 25
Megaleſia ludi. 302
Menſæ in Templis. 273
Meta Augurale verbum. 250
Militia ſanctæ. 103
Miniſtri Sacrorum. 266
Minimus Pontifex. 75
Minor Pontifex. 91
Minora Templa. 240
Minuſculum ſacrum. 390
Miſcelli ludi. 342.343
Miſcelliones, Miſcellanea, pag. ead.
Mithra. 103
Mœnia Auguſta. 292
Mola falſa. 336
Monitus Pontificum. 95
Monumentum reficere. 208
Mors ſine arbitrio. 206.207
Mouere ſacra. 366
Mulctæ dictio. 157
Mulcta & pœna. 160
Mulcta maxima. 16
Municipalia Sacra. 364
Mundus patens. 330
Muri & portæ Ciuitatum. 292
Myſtæ. 103
Myſteria maiora & minora. 104

N

Natales atri iudicati. 331
Natales Principum. 329
Natales principis amicorum. 327
Natales vrbium. pag. ead.
Natales poſt mortem. 333
in Natalibus cruſtũ mulſum, ſporulárum diuiſio. 333
Νεκυομαντία. 412
Nocturna ſacra. 167
Nomenclator Tenſarum iugaris. 233
Nominationis ius. 35

Notio. 153
Nudipedalia. 430
Numerus impar. 391
Numerus ternarius. pag.ead.
Nuncupatio testamenti. 179.180
Nuptiæ Cereris. 386
Nuptiæ nefariæ. 402
Nuptiæ Pontificis max. 72
Nuptiæ per confarreationem aut coëmptionem. 181.399
Nuptiarum sacra. 399. Sacramenta. pag.ead.
Nuptiarum vota. 401

O

OBLIGATIO. 411
Obsecratio. 433.434
Obsecrationum formula. 434
Occantatio. 411
Occantatio, excantatio, incantatio. 417
Offendices. 123
Optio tutoris. 192
Orbis laneus. 374.375
Orci nuptiæ. 386
Ordo Sacerdotum. 135
Ordo Iudiciorum in capitis causa Vestalium. 163
Ordines quid à Collegiis differant. 10
Ornamenta aræ. 291
Ornamenta aræ, mithræ. pag.ead.
Osci ludi. 339

P

PAGANALIA. 363
Palatuar. 363
Pandiculares dies. 326
Particulones. 178
Partitio. 179
Pascere linguam. 376
Pastillum. 38
Pastophorum Collegium. 104
Παστοφόριον. pag.ead.
Pater Deorum omnium 28. Sacrorum. Pater patrum Dei Solis. pag.ead.
Patricè viuere. 111
Pax Dcûm. 370.397
Penetrale. 286
Penetrale beneficium. 294
Penetralia. 286
Penus Vestæ. 89
Peregrina Sacra. 364
Periurij pœna. 165
Periurij Pontifex an esset iudex. 166
Permissus Pontificum. 96.202
Peruigilia quibus Diis. 369
Persica Sacra. 105
Petram ponere. 263
Petra Taurobolata. 262
Petreïa. 230
Phetrium. 270.271
Piacularia Auspicia. 458
Piacula. 166
Piaculum commissum. pag.ead.
Pileorum Sacerdotum genera. 122
Pisces Sacri. 316
Piscina. 366
Pœnarum genera. 161
Pollucere, polluctura. 491
Polluctum. 472
Pollucibiliter obsonare. 460
Pomœrium Pontificale. 116
Pomœrium proferre. 363
Pontifex vnde. 16
Pontifex Exquilinus. 167
Pontifex ædium Sacrarum, Cæsarum, Coloniæ, domus augustæ, quinquennalis, Sacrorum, Saliorum, Solis, Volcani. 18
Pontifex designatus. 37
Pontifex max. pro Collegio respondebat. 56
Pont. max. cùm populo agebat. pag.ead.

An legis ferendæ habuerit potestatem. 58. an ius arma imperandi. 64. an Italia abesse potuerit. 59
Pont. max. sine Collegio nihil poterat. 71
Pont. max. Magistratus omnes adeptus. 65. 66
Pont. max. S.C. intercedere potuit. 167
Pontificis max. creatio, aliorū cooptatio. 30
Pontifex max. Sabinorum. 23
Pont. Vestæ. 18. 19. 21
Pont. vniuersæ Palæstræ ad vitam. 24
Pontifices à Tribunis pleb. cogebantur. 215
Pontifices Censoriæ notæ obnoxij. 216
Pontifices duo ex eadem gente esse non poterant. 37
Pontifices iura interpretabantur. 12
Pōtifices iuris publicis vindices. 83. publici consilij principes. pag. ead.
Pōtifices maiores & minores. 91. 75
Pontifices magistratui subiecti. 215
Pontifices religionis iudices. 157
Pontifices summæ Reip. præerant. 46
Pontificis nomen commune omnibus Sacerdotibus. 18
Pontificum authoritas in magistratus. 159
Pontificum Collegium in Coloniis. 28
Pontificum habitus. 122. Integumentum. 127. permissus. 202
Pontificum Iurisdictio. 159
Pontificum summa cognitio. 79 80
Pontificatus adimi non poterat. 83
Pontificatus Codicillares. 43
Pontificium prō potestate & imperio. 15
Pontificiū ius ciuili coniunctum. 6
Pontificij Iuris auctor Numa. 6
Pontificius pes. 443
Popæ. 230
Populo potestas erat de Pontificibus decernendi. 59
Populi iussu Diuini honores decernebantur. 147
Populus de Sacris iudicauit. 212
Popularia Sacra. 363
Porca præcidaria. 364
Porcaria vulua. 114
Porci Sacres. 459
Porricere. 381
Portæ ciuitatum. 293
Possessiones sacræ. 463
Postes Templorum. 289
Postulatio. 437
Postulio, Postulionem postulare. pag. ead.
Potestas & Imperium. 61
Præceptum Pontificum. 96
Præcidarium Sacrificium. 384
Præfari. pag. ead.
Prætexta pura & purpurea. 122
Prætor max. 16
Precatio à Iano incipiebat & in Vesta desinebat. 385. 435
Precatio à Senatu concepta. 436
Precatio maxima. 435
Precationum formula. pag. ead.
Precatio Scipionis traiicientis in Africam. 436
Precationes quid à precibus differant. 435
Preces scelerate & impiæ. 411. diræ. 416
Prima Sacerdos. 17
Primitiæ. 443
Princeps ciuitatis. 137
Princeps Senatus, princeps sententia. 17
Principes Sacerdotia omnia con-

ferebant. 42
Procuratio reiecta ad Decemuiros vel Aruſpices. 86
Prodigiorum procuratio. 85
Prodigia & piacula differunt. pag. ead.
Profanum. 236.245
Profanatum. 321
Πρρφήτου υἱός. 29
Profeſtum facere. 318
Profeſtus dies. pag.ead.
Promiſcua Comitia. 60
Proſiciæ. 381
Prouocatio à pontifice ad populum. 209
Publicus pontificum. 224
Puer cui Cura Larium Cubiculi. 295
Puer patrimus & matrimus. 400
Puluinar. 288
Puluinar Solis. 289

Q

QVADRATVRA Téplorum. 239
Quæſtio de Bacchanalibus mandata Conſulibus. 148
Quæſtio Sacrorum ſæpe mandata Magiſtratui. 158
Quæſtio perpetua. 211
Quæſtoria Comitia. 60
Quæſtorij ludi. 338
Quatuoruiri ad AErarium Pontificum. 219.220
Quibus modis hereditas ſacris liberaretur. 178

R

RAMI Coronati. 257
Reddere in Sacris. 378
Regalia exta: Regales Dij. 460
Regia animalia. 460
Regia Pontificis. 73
Religio. 237
Religio fœda. 168
Religio priuata per Pontifices regebatur. 21
Religionem ſcrupeam imponere. 145
Religionis diuiſio. 7
Religionis explanatio. 82
Reliquias transferre. 201
Reliquiæ traiectæ. 203
Reſcribere. 194
Reſecare. 435
Reſtituere. 171
Reſtitutio templorum. 313
Rex Sacrorum adſcriptus Collegio Pontificum. 134
Rex Sacr. Comitiis Centuriatis fiebat. 50
Rex Sacr. inaugurandus ſe magiſtratu abdicabat. 99.100
Rex Sacr. perpetuus. 27
Rex Sacr. primus in Sacerdotum ordine. 49
Rex Sacr. quando comitiauit. 135
Rex ſæculi. 139
Ritus. 55
Ritus & Caſtus. pag. ead.

S

SACELLVM. 247
Sacerdos lucorum. 253
Sacerdos max. Iouis. 17
Sacerdos perpetuus. 26
Sacerdos publica Cereris. 16
Sacerdos ſupra numerum ex S. C. 41
Sacerdotes coacti ludos dare. 345
Sacerdotes ex parte dimidia. 75
Sacerdotes maiores & minores. pag.ead.
Sacerdotes omnes an fuerint perpetui. 26

Sacerdotij honor. 15
Sacerdotum immunitas. 346
Sacra Deorum inferorum. 407
Sacra facta ob honorem Pontificatus. 345
Sacra familiaria. 175
Sacra Gentilitia. 29
Sacra arcana, Cocyta, detestanda, impia, nefasta, nocturna, oppertanea, venefica. 411
Sacra Paganalia, popularia, municipalia, peregrina, communia. 363
Sacra priuata. 393
Sacra Sollemnia, stata, imperatiua. 365
Sacrorum ius cùm Iure ciuitatis coniunctum. 365
Sacrorum perimendorum modi. 178
in Sacris esse. 175
Sine Sacris hereditas. 176
Sacrum natale. 399
Sacrum sanctum, religiosum. 236. 237
Sacrum saxum. 262
Sacramentum pro pecunia. 463
Sacrarium. 285
Sacrarium principis. 286
Sacrarij Curam principes sucepe-runt. 287
Sacrificium. 371
Sacrificia in aperto. 374
Sacrificia sollemnia. 366
Sacrificiorum ritus. 371.372
Sacrificiorum sumptus. 462
Salis auctoritas in Sacris. 377
Saliæ virgines. 222
Salutare Deos. 407
Sancire. 237
Saturnalia secunda. 319.320
Σκιομαντία. 412
Scribæ Pontificum. 223.224
Secium. 380
Secretaria iudicum. 286
Sellę Curulis ius Pontifices habuerunt. 120
Senatores perpetui. 26
Senatus auctoritate Imperatores consecrantur. 147
Senatus confirmabat quæ Pontifices decernebant. 94
Senatus festos dies imperabat. 147
Senatus multa in religionibus decernebat. 146
Senatus Pontificem max. designat nasciturum. 35
Senatus Pōtificem max. facit principem. 44
Senatus Pontificum cessit auctoritati. 169
Senatus populum nouis religionibus soluit. 147
Senatus precationis formulam cōcipit. 153
Senatus quid ad Pontifices reiiceret. 141
de Senatus sententia ver Sacrum vouebatur. 95
Senatus Supplicationes decernebat. 150
Septemuiri Epulones. 8
Septimontium. 362
Sigilla. 283. Sigillaria, Sigilliola. pag. ead.
Signa in portis vrbium. 283
Signorum pretium. 281
Silentia lunæ. 415
Silentia magna religionis. 104
Silentium regere. 415
Simulachra Corolitica. 188
Simulachra & statuæ. 280
Simulachrum Dianæ Ephesiæ. pag. ead.
Simulachrum primum ex ære factum Romæ. 279
Sinistra quare meliora. 252
Sistere fana. 246
Sodales. 11

Sollemnia Cæsarum. 323
Soluere per æs & libram. 181
Sors & fistula. 418
Sortes attenuatæ & extenuatæ. 422
Sortes Prænestinæ. 421
Sortes priuatæ. 418
Sortes publicæ. 421
Sortes tollere. 422
Statua in Rostris honos maximus. 281
Statuæ honorariæ. 280
Stipulationes emptæ & venditæ hereditatis. 179
Struem commouere. 385
Substructio Areæ. 265
Suceidanea hostia. 454
Succidiæ humanæ. 414
Suggestio Pontificum. 95.133
Suffibulum. 127
Suffimenta populo data. 337
Suouetaurilia maiora & minora. 450
Supplicatio prærogatiua Triumphi. 150
Supplicationū dies. 151. causæ. 445. ritus. 153
Supplicare Diis. 407
Supplicia. 462
Sympiuium. 357

T

TÆNIÆ arborum. 257.258.375
Talpæ in sacris magicis. 411
Tauri verbenæque. 233
Taurilia ludi. 236
Taurobolium & Criobolium. 456
Taurobolium Mithræ. pag. ead.
Ταυροκτόλιον. 455
Teleta. 105.110
Templa tribus modis dicta. 238. illa quadrata. 239
Templa Augurum. 248.249
Templa minora. 240
Templa omnia sancta non erant. 239
Templa quomodo sancta fierent. pag. ead.
Templa tacta. 241
Templa versa. 371
Templorum aditus versibus exornati. 257
Templorum interiora picturis ornata. 267
Templorum restitutio. 313
Templum tenere. 301.359
Tergus Aprugnum. 114
Terentini ludi. 336
Termini Sacrificales. 256
Terminorum defigendorum ritus. 256
Ternarius numerus. 391
Terram tenere. 359
Tesca. 248.251
Testamentum per æs & libram. 179
Testamentorum executio quæ ad Pontifices pertinet. 197
Theologiæ veteris tria genera. 82
Thermæ. 25
Tholus. 285.287
Tibicines in Sacris. 228.379
Θοίναι, ἑστιάσεις, μέθυσις. 111
Toga prætexta Pontificum. 220
Tradere & accipere Sacrorum verba. 103
Traditiones Sacrorum Isidis. 105
Translatio reliquiarum. 201
Tribunus pleb. Pontifex. 66
Tribuni à Sacerdotibus nequioquam appellati. 119
Tribun. pleb. cogere potuit Pontificem. 215
Tribunipleb. prouocatio à Pontificibus. 213
Tribunorum potestas. pag. ead.
Tributis Comitiis Pontifices creabantur. 31
Trienssacer. 394

Tripodes. 272
Tutoris optio. 192
Tutulus. 122.124.126

V

VAPORARIVM. 253
Vasa frumentaria. 384
Vasa sacra literis notata. 473
Veflamen. 140
Venatio. 354
Venatio plena. 352
Veneratæ manus. 133
Ver Sacrum. 85.425
Vestales virgines damnatæ virgis cædebantur. 162
Vestales virgines Pontifices Vestæ. 21
Vestales Tiburi. pag.ead.
Vestalis iussa pro se dicere. 162
Vestalis quæstioni subiecta. pag. ead.
Vestalium iudicium. 161.162. pœna. 163. eorũ qui illas polluerant. 164
Vestis picta. 121. prætexta. pag.ead. pura. 128. 129. quæ habet ⊖. K. homine mortuo. 128
Viceſima manumiſſorum. 182
Victima à quo percutiebatur. 378. 379
Victimæ fœminę Deabus fœminis, mares maribus. 450
Victimæ fœminini generis potiores in Sacris. 453
Victimæ magnæ opimæ. 451
Victimæ probatio. 376. quotuplex & quomodo fieret. 377
Victimarij. 230
Vigiliæ matutinæ. 368
Vigilare maturiùs. 368.369
Vigiliæ & peruigilia. 369
Vina vergere. 408
Vinalia priora, vinalia altera. 322. 323
Vinum adtegrare. 381
Vinum inferium. 379
Virgarum ius Pontifices habuerunt. 164
Viscus. 274
Vitulatio. 442.424
Vota decennalia, vicennalia, tricennalia. 429
Vota nuptiarum. 401
Votita. pag.ead.
Votorum dies. 426. loca. 425. Nuncupatio. 424. verba. 425
Votum referre. 430
Votum religiosum quod dicerētur. 425
Vrbes iustæ. 240
Vxorem Sacris initiare. 402

X

XYSTI præfectus. 25

Z

ZETARII. 254

Errata.

Pag.10.lin.28. Sacerdotium. 11.8.in. 122. denotata. 41.16.in tabulis. 76.22.iuuentam. 89.22.Nonæ. 101.16. μυριώνυμος. 112.20. saurat. 145.11. vatisque. 152.10. Actiacæ. 180.30. finitimos. 212.7 à Magistratu. 213.20. Nummus. 232.10. δυσωνύμος. 237.3. pœnæ. 244. 17. Sestimonium. 259.19. Reges. 261.5. è qib. 270.3. ad has. 275.4. aliquid. 282.17. ni. 305.17. restitutore 309.3. excidissent. 315. leorum. 338.21. honorarij. 384.18. vrceolis. 430.18. secundandam. 438.17. tacere. Cætera suppleat benignus lector, quæ inuidorum malignitas procax insequetur.

Priuilegij ſumma.

CAutum eſt Ludouici XIII. Galliarum & Nauarræ Regis Chriſtianiſſ. diplomate, ne quis in regno aliiſue locis ditioni ſuæ ſubiectis, hos IACOBI GVTHERII *de Veteri Iure Pontificio libros*, intra decennium excudat vendátue, præter NICOLAVM BVON Bibliopolam, aùt illos quibus ipſe conceſſerit. Si quis ſecùs fecerit mulcta indicta, proüt ampliùs in ipſo diplomate continetur, & exemplarium publicatione plectetur. Lutetiæ Pariſiorum II. Iullij anno 1612.

DE VABRES.